This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

P. Room

458

Per. 14198 f. 209/2

BIBLIOTHECA HAGANA

HISTORICO-PHILOLOGICO-THEOLOGICA,

AD

CONTINUATIONEM BIBLIOTHECÆ BREMENSIS NOVÆ CONSTRUCTA.

CLASSIS SECUNDÆ,

FASCICULUS PRIMUS.

AMSTELODAMI & LUGDUNI BATAV.
Sumptibus Bibliopolarum
HENR. VIEROOT & JOA. LE MAIR,
MDCCLXIX.

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

ELENCHUS CONTENTORUM,

FASCICULI PRIMI CLASSIS SECUNDÆ.

I. JO. WILHELMI PARIS, *V. D. M. Hulſtæ Flandrorum, ad verba* EXOD. XX: 5, 6. *Viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertianos immo quartanos, in eos, qui odio proſequuntur me: Exercens vero benignitatem in millia, qui diligunt me, & qui obſervant mandata mea*, Diſſertatio altera. pag. 1.

II. BENJAM. VILELMI DANIELIS SCHULZE, *Gymnaſii Regii Joachimici, quod Berolini eſt, Profeſſoris & alumnorum Ephori*, Conjecturæ Criticæ *ad illuſtrationem* PSALMI XXII: 13. סבבוני פרים רבים אבירי בשן כתרוני pag. 39.

III.

III. JOSUÆ VAN IPEREN, A. L. M. Philoſophiæ Doctoris & V. D. M. Verani, ac Societatum ſcientiarum Hollandiæ Harlemenſis & Zeelandiæ Vliſſingenſis Sodalis, Disquiſitio Critica, de Filiis Korachi, Pſalmorum quorundam Auctoribus. pag. 99.

IV. JO. CHRISTOPHORI HARENBERGII, Præpoſiti & Profeſſoris Brunſvicenſis, Epiſtola ad Virum m. Reverendum, Immanuëlem Juſtum ab Eſſen, Protecclesiaſten in Livoniæ urbe Riga, de Libris duobus famoſis, uno de tribus Impoſtoribus, altero de hiſtoria Sevarambum. pag. 154.

V. LITTERARIA. pag. 175.

I.

JO. WILH. PARIS,

AD VERBA

EXOD. XX: 5, 6.

Viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertianos, imo quartanos, in eos, qui odio proſequuntur me: Exercens vero benignitatem in millia, qui diligunt me, & qui obſervant mandata mea.

DISSERTATIO ALTERA.

§. 1.

Notiones, quas ſuppeditant verba textus rite intellecta, in diſſertatione prima, quæ exſtat *Bibl. Hag. cl.* 1. *faſc.* 3. indicavi. Non tamen ſufficit terminos eorumque ſignificatum noſſe, & ab omni

injuria vindicaſſe. Quæ hactenus diximus ideas ſiſtunt, non niſi generales. Ipſa ſanctionis veritas demonſtranda eſt; id vero, ſi officio velimus fungi boni interpretis, fieri aliter nequit quam juſta rerum determinatione. Qui enim hic indiſtincte agunt, in generalioribus hærent, & ad quemvis caſum verba applicant, extra oleas vagantur. Vaga omnino & incerta ſunt, quæ non ſunt determinata, & dici non poteſt, quam fecunda errorum ſit genetrix neglecta in S. exegeſi particularis reſpectus ratio. Non pertinent, quæ ſanctio habet, ad univerſalia, quorum affectiones pluribus ſunt communes, nullo diſcrimine habito; id nec rerum eventus, nec criteria, quæ hic occurrunt, diſtinctiva permittunt; reſtringi ergo debent pro ſubjecta materia. Præmittamus poſitiones, quas *poſtulatorum* nomine inſignire licet, & quæ enunciata intra ſuos limites coërcere, veramque in eorum applicatione normam & methodum monſtrare poſſunt.

§. 2.

Iniquitas patrum, cujus mentionem facit ſanctio, non quævis eſt majorum perverſitas; de *idololatria & iconolatria* omnis generis verba in nexu cogitare jubent. *Inique*

agunt

agunt ἐξοχως, qui idola & imagines colunt. Criminis ſe reos faciunt læſæ Divinæ majeſtatis, quam transferunt, verum Deum abnegantes, ad creaturas & Deos factitios, quare & heic loci dicuntur *Deum odio proſequi*. MAIMONIDES jam notavit, hoc titulo in S. ſcriptura vocari, qui falſos Deos colunt; hinc particulariter gentilium denominatio eſt. *Num.* X: 35. coll. *Pſ.* LXVIII: 2. Apoſtolus *Rom.* I: 30. gentiles Θεοστυγεις appellat hanc etiam ob cauſam, *quod mutaverint gloriam incorruptibilis Dei in efformatam effigiem corruptibilis hominis, & volucrium, & quadrupedum, & reptilium, & coluerint res conditas ac iis ſervierint, præterito conditore v.* 23, 25. Sunt ergo, *qui Deum odio proſequuntur*, homines idololatræ, qui Deos alienos ante faciem Jehovæ habent, ſculptilia faciunt, & ſe incurvantes ea colunt. Contra, alio prorſus charactere deſignantur, qui in cultu veri Dei perſiſtunt; hi illi ſunt, *qui Jehovam diligunt, & mandata ejus obſervant*, mandata ſcilicet, de non colendis Diis alienis & ſculptilibus. Manet Legiſlator in ſimilitudine relationis conjugalis, quæ ſupponitur, dum ſe *Zelotem*, maritum æmulatorem nuncupat. Fidæ uxoris eſt maritum amare; adultera vero animum ad rivalem inclinat, quod conjugalis amoris violatio & odii teſtimonium eſt. Unde

jam patet, quæ dicuntur de viſitatione iniquitatis patrum in filios, & de exercitio benignitatis erga millia, ad cultum, vel idolorum & imaginum, vel veri Dei reſpectum habere, & ad hoc σχημα reſtringenda eſſe. Omnis verborum interpretatio, quæ eo non ducit, a propoſito eſt aliena.

§. 3.

Non tamen ſanctio generalis eſt, & omnes idololatras indiſcriminatim concernit, ſed ſpeciali relatione populum Iſraëliticum, id quod ex natura Decalogi ſponte ſua fluit. Supponit quidem præcepta naturæ, amorem Dei & proximi, lex vero univerſalis, toti generi humano data, non eſt, ſed nationalis, ſiſtens in compendio conditiones fœderis, Deum inter & Iſraëlitas pacti, & relativa ad ſtatum Iſraëlitarum & eccleſiaſticum & civilem, præſertim qualis foret poſt eorum ingreſſum in terram Canaanæam. Quicquid ergo habet ſanctio & comminationis & promiſſionis in ſpecie & formali ſuo reſpectu ad populum Iſraëliticum eſt reducendum. Qui aliter inſtituunt, a ſcopo & rerum indole recedunt, & difficultatibus ſe extricare nequeunt. Ab hac regula ſi deflectas, quid, quæſo, ſolidi de promiſſione *præcepti quinti* in medium proferes?

nec

nec *verbis* fiet ſatis, nec promiſſionis veritati. Comminatio in *præcepto tertio* itidem in *ſua* emphaſi aliquid particulare habet, *quod* conſpiciendum foret in pœnis θεηλάτοις, *Iſraëlitis*, profanantibus ſumme reverendum nomen Jehovæ, immittendis. Exempla in S. hiſtoria non deſunt, & lege, ſi placet, *Deut.* XXVIII: 58 - 61. Eodem modo pœnas ex idololatriæ crimine, & benedictiones e cultu Dei veri ad Iſraëlitas demanaturas verba noſtra annunciant. Redeunt hæc ipſa verba, amplificata & cum illuſtri apparatu pronunciata a Jehova ipſo, coram facie Moſis in monte Sinaitico tranſeunte. *Exod.* XXXIV: 7. Eas vero, quæ hic inclamantur, perfectiones divinas fore manifeſtandas in viis Dei cum Iſraële, dubitari nequit; omnes circumſtantiæ & loci & temporis id edocent clariſſime.

§. 4.

Ex eodem fonte natura ſanctionum, quæ in Decalogo occurrunt, determinanda eſt. Pro ratione ſubjecti prædicata intelligi & limitari debent. Fœdus Sinaïticum, cujus complexus & ſumma decalogus eſt, nationale *fuit*, cum toto Iſraëlitarum populo initum; *ſubſiſtit* ergo in ſua ſcheſi formali in mere externis, quod ſolide pro more ſuo

demonſtratum dedit interpres magni nominis, Cl. VENEMA in *diſſertationibus S. de fœderibus*. Regis perſonam Deus erga Iſraëlitas induit, & externa pompa talem ſe geſſit; hi vero ſubditi erant ab ejus imperio & voluntate immediate pendentes. Hanc regiminis formam, cui nulla alia aſſimilata eſt, JOSEPHUS *contra Appionem*, L. II. c. 6. dictione nervoſa *Theocratiam* appellat. Fœdus ergo Sinaiticum ejusdem naturæ eſt ac contractus Regis cum populo, qui conditionibus, promiſſis & minaciis abſolvitur. *Conditiones* fuere leges, externa obſervantia implendæ; *promiſſiones* terra Canaanæa, & quicquid ad tranquillam & felicem ejus poſſeſſionem pertinebat, omnis generis benedictiones temporales; *Comminationes* vero his contraria complectebantur. Quæ in jurisprudentia traduntur de *pactis feudalibus emphyteuticis* inter Dominum directum & dominos utiles, huic materiæ etiam applicari, & non parum lucis adſpergere poſſunt; nec differt hæc relatio a dicta conventione Regis & populi, quam in modo conſiderandi. Palæſtina & gleba in illa feudum erat; Deus Dominus fundi, Iſraëlitæ vaſalli uſufructuarii, quam diu ſervarent conditiones pactitias, ſeu fœderales; his vero violatis jure excidebant terram poſſidendi, & ejiciendi erant ex feudo tanquam

co-

coloni *rebelles*, dum enormium deliſtorum, feloniæ & criminis læſæ majeſtatis forent rei. Hoc emblemate œconomiam Dei cum *Iſraële* egregie illuſtrat Bremenſium Theologus, Celeberrimus N. NONNEN, *in cogitationibus de quibusdam Theologiæ capitibus*. §. 10. Vir mihi plus uno nomine venerabilis, quo me uſum eſſe præceptore, fautore, & ſtudiorum promotore in ſinu meo gaudeo, nec multifarias benevolentiæ ſuæ erga me teſtificationes ulla oblitterabit ætas. Conſervet diu charum iſtud caput ſcholæ & eccleſiæ Bremenſi propitium Numen, imo toti orbi erudito, cujus multum intereſt ditari ſuis meditationibus, quæ cum materiæ ponderoſæ ſelectu, & judicii ſubacti acumine ſemper jungunt aliquid, quod originale eſt. Ita vero patet ex obſervatis de fœdere Sinaitico, in ſua ſpeciali ſcheſi conſiderato, quæ formanda ſit idea de promiſſis & minaciis in decalogo; beneficia & judicia temporalia pro objecto habent, relative ad terram Canaanem, populique ſtatum externum in illa terra, quod *præcepto quinto* expreſſe indicatur. Foret hic ſtatus tranquillus, florens & conſtans, ſi perſtarent Iſraëlitæ in conſtanti mandatorum Jehovæ obſervantia; intercedente vero & continuata legum transgreſſione pœnis forent coërcendi, rerum ſuarum proſperitatem turbaturis, terram

devaſtaturis, ejusque poſſeſſores ex ipſa illa terra evomituris. *Lev.* XX: 22. Ad hanc normam explicanda ſunt, quæ in noſtris verbis de viſitatione iniquitatis patrum & de exercitio benignitatis pronunciantur, & ultra hos terminos non adſcendunt. Quo poſito multa αλλοτρια, quæ de hac ſanctione, pœnali præſertim, in medium producuntur, repulſam ferunt.

§. 5.

Hoc porro de comminationibus & promiſſionibus divinis in genere obſervaſſe in rem præſentem facit, eſſe conſiderandas inſtar prophetiarum, quarum certitudo pendet a conditionibus præſubſtratis, certiſſime ergo, ubi conditiones adſunt, implendas. In juſtitia & veracitate Dei hic canon fundatur. Non enim Deus pœnas interminando vel promittendo præmia teſtari cenſendus eſt, quid data conditione facere poſſit, ſed quid facere velit, & omnino facturus ſit. Unde ſequitur, exiſtente & late proſerpente Iſraëlitarum idololatria, non poſſe non exiſtere ſanctionis pœnalis executionem, illam. ſcilicet viſitationem iniquitatis patrum in filios, eorumque pronepotes & abnepotes; itidemque hanc in millia benignitatis profuſionem, ubi locum habet in populo con-

conditio contraria, fida hujus mandati obſervatio. Deum odio proſequentibus non eſſe poteſt niſi male, amantibus non niſi bene, adeoque poſito caſu, neceſſe eſt poni debere eventum, ex quo ſanctionis veritas & implementum omnimode & pleniſſime pateſcit.

§. 6.

Addo tandem, quod implementum attinet, notam & characterem temporis, qui ducit ad ſeram abhinc Iſraëlitarum poſteritatem, & in ſanctione pœnali ſupponit multam antea longaminitatis Divinæ demonſtrationem, quam exſpectandum foret juſtitiæ vindicis exercitium. In diſſ. I, §. 11. jam obſervavi, locum parallelum *Exod.* XXXIV: 7. non obſcura habere tolerantiæ in longum protendendæ indicia: *viſitans iniquitatem patrum in filios, in filios filiorum*, ubi unum explicat alterum, & quinam per filios debeant intelligi ſignificat; progenies nimirum ſerioris ætatis, quæ majorum iniquitates eſſet portatura. Nec me pœnitet obſervationis, quæ forſan nonnullis viſa fuit nimis hypothetica; omnino confirmatur ex vaticinio Moſis, *Deut.* IV: 25. ubi dies ultionis erga Iſraëlitas propter ſculptilium fabricam & cultum manifeſtandæ ad id temporis reſtringit, *quum genuerint filios &*

nepotes, & facti fuerint habitatores veteres in terra Canaane. Quæ limitatio in noſtro negotio utique momentum habet, & characterem ſiſtit periodicum implementi tempora determinantem. Non ergo ſanctioni ſit ſatis per judicia divina citioris intervalli, quæ non niſi præludia fuere executionis longo poſthac tempore demum ſubſequuturæ. De filiis filiorum, de ſeris nepotibus, de incolis terræ veteraneis cogitandum eſt.

§. 7.

His præmiſſis ad ipſum eventum progredimur, & initium facimus a ſanctione pœnali, ubi nulla demonſtratione opus eſt, populum Iſraëliticum verſari in terminis, quæ in ſanctione ponuntur. §. 2. Quam inſanæ mentis fuerit gens hæc perverſa & adultera, quam furioſa & fervida in cultum idolorum, variarumque ſimilitudinum efficiarum, omnis S hiſtoria teſtatur abunde. Erat hæc iconolatria vitium nationale, ac ſi a natura eſſet innatum, & Iſraëlitis cum ſanguine infuſum. Propagabatur ab una in alteram ſucceſſionem quaſi ex traduce.

Et patrum in natos abeunt cum ſemine mores.

Vix ex Ægypto egreſſi ad montem Sinaiticum,

ticum, & in adſpectu Legislatoris tremendi documenta dant ſuæ perverſitatis facinoroſa, & quot non quadraginta illis annis, quibus peregrinabantur in deſerto? In Canaanem ingreſſi ad ſaniorem mentem non revertuntur; tempora mutantur non mores, imo in pejus ruunt, Salomone, qui peſſima exempla ipſe dederat, mortuo, ſciſſoque ejus regno, quando cultus vitulorum invaluit, & turpiſſima omnis generis idololatria. Hæc, quæ Juda primum averſabatur, mox imitabatur, dein furore nefando perſequebatur Iſraëlis crimina. Nomine erant inter ſe diverſi, *ad cetera*, ſi corruptionem generalem ſpectas, ſi idola, ſi ſculptilia, *gemelli*. Vide, ne his inhæream ulterius, quibus coloribus populum iſtorum temporum pingunt prophetæ.

§. 8.

Caſu poſito ſanctio pœnalis effectu ſuo carere nequit, §. 5. inquirendum ergo, quando & quomodo ſit impleta. Sunt, qui jam in deſerto ſanctionis executionem quærunt, ubi quidem Deus plus vice una peccata Iſraëlitarum viſitavit, ſed & manum ſuam retraxit non ſemel; tandem tamen juravit, eos non intraturos in ſuam requiem, *Pſ.* XCV: 11. coll. *Deut.* I: 35-39.

&

& ita omnes perierunt in deſerto. illi ſcilicet, ad quos Deus primo loquutus fuerat, cum eos educeret ex Ægypto. Fuit vero hæc in deſerto vindicta viſitatio in patres, non, iniquitatis patrum in filios, quod eſt in textu. Nec habet notas characteriſticas, quæ noſtris conveniunt. XL anni longe ſubſiſtunt infra terminum quartæ generationis, & ubi vix una erat, eaque in Canaanem nondum ingreſſa, ad ſummum altera, de filiis filiorum, de nepotibus, de habitatoribus terræ, & in terra veteraſcentibus §. 6. cogitari nequit. Si forſan alia ex fatis Judæorum ſubſequentibus adduci poſſent, ejus ſunt generis, ut hujus viſitationis ſimilitudinem non habeant, & ſi quodammodo, verbis tamen non reſpondeant in omni eorum ambitu. Singulare habet in libro optimæ frugis, die Verthäydigung des Chriſtlichen glaubens p. 132. *verſ. Belg.* Vir admodum venerandus A. F W. SACK, aulæ Boruſſiacæ concionator primarius, quem cum multi honoris præfamine nominaſſe volupe mihi eſt, utpote eadem patria, *Anhaltinatu*, eademque urbe, *Hartzgeroda*, quæ a ſaltibus montium Hercyniorum nomen mutuat, mecum prognatum, mihique amiciſſimum. Dum in eo eſt, ut diluat, quæ in S. ſcriptura ſunt ad ſpeciem inter ſe pugnantia, quæque animos infirmos tenere poſſunt ſuſpenſos,

aut

aut *arripi* ab ingeniis irreligioſis in cauſam *naſutule* cavillandi, noſtrorum etiam verborum rationem habet, & quæ interminantur intelligit de progenie idololatrarum, in quarta generatione, delenda, & non ultra ſubſtitura, idque exemplo *Jehu* illuſtrat, 2 *Reg*. X: 30. XV: 20. cui propter res ſtrenue geſtas contra cultum Baaliticum in domo Achabi, ab ipſo funditus exſtirpata, promiſſa erat troni in filios ſucceſſio, abrumpenda tamen in abnepote, ob indolis abavæ fallaciam, quæ in familiam idololatricam vindictæ quidem inſigniter cupida, ab ipſa tamen idololatria & cultu vitulorum non erat averſa. Obſervatio ſua laude eſt digniſſima, & a Viro perquam reverendo diſtinctius quam ab aliis propoſita; cum vero accedat ad illam, quam ex L. *de* DIEU notavimus, diſſ. I. §. 14. videri poſſunt, quæ ibi diximus. Si quæ ſunt alia in hiſtoria Regum Iſraëlis & Judæ, quæ exhibent erga principes idololatras juſtitiæ divinæ exempla, ejusdem fere ſunt naturæ, & quod ipſum illum *Jehu* attinet, caſus eſt perſonalis & ſpecialiſſimus, cujus *formale* huic materiæ non videtur accommodatum, cum in illa, quæ ipſi prædicitur troni in filios ſucceſſione usque in quartam generationem, *magis* conſiderandum veniat id, quod eſt præmiale, quam quod eſt pœnale. Sanctio

De-

Decalogi eſt generalior, quia eſt fœderalis, omnes concernit, qui erant ſub fœdere Sinaitico, totum populum Iſraëliticum, & quamvis non excludat caſus particulares, eventum tamen ſibi poſcit, qui in ipſo illo populo foret conſpicuus. Hunc vero populum, cum ſtarent idololatriæ ſpurciſſima crimina in præcipiti, & ipſe, de die in diem ſeſe avertendo, & apoſtaſiam augendo, in ſuas pœnas eſſet ingenioſus, tandem e terra ſua eſſe ejectum, in captivitatem deductum, & ab extraneis miſerrime habitum, Deique vindicis manum tremendam expertum, S. hiſtoria teſtatur. Incepit judicium a domo Iſraëlis, & caſum, quem tranſierat, poſt, non mutato conſilio, nec edocta per divinam vindictam, invenit domus Judæ. Sic totus populus in carcerem, in terras Aſſyriæ, Mediæ & Babyloniorum abigitur, deſolato antea patriæ ſolo, civitatibus earumque ſanctuariis igne combuſtis, & collapſa penitus antiqua & cultus & omnis reipublicæ facie. In hac μετοικεσια impletum eſſe, quicquid habet rigoris ſanctio pœnalis, mea quidem opinione dubio caret, cum terminis & characteribus, quibus eſt inſignita, reſpondeat ad unum omnibus.

§. 9.

§. 9.

Fuit hæc in carcerem deportatio pœna, quam populus dedit, propter idololatriæ inſaniam, §. 2. annunciata populo prophetarum, quos Deus identidem miſerat, præſagiis. Nimius eſſem locorum farragine demonſtraturus, quod eſt notiſſimum. Ipſe Moſes, hanc noſtram ſanctionem impletum iri populi ex terra ejectione, vaticinatus erat *Deut*. IV: 25-27. ubi Iſraëlitas ſerio monet, *ut caveant ſibi, ne obliviſcantur fœderis Jebovæ Dei ſui, quod pepigit cum ipſis, & faciant ſibi ſculptilia, ſimilitudinem ullius rei*, addit, *fore, ſi hoc faciant, ut omnino pereant e terra illa, ad quam poſſidendam Jordanem erant tranſituri, & dies non prolongent in ea, ſed Jehova eos ſit diſperſurus in alios populos, & reliqui ſiant homines pauci in gentibus, quo Jehova eos abduxerit*, &c. vide porro his ſimillima *Deut*. XXIX: 25-28. XXX: 17, 18. &c.

§. 10.

Hæc vero populi abductio & diſperſio quidni nomen præ ſe ferret *viſitationis iniquitatis patrum in filios?* cum fuerit pœna a populo deſumta propter idololatriam, cujus hi

hi poſteri majores imitando ſe reos fecerant turpiſſime, id quod Deus ipſe in ſeria, quam inſtituit cum populo, ſe frivole excuſante, diſputatione, ut querelis ponat obicem; perorat. *Ezech.* XVIII. & *Jer.* XVI. Erant ſub eodem cum patribus reatu, quod in his toleraverat, nunc in filiis vindicat Deus juſtiſſime, qui menſuram iniquitatis patrum compleverant, & omnes minacias ſusque deque habentes, *cervicemque ſuam obdurantes, pejus fecerant, quam majores ipſorum. Jer.* VII: 26. Quod *hi docuerant, illi erant ſequuti. Jer.* IX: 14. *qualis fuerat mater, talis erat filia. Ezech.* XVI: 44. *In via patrum ſuorum ſe ipſos impuraverant, deteſtationes eorum ſequendo. Ezech.* XX: 30. hinc jure merito *rependit iniquitatem patrum in ſinum filiorum ipſorum poſt ipſos Deus iſte fortis, maximus, potentiſſimus, cujus nomen eſt Jehova exercituum. Jer.* XXXII: 18.

§. 11.

Incidit hæc viſitatio in tempora ſerioris ætatis, multis poſt ſanctionem datam ſeculis; eſt viſitatio in *filios filiorum, in nepotes, in habitatores, qui in terra erant facti veteres.* §. 6. quare & hæc judicia divina appellantur *altercatio cum nepotibus. Jer.* II: 9. re vera ergo juſtitiæ exercitium antecedit lon-

gæ

gæ tolerantiæ demonſtratio. Pœna a patribus *jam* promerita non petitur, niſi a ſeris *poſthinc* nepotibus. Inprimis illæ temporum periodi hic in cenſum veniunt, in quibus idololatria incrementa cepit, terram inquinavit publicis circumquaque cultus deteſtandi trophæis, & graſſata eſt per omnes hominum ſtatus atque ordines, quæ tempora præ aliis dies fuere longanimitatis & iræ cohibitæ, Deo ipſo teſtante. *Ezech.* IV: 5, 6. ubi in figura repræſentat, *ſe portaſſe iniquitates Iſraëlis CCCXC annos, & iniquitates Judæ XL annos.* Communi interpretum conſenſu *terminus a quo* CCCXC annorum ponendus eſt a defectione Jeroboami, qui per μοσχοποιιαν peccavit ipſe & peccare fecit Iſraëlem, 1 *Reg.* XII: 28. *ſeqq.*; *terminus ad quem* in omnimoda terræ devaſtatione; quæ incidit anno Nebucadnezaris XXIII, hoc eſt, quarto poſt excidium urbis & templi, circa quem ultima populi Iſraëlitici deportatio per Nebuſar-Adanem contigit, poſt quam terra penitus inculta relicta eſt. 2 *Reg.* XXV: 11.: hi termini annos CCCXC conſtituunt. In hoc ipſo intervallo includuntur XL anni peccatorum Judæ, quorum epocha deducitur ab anno Regis Joſiæ XVIII, quo templum Hieroſolymitanum reſtaurari inceptum, legis αυτογεγραφον repertum, publiceque prælectum, generalis

reformatio, & Divini fœderis renovatio facta, mox tamen iterum fruſtrata eſt. 2 *Reg.* XXII. XXIII.; eorum vero finis convenit cum termino ad quem defectionis Iſraëliticæ: nam in obſidione Hieroſolymæ & ſubſequuta terræ devaſtatione tum Judæi tum reliqui ex domo Iſraëlis iniquitatum ſuarum dederunt pœnas. Diſtinctim vero anni peccatorum Judæ, & quidem XL numerantur, quod poſtremis XL annis maxime in regno Judæ idololatria invaluit, omnisque generis perverſitas.

§. 12.

Occaſione ita ferente plus forſan dixi de famoſo *Ezechielis* loco, quam ad rem præſentem erat neceſſe. Jam alius ineundus eſt calculus, ut pateſcat, pœnam, quam tulit populus in vincula abductus, poſſe dici *viſitationem in filios usque in tertiam, imo quartam generationem.* Judiciorum divinorum primitias experta eſt domus Iſraëlis, deportatis tribubus duabus cum dimidia trans Jordanem per *Tiglat-Pileſerem*, qui eas collocavit in Calacho, Chabore & Nehar-Gozane. 1 *Chron.* V: 26. Cum vero, hoc non obſtante, ſua perſtaret Iſraëlitis respublica, & regiminis, quamvis labefacti, forma, generalior eſt conceptus, qui annos deportationis

tionis numerat ab invaſione *Salmanaſſaris*, quando regnum X tribuum everſum eſt funditus, Samaria metropolis exciſa, Rex Hoſea captus, terra devaſtata, & populus captivum ductus in Aſſyriam, inque easdem regiones diſperſus, quo prius Peraeæ incolas tranſtulerat Tiglath-Pileſer, & in civitates Mediæ. 2 *Reg.* XVII: 6. XVIII: 10, 11. Incidit hoc univerſale Iſraëlis excidium in annum VI Hiskiæ, Regis Judæ; abhinc ad annum IV Jojakimi, ſeu primum *Nebucadnezaris*. Regis Babyloniæ, quo facta eſt prima Judæ in terras Babyloniorum deportatio, habet intervallum CXIV annorum; & ab hoc IV Jojakimi anno computantur LXX anni captivitatis Babylonicæ, ſolutæ ſub *Cyro*, primo regni ſui Babylonici anno. Sufficit de his compendioſe dixiſſe ad ductum Chronologorum accuratiſſimorum, quorum veſtigiis inſiſto. Et ſic patet, habita totius populi ratione, quod ſanctio in noſtris verbis poſtulat, §. 3. captivitatis tempora, in quibus peccatorum ſuorum pœnas tulit, abſolvi CLXXXIV annis, & ad hunc numerum jam dimetiendæ ſunt ætates ad *abnepotes* usque, ſive *ad quartam filiorum progenerationem*, quem in finem aliquid dicere de temporis quantitate, qua generationes deſcribere licet, non erit extra modum & a propoſito alienum.

§. 13.

De hac materia nonnulla habet COCCEJUS in *Lex.* ſub voce דור, & F. SPANHEMIUS in *hiſtoria Jobi.* c IX. p. 145. Varia tamen, ut fiat extricatior, poſſent addi. Generationes diverſimode poſſe ſupputari recte monet CLERICUS ad *Exod.* XIII: 18. ubi tamen, quod LXX habent de πεμπτη γενεα pro Hebræorum חמשים, non eſt intelligendum, ut ipſi videtur, de quinta generatione, ſed de modo exitus, qui certo ordine eſt factus, in quincurias diſpoſito. Antiquitus generationi dabantur C anni, quia vita hominum in illo mundi vigore ut plurimum erat C annorum, quibus elapſis omnis prior ætas ſupponi poterat e vita exceſſiſſe. De *Neſtore* perhibet HOMERUS *Iliad.* α. vſ. 250-252. vixiſſe illum duas γενεας hominum, & inter tertios tunc verſatum eſſe, quod veteres de centuriis intelligunt. OVIDIUS *Metam.* L. XII. *vſ.* 187, 188. ita loquentem inducit:

Vixi
Annos bis centum, nunc tertia vivitur ætas.

Tempore HERODOTI tres γενεαι ſeculum conſtituebant, ſingula XXXIII annorum, &

PLU-

PLUTARCHUS juxta HERACLITUM ſingulis XXX annos aſſignat, qui calculus apud Græcos erat uſitatiſſimus, γενεαν numerando per id temporis, quod quis in adminiſtratione reipublicæ conficit, XXX annos ut plurimum non excedentis, uti obſervat MOLLERUS in *prælect. ad Pſalmos. p. m* 964. Hinc eſt, quod *Scholiaſtes* Homeri, & qui eum ſequuntur, de illa Neſtoris longævitate dubitant, & illum faciunt nonagenarium. Certis vero & limitatis annis generationes non definiri poſſe res ipſa loquitur. Se ipſos fallunt, qui ita agunt, & de XXX annis aut alio determinato numero cogitant, unde fit, quod nodos quærant plus quam neceſſe eſt, quando occurrunt in hiſtoria S. & profana generationes ſucceſſivæ, quæ ipſis videntur in numero nimiæ. Exemplum inſigne proſtat in genealogia a' Salmone, qui vixit tempore ingreſſus Iſraëlitarum in terram Canaanem, usque ad natales Davidis, quæ ſpatium ſiſtit trium cum dimidio ſeculorum, & quod excurrit, & IV dumtaxat generationes. *Ruth* IV: 21, 22. Hinc illæ querelæ de lacuna, de nominibus in ſerie ſucceſſiva, caſu quodam & temporum injuria, interciſis, vel de negligentia ſcriptorum, aut librariorum menda, & quæ ſunt alia hujus commatis, ejusmodi tamen, ut non temere ſint aſſerenda. Singulari præ aliis

diligentia locum hunc vexatum perſequitur CARPZOVIUS *Introd. ad lib. Canon.* V. T. *p.* 1. *c.* XI. *p.* 202–205. *Auctores Anglos* in *Hiſt. Univ.* calculo fixo nimis inhærere, hinc multum aliquando hæſitare plus ſemel animadverti. Succurrit, cetera memoriam fugiunt, quod tradit HERODOTUS l 1. c. 185. de V generationibus Semiramim inter & Nicotrim, Reginas Babyloniæ, quam genealogiam difficulter admittunt. T. IV. p. 226. *verſ. Belg.* Id ſaltem multorum exemplorum inductione poſſet monſtrari, generationes circumſcribi nunc minori nunc majori annorum numero. Ab introïtu Iſraëlitarum in Aegyptum ad exitum usque effluxere anni CCXV, quarta generatio in Canaanem reverſa eſt. *Gen.* XV: 16., tribus ergo generationibus totus fere hic numerus conſtituitur, ſingulæ ergo ad minimum anni LX aſſignari poſſunt. Jobus poſt reſtitutionem vixit CXL annos, & vidit quartam generationem, *Job.* XLI: 16. Si quartam inchoatam ſupponas, quod non repugnat, tres vero completas, ſingula XL annos transſcendit. In genealogia Servatoris apud Evangeliſtas reperire licet generationes omnium ætatum, a centenariis usque ad tricenarias, has tamen non ſæpe, plerumque ſupra. Hiſtoricorum aliquando moris eſt, ætates determinare non anno-

rum,

tum, ſed generationum numero; limitate tamen & definitive id neutiquam faciunt. Orpheus THEODORETO *Therap. Serm.* II. dicitur μια γενεα πρεσβυτερος των τρωικων, *antiquior una generatione bello Trojano*, annis ergo LX & ſupra, conf. SIMSONIUS *Chron. Cath. p.* 301. *edit. Weſſeling.* PLUTARCHUS, libro contra Herodotum, minime, ait, vero eſſe ſimile, Corinthios ulciſci voluiſſe acceptam a Samiis injuriam μετα τρεις γενεας, *poſt tres generationes*; de injuria loquitur, qua ab his erant impediti, ne CCC juvenes, nobiles Corcyrenos abducerent, & eunuchos facerent, quod contigit plus centum annis ante quam Corinthii cum Lacedæmonibus arma contra Samios capeſſerant; deſcribit ergo generationem plus minusve XXXIII annis. Regnum Medicum juxta DIONYSIUM HALIÇ. L. I. everſum eſt επι της τετερςρτης γενεας, *quarta generatione*, quatuor regum Dejocis, Phraortis, Cyaxaris & Aſtyagis tempora annos CL conficiunt, ſingula generatio XXXIX. DIOGENES LAERTIUS de *vitis philoſ.* ſcholam Pythagoræam, inquit, duraſſe ad nonam vel decimam generationem; ceſſit vero circa tempora Imperatoris Antonini Pii; rudiori calculo pro ſcholæ conſtantia VII ſecula habes, pro quavis generatione ultra LXX annos. Plura non eſt opus, nullus enim, ſi cœptum in-

ſectari vellem, foret finis. Satis ſuperque conſtat eſſe generationes, ſui multum diſpares, quare absque cauſa eſt cogitare velle de fixo calculo, aut dubitare, ubi ille videtur juſto protenſior.

§. 14.

Ad noſtra redeo. Pone jam pro poſſibili, poſſibilitas vero caſui, qui ponitur, denegari nequit, fuiſſe in ſucceſſionibus eorum, qui primi e terra ſua exules ſunt facti, quatuor generationes, & ſingulas XLVI annorum, habebis annos captivitatis ſupra notatos CLXXXIV; imo ne quidem tot annos generationibus aſſignare oportet, cum anni patrumfamilias ab initio captivitatis, liberis nondum progenitis, annis generationum annumerari poſſint, quo facto exilior oritur pro quavis generatione annorum numerus. Nec fidem ſuperat pro iſta ætate hic generationum calculus, cum circa ipſa hæc tempora occurrant, quæ ad illum numerum adſcendunt. *Nehemias* hiſtoriæ ſuæ *cap.* XII: 10, 11. a Joſua, ſummo pontifice, tempore edicti a Cyro facti *Esdr.* II: 2. ad ſuam ætatem numerat V generationes, inter quas interceſſit tota periodus monarchiæ Perſicæ, ex quo Cyrus rerum potitus eſt; patet vero ex laterculo æræ Nabonaſſaris

ſaris a Ptolomæo exhibito, ab initiis Cyri usque *ad regnum* a Dario Codomanno in Alexandrum M tranſlatum effluxiſſe annos CCVI, qui in quinarios diviſi ſingulæ generationi XLI vindicant. Addo conjecturam, quæ ſua probabilitate non deſtituitur, nec ſpernenda eſt in re præſenti, ubi agitur de calculo generationum aliquantum prolixiori. Verſamur circa tempora calamitoſa. Nullum eſt dubium fuiſſe, quibus *fortunatum* eſt viſum, *uxorem non habuiſſe*, conf *Jer.* XVI: 2. ſeqq. & 1 *Cor.* VII: 26, 27. id quod etiam inter cauſas eſſe poteſt, quod ad vincula conjugalia ſeria adhortatione debuerint admoneri. *Jer.* XXIX. Si vero de ineundo matrimonio cogitarent, id non feciſſe præcipiti conſilio, ſed lento & bene penſitato propoſito, quo admiſſo, tardior oritur generationum proceſſus, earumque ſpatium extenſius, quam ubi tempora ſunt tranquilla & proſpera; nec opus eſt, hoc generaliter affirmare, ſufficit ſupponere de nonnullis familiis; procul enim dubio generationum, quæ præ ceteris fuere annoſiores, habenda eſt ratio, id quod cum comminationis ſeveritate convenit.

§. 15.

Sanctionis pœnalis veritate per imple-

mentum demonſtrata progredimur ad ſanctionem præmialem. Promiſſio talis eſt conditionis, ut generaliorem ad ſubjecta particularia relationem admittere, & omnibus, qui inter Iſraëlitas fuerint Dei amantes ejusque mandatorum obſervantes, omni tempore applicari queat. Singularem tamen omnino reſpectum habet ad totum populum, quod ex iis, quæ ſupra de ſcheſi & habitu Decalogi, & de natura & ratione ſanctionis pœnalis diximus, per ſe patet, & eo utique ducit denominatio *millium*, quæ in S. ſcriptura frequens eſt & uſitatiſſima de toto populo. *Num* X: 36. *Joſ.* XXII: 17. *Pſ.* LXVIII: 18. CV: 8. &c. Fuit enim populus ex millibus tribuum, ceu partibus integrantibus, non ſolum conflatus, ſed & in deſerto ad inſtar exercitus bellici in millia, quæ iterum ſuas partes habebant, diſpoſitus. *Exod.* XVIII: 25. *Deut.* XXXIII: 17. *Jud.* VI: 17. *Mich.* V: 2. Ad hanc ſcheſin vero videtur ſimile efformatas eſſe apud Græcos aliosque populos exercitus diviſiones in chiliades, centurias & decurias.

§. 16.

Jam vero, ſi totum populum ſpectamus, ſtatus ejus, qualis fuit in terra Canaänæa con-

conſiderandus venit. Fuit enim Paleſtina in omni *emphaſi* terra promiſſionis, promiſſa non *ſolum* Abrahami poſteris, ſed & omnium *promiſſionum* fœderalium quaſi centrum, quo collineat quicquid habent in complexu ſuo bona V. T. §. 4. In primis poſt ingreſſum ſeculis de promiſſionis implemento cogitari nequit. Triſtis religionis *Judicum* tempore erat facies, animis ad Polytheismum, cultum ſpeciatim Baalis & Aſteroth *pronis*, & variis ſuperſtitionibus & ſimulacris *ſacra* profanantibus, imo flagitiis horrendis, cædibus, ſtupris, adulteriis, promiſcuis cum Canaänæis idololatris conjugiis, ſœderibusque. Nullo modo locus datur exercendæ Divinæ benignitatis, abſente prorſus conditione, quæ in promiſſione ponitur. Hinc reſpondit magnitudini corruptionis magnitudo calamitatum, motus civiles, diſſidia inteſtina & feralia, bella cum exteris, Cananæis, aliisque populis vicinis, frequens ſervitus, vexatio, oppreſſio inde exorta, & quæ alia fuere juſtitiæ divinæ flagella. Vides quidem populum, dum eſt in anguſtiis, reſipiſcentem, fucate tamen & ad tempus, jugo hoſtili ſubductus mox ad ingenium redit.

§. 17.

§. 17.

Status vero Iſraëlitarum & politicus & eccleſiaſticus aliam induit formam, regnante *Davide* & *Salomone*, & in hac periodo promiſſionis veritatem conſpicere licet. Cœpta a Samuele inſtauratio doctrinæ, cultus, morum, a Davide eſt promota, a Salomone, donec erat hominum ſapientiſſimus, conſummata. Si quæ fuerunt inter Iſraëlitas idololatriæ reliquiæ, abolitæ ſunt. Suus vero Deo ſtabat honos, & ſingularis acceſſit cultui ſummi Numinis decentia & ſplendor, exſtructo templo, & rebus, quæ ad miniſterium divinum, ad religionem, legumque obſervantiam pertinebant, in ordinem redactis. Nævis nonnullis exceptis David Rex erat piiſſimus, & ad regis exemplum egregia vides in populo cognitionis, pietatis, amoris in Deum & reverentiæ erga mandata ejus ſpecimina, ſcriptis omne ævum laturis eccleſiæ relicta. Fuit ergo his temporibus ſua felicitas, quæ de exercitio benignitatis Divinæ erga millia teſtatur. In pleniſſimam hæreditatis Canaänis poſſeſſionem populus immiſſus eſt, limitibus protentis, fractisque hoſtium, Philiſtæorum, Moabitarum, Edomitarum, Syrorum &c. viribus. Tot fauſtis ſucceſſibus

res

res publica in tuto eſt collocata, & magna fuit *proſperitatis* omnis generis copia. Nulla *adſpexit* umquam populus lætiora tempora, nulla pacatiora & glorioſiora quam ſub Salomone. *Pacem & tranquillitatem*, *quæ* opulentiæ & vigoris alma fuit mater, *Deus diſpoſuit in Iſraële diebus ejus.* 1 *Chron.* XXII: 12. Quicquid habent elegantiæ & magnificentiæ in ſuo ſtylo prophetæ, rerum ſtatus florentiſſimos deſcripturi, ad typum horum *temporum* eſt depictum. Quam pulchre delineantur *Pſ.* LXXII. Cecidit vero omnis hæc gloria exorto in populo fatali ſchiſmate, de novo invaleſcente idololatria, & ita ad interitum inclinante republica. Nec tamen Deus promiſſionis a ſe factæ fuit immemor. Benignitatis ſuæ haud pauca dedit documenta in regno Judæ ſub Regibus, *Aſa*, *Joſaphato*, *Hiskia* & *Joſia*, quorum tempora celebritatem habent idolorum deſtructione, excelſorum & altarium remotione, templi & ordinis S. repurgatione, feſtorum, maxime paſchalis, revocatione, fœderis cum Deo renovatione, atque populo in ſacramentum adacto, & pietate regum exemplo accenſa, quo facto ira Dei contra Judam non ſolum eſt cohibita, ſed etiam χρηςο[illegible]. Divinam non uno modo expertus eſt populus, victoriis de hoſtibus reportatis, ipſo Deo pro populo pugnante, quiete re-

reſtituta, rebusque accifis in melius mutatis.

§. 18.

Hic vero non ſubſiſtimus. Multa diximus antea de populo in captivitatem abducto, quæramus porro implementum in illo ipſo populo, ſed reduce & ex carcere dimiſſo. Ob idololatriam caſtigatus ad longum tempus in ſaniorem mentem reverſus eſt. Manebat illud judicium Dei Zelotis, hæc iniquitatis patrum in filios viſitatio alta mente repoſta, & poſthinc, præcipue in ultimis captivitatis temporibus ſerio exules ſtultitiæ ſuæ pœnitebat, & in *mutatione conſilii* ſpei fulcimenta, *optimumque portum* quærebant, vid. *diſſ. mea* ad *Jer.* XXXI: 22. (*) & locis *p.* 114. citatis adde *Lev.* XXVI: 39. *ſqq.* *Pſ.* CXXXVII: 1. *Jer.* III: 16. XIX: 12–14. *Ezech.* VI: 9. &c. Hæc ab odio erga Deum ad ejus amorem converſio, hujus præſertim mandati, de ſculptilibus non colendis, obſervantia palam eſt facta, & cauſa fuit, quod Deus *benignitatem exercuerit*, revocando populum ex longiſſimo exilio, ut in Canaänem, terram deſideratam, poſſeſſionesque antiquas reduceret, quæ captivitatis ſolutio & populi reductio ut opus *benignitatis* Divinæ deprædicatur *Jer.* III: 7. Si ab initio

(*) *Bibl. hujus Cl. I. F. I. n.* 3.

tio non ſtatim exoptata fuerit rerum facies, intercedentibus hominum inimicorum machinis, pedetentim tamen, offendiculis ſuperatis, ſtatus Judæorum vigorem nactus emergere, & ad majorem perfectionem transformari cœpit, ſtructura templi tandem ad finem perducta, Hieroſolymis reædificatis, cultu ſecundum legis præſcripta inſtituto, multum contribuentibus Viris antiſtibus, *Esdra*, *Nehemia*, Prophetisque *Haggai*, *Zacharia*, *Malachia* zelo piiſſimo ad totius populi ejusque ſtatus reformationem & felicitatem. Egregie Prophetas de hoc ſtatu, liberationem populi ex captivitate ſubſequuturo eſſe vaticinatos omnino conſtat, ubi tamen obſervandus eſt canon, quem ſedulo inculcat maximus interpretum VITRINGA in *Jeſ.* T. II. *p. m.* 639. *a. adæquatum implementum prædictorum de florentioribus Judæorum rebus poſt inſtaurationem ab exilio demonſtrari in republica poſt afflictiones longi temporis vindicata in libertatem a Maccabæis.* Et quid prohibet, ut eluceſcat clariſſime promiſſi noſtri in populo reduce veritas, cogitare de his temporibus? Si vis, *qui Deum amant*, *qui mandata ejus obſervant*, reperire potes in *Chaſidæis*, qui magna animi fortitudine, & invincibili ſub diriſſimis perſequutionibus Epiphanicis conſtantia, imo vinculis, cruciatibus, ſanguinis vitæque di-

diſpendio, martyriis, ſuæ averſionis a cultu idololatrico & in cultu veri Dei fidelitatis illuſtria dederunt ſpecimina. Si præmia vis hujus conſtantiæ, vide ſimul *exercitia Divinæ benignitatis*, inſignia admodum Dei remunerantis teſtimonia, quæ hac temporum periodo fuere conſpicua, ſtupenda plane & extraordinaria, omnemque exſpectationem ſuperantia. Quot non triumphi de hoſtibus valentiſſimis, in fugam converſis per heroas Hasmonæos, bella Jehovæ gerentes! quot non civitates, arces, portus, inſulæ, Syrorum, Moabitarum, Philiſtæorum, &c. manibus extortæ! quot non gentes legibus & religioni ſubactæ! & quot non religionis exſplendeſcentis trophæa! templum ab inquinamentis purgatum, & cum ordine S. priſtinæ gloriæ reſtitutum; circumquaque Doctores, Scholæ, Academiæ; magna in ſcrutinio legis diligentia, in cognitione progreſſio, in obſervantia pietas, in idololatriæ deſtructione animoſitas; frequentes terræ incolæ & divites ex arborum & agrorum fructibus, lautisque ex commercio cum exteris proventibus; pax erat in terra, lætitia magna in Iſraële; Principes, ſenatus, populus Judæorum glorioſe habiti ad extremum usque terræ. Nominabantur hæc nomina ab inimicis trepidanter, laudabiliter ab amicis, & qui illi? Regum potentiſſimi,

mi, Rerum publicarum florentiſſimæ, Spartiatæ, *Romani.* &c. Longum foret per ſingula ire. Lege & mirare, quæ habet *autor librorum Maccabæorum*, & *Joſephus Hiſt. Jud.* L. XII. c. VII. ſqq.

§. 19.

Reſtant tamen dubia circa hanc promiſſionis, ad reditum ex captivitate, accommodationem, quam utique urgeo. *Millia* pro objecto habet illud Divinæ benignitatis exercitium, omnem populum. Minime vero locum habebat, quod eſt apud VIRGILIUM, *Aen. III. vſ.* 60.

Omnibus idem animus — excedere terra.

Maxima populi pars intuitu rerum domeſticarum in terris exilii ſe teneri paſſa eſt, maluitque certa fortuna uti, quam incertam ſequi. Verum enim vero & ſua reducibus fuit multitudo, ſua fuere millia, certe non poſtponenda, ſi fidei ſpeique argumenta ſpectas, ſi ardorem pro reſtituendo cultu publico, ſi fiduciam in promiſſa, populo facta & in Canaäne explenda, his illis ceteris, qui exire negabant, quamvis multum numeroſioribus, forte externa nobilioribus,

ſatque laute viventibus. Quam vero poſtmodum hæc reducum paucitas in ſtupendum excreverit numerum, prophetis id prædicentibus, *Jeſ.* IX: 3. *Jer.* III: 16. XXX: 18, 19. *Mich.* II: 12, 13. &c. civitatum frequentia, habitatorum abundantia, coloniæ undique terrarum ductæ, variæ gentes vicinæ ſubjugatæ, eorumque oppida occupata, & quæ hujus generis ſunt plura luculenter teſtantur, id quod omnem de voce *millium*, quæ eſt in ſanctione, captandi occaſionem præſcindit. Hos vero illos quod attinet, qui, cum potuiſſent, reverſi non ſunt, Divino conſilio renitentes, *num ipſorum infidelitas fidem Dei inanem reddet? abſit!* *Rom.* III: 3, 4. Et his ipſis, quotquot in amore veri Dei ejusque cultu periſtebant, & ſuas res fuiſſe, multaque Divinæ benignitatis τεκμήρια, ex hiſtoria notum eſt. A poſteriori patet, nec hæc exulum propoſita fuiſſe extra rationes divinæ Providentiæ. Mundus erat præparandus ad eventus illuſtres, juxta prophetias exſpectandos ἐν τῷ πληρώματι τοῦ χρόνου, & huic fini inſerviebat Judæorum διασπορὰ in regionibus exteris, & inter omnes populos, qui erant ſub cœlo.

§. 20.

Alia difficultas moveri poſſet, quæ illam implementi in reducibus ex exilio demonſtrationem concernit. Videtur ille ex Babylone in patriam remeatus tantum fuiſſe duarum tribuum, quid autem de X tribubus, quas numquam reverſas eſſe dicunt? *Promiſſio in ſanctione* hos limites non admittit; generalem habet ad totum populum reſpectum. Si vero nulli ex X tribubus reverſi ſunt, quomodo ſua in hoc articulo promiſſioni ſtabit veritas? Sed ego ipſe quæro, ſi nulli? quomodo ſua ſtabit veritas vaticiniis, quibus reductio ex captivitate eſt prædicta filiorum Judæ non ſolum, ſed etiam filiorum Iſraëlis. *Jeſ.* XIV: 1. *Mich.* II: 12. *Jer.* III: 12. XXX: 3, 4, 10, 18. XXXIII: 7, 13, 14. L: 4. LI: 5. & quæ ſunt reliqua? An ergo filii Iſraëlis adhuc reducendi ſunt? Ubinam vero terrarum illæ X tribus ſubſiſtunt? alicubi inveniri fabula eſt. Omnimoda jam a longo tempore tribuum fuit confuſio, uno Judæorum nomine, quotquot ſunt populi veteris reliquiæ, veniunt. Hic vero utique pro certo poni poteſt, multos Iſraëlitarum cum

duabus tribubus in Canaänem eſſe reverſos. Argumenta pro aſſerto ſiſtunt variæ in hiſtoria illorum temporum circumſtantiæ, edicti Cyri & Artaxerxis amplitudo, reducum in ſuis ſinguli urbibus inhabitatio, in ipſis patriis Iſraëlitarum terris inhabitantium multitudo, Samaria, Galilea, Decapoli, &c. teſtimonia *Joſephi*, multorum locorum in *Evangeliis*, librisque *Chronicorum*, *Esdræ* & *Nehemiæ* collatio, & quæ ſunt hujus generis cetera, a Viris Doctiſſimis, qui nobis heic otia fecerunt, demonſtrata fuſius, vid. USSERIUS *Annal. ad annum* 3468. CALMET *ſing. diſſ. in Comm. Litt. ad S. ſcript.* p. 356. L'ENFANT Vorbereitung über die Bücher des N. T. *p.* 16. WITSIUS *de* X *tribubus*, c. V. & alii. Nihil ergo obſtat, quo minus Iſraëlitarum æque ac Judæ in promiſſionibus de populo reducendo ſit habenda ratio, ſuntque ab exitu & captivitate non amplius ut duæ domus conſiderandi, ſed, quemadmodum fuit ab initio, ut una gens ſub uno ſenatu, iisdemque privilegiis vivens, & in unum reipublicæ & eccleſiæ corpus coaleſcens, quæ ob multas tribus Judæ præeminentias Judaica dicta eſt. Hæc proinde ſpecialis eſt ratio, quare Meſſias ſub nomine Davidis, uniusque Paſtoris & Regis uni huic populo promittitur *Ezech.* XXXIV: 23, 24. *Hoſ.* III: 5.

§. 21.

§. 21.

Sed hæc quoque hactenus. His vero peractis verſionis fidem, verborum ſignificatum, ſanctionisque pœnalis & præmialis implementum biga diſſertationum demonſtravi. De populo Iſraëlitico omnis fuit ſermo, *nec* aliam explanationem permit*tunt verba*, in ſuo reſpectu particulari & determinato conſiderata. Ea tamen in genere ſummi Numinis in regimine mundi eſt providentia, ut exercitio fungatur vel juſtitiæ vel benignitatis erga populos, prout ſunt eorum ingenia ac facinora, id quod palam facit per judicia aut beneficia temporalia, proſpera gentibus fata, aut ſortes infelices & ruinam afferentia. Populorum in hoc negotio alia ratio eſt, quam perſonarum. In conſummatione ſeculorum unusquisque reportabit ſecundum id, quod fecerit, ſive bonum, ſive malum. Tunc vero populi, ut populi, judicari nequeunt, judicandi ergo ſunt in hoc mundo, id quod alio, quam diximus, modo fierî non poteſt. Diſcant ergo, hoc exemplo admoniti, juſtitiam, nec temnere veræ religionis morumque ſanctiſſima præcepta.

In ſe ipſa ruunt rei omnisque ſalutis publicæ fundamenta, ſi in vitia ruunt. Eſt vero *in ſapientia*, qua *Deum cùm reverentia novimus*, & ſedulo curamus, quæ noſtri ſunt officii, *firmitas temporis*, *robur omnis ſalutis*, *theſaurus populi. Jeſ.* XXXIII: 6. *Juſtitia exaltat gentem*, *probro autem eſt nationibus peccatum. Prov.* XIV: 34.

II.

BENJAMINIS VILELMI DANIELIS SCHULZE,

CONJECTURÆ CRITICÆ

AD

ILLUSTRATIONEM

Pſalmi XXII: 13.

סבבוני פרים רבים אבירי בשן כתרוני:

ARGUMENTUM.

Proœmium §. 1. *Loca, quibus Reges & principes* taurorum, hircorum arietum &c. *nomine vulgo veniunt, ex Sacro codice adducuntur.* §. 2. *Quid per* פרים *&* אבירים *Pſalm.* XXII: 13.

13. *ſit intelligendum*, *inquiritur*, *utrum proprio verborum ſenſu* boves & tauri, §. 3. *An ſenſu allegorico* proceres, *vel* ſacerdotes? §. 4. *Reſpondetur ad argumenta, quæ pro ſenſu allegorico afferuntur* §. 5. *Nova verſiculi hujus exhibetur verſio* §. 6. פרים *h. l. ſignificatione propria notare* principes, *ſive* viros illuſtres, *probatur* a) *ex genio linguæ Hebrææ* §. 7. b) *ex Targum* §. 8. c) *ex Jeſ.* XXXIV: 7. §. 9, 10. d) *ex Jerem.* L: 27. §. 11. e) *ex Ezech.* XXXIX: 18. §. 12. f) *ex Amos* IV: 1. §. 13. *De ſignificatione vocis* אבירים *agitur* §. 14. *Verborum nexus conſideratur* §. 15, 16. *Davidem a proceribus Baſaniticis re vera fuiſſe cinctum, conjectura colligitur ex* 2 *Sam.* VIII. 1 *Paralip.* XVIII. §. 17. & *collatis Joſephi Antiquitatibus* §. 18. *ex Pſalmo* LXVIII. *evincitur* §. 19, 20. *Denique omnia ad Meſſiam apte quadrare affirmatur* §. 21.

α. ω.

§. 1.

Mirandum eſt omnino, multos Chriſtianorum Philologos ſuperſtitioni adeo eſſe deditos, ut quidquid Maſorethæ ſomniarunt, non ſolum uno ferme ore Græculæ echus inſtar, recantent, ſed multo etiam cum fervore, quaſi pro aris & fo-

cis

cis ſit pugnandum, defendant. *Vix intelligitur, qua ratione natio Chriſtianorum circulis grammaticis in transverſum abripiatur, & quaſi in captivitatem abducatur, quum tamen inter omnes conſtet, Chriſtianos in notitia linguæ Hebrææ longe præſtare Grammaticis illis, qui Maſorethorum appellatione inſigniuntur. Quod ſi Deus ſingulari ſua providentia per illorum conatus volumina V. T. ſarta ac tecta continuare voluit, cur idem auxilium Evangeliis & Apoſtolorum epiſtolis denegavit? Hic nulli reperiuntur Maſorethæ, quum tamen iidem libri ejusdem ſint auctoritatis, nec minoris in rebus ad ſalutem neceſſitatis*, graviſſime pronuntiat Neſtor noſter, maxime Reverendus HEINIUS, in *Syntagmate prælectionum Joachimicarum anni* 1766. Quum omnes fere artes & ſcientiæ a renatis inde literis aliam induerint faciem, codicis tamen Sacri culturam prorſus eſſe neglectam, merito dolemus. Ea autem noſtræ ætatis eſt felicitas, ut quidam Critici, aliis acutiores, ſuperſtitionis tantæ propugnatoribus, ſumtis animis cornua obvertant. Jam ſatis clare perſpicitur, codicem Sacrum multis in locis, librariorum incuria & oſcitantia, mirum in modum eſſe depravatum; nulla in literis majusculis atque minusculis, in ſuſpenſis & inverſis, quærenda myſteria; multa ſacri Codicis loca ex codicibus manu

ſcriptis, & antiquis verſionibus atque Critices beneficio poſſe reſtitui; jugum, a Maſorethis nobis impoſitum, eſſe excutiendum. κ. τ. λ. Sed quoquo modo ſe illud habet, firmiter mihi eſt perſuaſum, omnem operam in eo eſſe collocandam, ut Sacer textus a librariorum mendis, & Maſoretharum nugis liberetur, atque priſtino ſuo reſtituatur nitori. In *Critica*, ante biennium edita, multa S. Codicis loca e *Gerſoniana* editione ſanavi, inſtitutumque meum ſanioribus Criticis haud diſplicuiſſe, magnæ mihi fuit voluptati. (*) In præſenti illud operam dabo, ut loca quædam, de *Regibus* & *Principibus* agentia, ſυμφιλολογούντων disquiſitioni ſubjiciam.

§. 2.

(*) Quum ego formulam Judæis ſolemnem כתיב ולא קרי in Critica mea p. 44, 45. fuerim interpretatus: *ſcriptum eſt, ſed ne lege:* ab amico ſum monitus, particulam לא in lingua Hebræa minus convenire Imperativo, ſed futuro ſemper jungi, ita ut nunquam dicatur לא קרא, ſed לא תקרא. Grate accipio hanc admonitionem. Nuntium igitur mitto meæ interpretationi; nec vero ſententiæ quam adhuc ſum tuitus. Quum participia præteriti temporis ſæpiuſcule pro futuro uſurpentur, hunc etiam ſenſum locum hic habere exiſtimo. Mea igitur ſententia קרי commode poteſt

§. 2.

Qui Codicem Sacrum, lingua Hebræa exaratum, non levi, ſed quo decet ſtudio, neque præjudicatis abreptus opinionibus, ſed judicio acri, & a vulgi intelligentia remoto, tractat, multis in locis, quibus Regum ac principum fata deſcribuntur, hæſitabit. Quoties enim leget, Reges & *principes taurorum*, *hircorum*, *arietum &c.* nomine inſigniri, toties ejus animum ſubibit admiratio, atque ſtatim quæret, hem! quæ analogia inter Reges atque inter tauros & hircos? Si autem quæras, quænam ſint illa loca, quibus Reges boum, ſive taurorum nomine veniant, duo tantum, aut tria, brevitatis cauſa excitabo. Conferas igitur velim *Jeſ.* XIV: 9. *Lutherus* vertit: alle böcke der Welt. *Zachar.* X: 3. *Lutherus:* ich will die böcke heimſuchen. & perquam clare *Amoſ.*

poteſt verti: *legendum eſt*; & כתיב ולא קרי *ſcriptum eſt, ſed non legendum*; & denique קרי ולא כתיב *legendum eſt* —— *ſed non id, quod ſcriptum eſt.* Participia autem præteriti temporis hanc notionem admittere, probo ex *Pſalm.* CXXXVII: 8. (Conf. GLASSII Philolol. ſ. p. 921. & CLERICI Comment. ad hunc locum) porro ex *Judic.* V: 27. *Jerem.* IV: 30. *Geneſ.* XXVII: 15.

Amoſ. IV: 1. *Lutherus:* Höret dis wort / ihr fetten Kühe / die ihr auf dem berge Samaria ſeyd. In ſequentibus occaſio ſeſe nobis offeret, prolixius in hæc loca inquirendi. Idem ante aliquot annos vidit Celeberrimus KENNICOTT, inſigne Britanniæ decus. Quum enim in priori ſua Diſſertatione de vocabulo שׁאר, ad 1 *Paralip.* XI: 8. multa cum eruditione egiſſet, feliciſſime conjectat. p. 44. *Geneſ.* XLIX: 6. primitus ſcriptum, & propterea adhuc eſſe ſcribendum שָׁר, pro שׁור, quod *bovem*, aut ex BUXTORFII in *Concordantiis* ſententia, *murum* ſignificat.

§. 3.

Inter tot loca attentione in primis digna mihi videntur verba Davidis, quæ *Pſalm.* XXII: 13. legimus: סבבוני פרים רבים אבירי בשן כתרוני: Beatus *Lutherus* hæc vertit: Groſſe farren haben mich umgeben / fette Ochſen haben mich umringet. Ejusdem tenoris omnes fere ſunt verſiones, quas Doctiſſ. BRIANUS WALTONUS *in Bibliis Polyglottis* exhibet, præter *Targum. Chaldæus* enim *Paraphraſtes habet*, עממיא דמתילין לתורין & רברבני מתנן *circumdederunt me populi, ſimiles tauris multis, principes Baſan vallaverunt me.* Forſan igitur tanti malorum mon-

tes

tes in Davidem, rei pecuariæ olim peritiſſimum, irruerunt, ut vituli etiam atque juvenci & tauri eum obſederint; ſed quis hæc κατὰ τὸ ῥηθὲν intelligeret? Tantæ mihi hic videntur eſſe difficultates, ut iis emergendi vix ac ne vix quidem ſit locus. Hoc addo, me iterum atque iterum, non ſine ſtomacho, animadvertiſſe, ἐμπαίκτας, quantus autem horum eſt numerus! in templis noſtris ex *Lobwaſſeri* pſalterio canentes:

Viel ochſen jung und ſtark mich gar umringen /
Die ochſen fett von Baſan auf mich dringen /

in riſum fuiſſe effuſos. Quæ quum ita ſe habeant, operæ pretium erit, verum obſcuriſſimi hujus loci ſenſum ſtudioſe inveſtigare.

§. 4.

Quum ex veterum verſionibus nulla lux in hiſce tenebris affulgeat, viros doctos, in hæc Davidis verba commentantes, conſulamus, num forte ex eorum luce lux aliqua nobis poſſit accendi. Celeberr. SAL. A TILL, Theologus olim Lugdunenſis, in Commentario ad h. l. per boves & tauros intelligit *ſacerdotes & populi proceres*. A ſcopo meo non erit alienum verba ejus ex verſ.

verſ. Germ. addamus: Als er (Meſſias) in dem Hof Caiphä [illegible] / und [illegible] / und vor dem [illegible] Pilato beſchuldiget wurde / konnte er mit Wahrheit ſagen / daß ihn groſſe Farren umgeben / nemlich die Hohenprieſter und Schriftgelehrten / daß ihn feiſte Ochſen umringet / welche die ärgſten und ſtärkſten des Volks / wegen [illegible] auch Herodes kam. GLASSIO bos & taurus violentus, crudelem & ſuperbum hoſtem, notant, philolog. ſ. p. 1776. Similia fere habet Doct. GEIERUS; *Eſt*, *inquit*, *hic metaphorica locutio*, q. d. *circumdederunt me illi*, *qui ſimiles ſunt juvencis ferocibus*. Validi Baſanis GEIERO ſunt *homines*, *qui ſimiles ſunt robuſtiſſimis Baſanis*, *regionis pinguiſſimæ*, *tauris*. CLERICUS utroque nomine *viros potentes* indicari exiſtimat, *qui aderant Sauli*, *ſi res de Davide exponatur*; *ſi autem de Chriſto*, *Judæorum proceres*, *quaſi Davidem & Chriſtum cornibus impetituri*, *iisque eſſent minantes*. Clar. EWALDUS in *Emblemat. Sacris* libr. 6. exercit. 1. de *bove triturante Symbolo Doctorum N. T.* non ſolum פרים & אבירים de *Meſſiæ hoſtibus* exponit, verum etiam ex taurorum cornibus, oculis, pellibus, mugitu, robore, jugo, pabulo & id genus aliis, multa quidem cum eruditione, ſed non ſine lectorum tædio, prolixe probat, per boves & tauros, ſenſu myſtico, aut, ſi mavis, Symbolico, *evangelii Doctores* depingi. Sed in recenſendis aliorum ſententiis quo minus longior ſim, temporis

poris prohibet anguſtia. Ex his, quæ adduxi, ſatis ſuperque patet, viros doctos in h. l. a proprio verborum ſenſu recedere, atque per ἀλληγορίαν utrumque vocabulum de *Judæorum Sacerdotibus* & *populi proceribus* interpretari. Cornua potentiæ eſſe Symbolum, atque pro Regum & principum inſignibus habenda, ex ſacris literis abunde conſtat. Aſtartés exemplo, tauri caput, *βασιλείας παράσημον*, tanquam inſigne regium capiti ſuo imponentis, & ex numis, ſic dictis, cornutis fuſius hoc probarunt Clar. ZORNIUS in *Biblioth. antiquario-exegetica* p. 109. & in der Erörterung der ſchwerſten Schriftſtellen im alten Teſt. t. 1. p. 89. & alii, quos inter Fratrem Optimum, Rectoris munere in Academia Viadrina h. t. fungentem, præcipue refero, qui multa, ad hoc argumentum pertinentia, adduxit in *Exercitationibus Philologicis*, Berolini 755. editis, exercit. VI. *de capite taurino, antiquiſſimo Francorum inſigni*. Præterea nullum mihi eſt dubium, luxurians ingenium aliquam taurorum cum principibus atque Doctoribus poſſe reperire convenientiam. Sed ut verum ingenue fatear, certum eſt, pleraque adeo eſſe abſurda, ut nihil abſurdius excogitari poſſit. Conferatur, ſi placet, *Ewaldi* modo allegata exercitatio. An autem ex analogia, quæ inter emblema, & rem emble-

blemate depictam, intercedit, legitime ſequatur, illius denominationem huic ſemper eſſe tribuendam, aliis dijudicandum relinquo. Sic e. g. Chriſtus, ſenſu allegorico, in S. literis perquam commode vocatur, *paſtor*, *agnus*, *vitis*, *porta*, & ſ. p.; at, quum quædam ſerpentis, a Moſe in deſertis erecti, cum Chriſto, in crucem ſublato, obſervetur convenientia, num inde Chriſtum appellare licebit *Serpentem?* abſit, immo longiſſime abſit! Diabolus eſt Serpens; nec vero Servator. Apoſtolum Paulum evangelii Doctores bovi trituranti 1 *Cor.* IX: 9. 1 *Tim.* V: 18. conferre conſtat: ergone autem Doctores vocandi *boves?* Quid eſſet abſurdius, quam angelum eccleſiæ Laodicenſis appellare, *taurum* hujus eccleſiæ? Maximi apud me ſunt ponderis verba THEOD. HASÆI, Doctoris S. literarum in eccleſia Bremenſi olim Celeberrimi, in *Bibliotheca Brem. Claſſ. I. faſcic.* 1. *p.* 38. *ſq. Quemadmodum, quando v. gr. adventus Chriſti adſimilatur adventui furis nocturni, male inde colligeres, Chriſtum furem dici nocturnum, cum tantum ea phraſi indicetur, Chriſtum olim ſubito ac præter omnium expectationem appariturum; ita quando Chriſtus adſimilatur capreæ, vel hinnulo, cave putes, illum his nominibus appellari, quamvis eccleſia calidis votis exoptet, ut olim eccleſiam ſuam liberatum venturus & ſ. p.*

ſ. p. Plura adderem, niſi objectionibus, quæ contra hanc ſententiam poſſent formari, jam ſatisfaciendi eſſet animus.

§. 5.

Audio mihi inſurgentes; cur verbi divini præcones non poſſunt vocari *tauri?* nonne Reges & principes per ἀλληγορίαν eodem gaudent nomine? Philippus, Rex Macedoniæ, ab ipſo oraculo hoc nomine fuit inſignitus; hoc enim tulit reſponſum: ἔστεπται μὲν ὁ ταῦρος, ἔχει τέλος, ἔςαι ὁ θύσων h. e. *taurus coronatus eſt, finem habet, erit qui mactet.* Sed ſi rem accuratius penſito, ex oraculi reſponſo minime elicitur, ipſum Philippum dici *taurum.* Hic tantum oraculi eſt ſenſus: quemadmodum tauro, diis immolando, corona ſolet imponi, eum in finem, ut coronationem ipſa excipiat mactatio: ita, o Rex, finis tuus jam inſtat; brevi aderit, qui te interficiet. (*) Alia eſt objectio, ex S. literis petita, videlicet, Principem Sichemum, a Simeone & Levi interemtum, *Geneſ.* XLIX: 6. appellari שׁוֹר *bo-*

(*) De hoc ritu conferatur WOLFIUS *Cur. Crit.* ad *Actor.* XIV: 13. & quos ibi allegat auctores.

bovem. (**) Lectioni huic favet Samaritanus. *Lutherus* vertit: in ihrem muthwillen haben ſie den Ochſen verderbet: Οἱ ἑβδομήκοντα habent: ἐνευροκόπησαν ταῦρον, *ſubnervarunt taurum*, quod *Clericus* ita explicat: *ſucciderunt poplites, aut ſuffragines taurorum, quo maleficio operi ruſtico prorſus inutiles fiebant. Vulgatus, Onkelos, Syrus* & *Arabs* interpretes legerunt שׁוּר, vertentes: *ſuffoderunt murum. Angli: they digged down a wall.* Sed recte obſervavit celeb. KENNICOTT, ut §. 3. monui, pro שׁוֹר vel שׁוּר, legendum eſſe שַׂר, ſenſu aptiſſimo: *& petulantia ſua exſtirparunt* PRINCIPEM. conf. *Gen.* XXXIV: 25. Huc accedit, quod in textu ſacro taurorum Baſanis

(**) Græcos quidem omnia quæ magna ſunt vocare βόεια, priſcosque Latinos bovem Lucam de *elephante* uſurpaſſe, conſtat. Sic βούλιμος, βούπαις, βουκέφαλος. Ipſa igitur Juno HOMERO audit βοῶπις. Græcis porro antiquis ταῦρον fuiſſe nominatum, quidquid erat magnum, & a tauris *Taurum*, Aſiæ montem, dictum, quod magnus eſſet, obſervat celeb. ARNOLD. DRAKENBORCH in notis ad *Silium Italicum* p. 102. Hinc HOMERUS ſuos heroës paſſim vocat βοῦς. Sed ex hoc Græcorum more ſacra oracula illuſtrare haud audeo, præcipue quod nullum poſſit afferri argumentum, Hebræorum פר *intendendi* habere ſignificationem, quam Græci in uſu vocabuli βοῦς frequentant.

nis inprimis fiat mentio. Davidem ſacerdotum *corona* Hieroſolymis fuiſſe cinctum, lubens *li*bensque largior; ſed de ſacerdotibus *Baſanitidis* in codice Sacro, licet boves regionis hujus transjordanæ celebrentur, altum eſt ſilentium. Qui homines impios, crudelesque hoſtes, in Sacris literis *boves & tauros* vocari ſtatuunt, mihi ſatisfacere non videntur; probandum enim eſſet, homines ita animatos hoc nomine re vera inſigniri, quod vix probabitur. Vaſtiſſima orbis imperia apud *Danielem* capp. VII. & VIII. imagine hieroglyphica, quatuor animalibus depingi, negare haud auſim; ſed denominationem inde petere, prorſus mihi eſt abſonum. Quum ſeptem pingues totidemque macræ boves, Pharaoni in ſomniis olim viſæ, anni ubertatem atque ſterilitatem ſignificarint, an annos uberes inde appellare licebit *vaccas pingues*, & ſteriles, *vaccas macras?* nequaquam. Hæc mihi adeo certa ſunt, ut Lectoris patentia viderer abuti, ſi hic eſſem verboſior. Quod ſi autem quis, nulla horum, quæ adduxi, habita ratione ſua in ſententia perſeverans acrius defenderet, Reges ac Principes a Sacris ſcriptoribus boves & tauros haud incommode vocari, patrocinium ſententiæ meæ libenti animo deſeram. Hoc autem mihi, ut ſpero, Lectores æqui largientur, nativam ac propriam

 ver-

verborum ſignificationem metaphoricæ longe eſſe anteferendam.

§. 6.

Ex his quæ brevibus diſceptavi, Lector facile perſpiciet, multas eſſe difficultates, quæ ſenſui inſunt allegorico. Quid igitur agendum? Unde lux in hiſce tenebris petenda? An violentam manum textui ſacro inferemus? abſit! Attamen non eſt, quod deſperemus. Metamorphoſi tantum hic opus eſſe exiſtimo, non ea mente, ut cum Ovidio, Poëta ingenioſiſſimo,

In non credendos corpora verſa modos,

fabulis effingam; aut per incantationem, præſtigiatorum more, nova producam monſtra; ſed ut vocabula Hebræa, falſo adhuc intellecta, aut a librariis corrupta, ex ampliſſimo Philologiæ penu, nova quaſi forma, ſive facie induam. Quid? ſi pecora in *homines*, & animalia bruta in *Principes* tranformavero, nonne magna erit metamorphoſis? Ne Lectorem per longiores teneam ambages, boves converto in *Principes*, in *viros illuſtres*; & tauros in *viros potentes*. Faceſſant igitur beſtiæ cornigeræ, earumque in locum Principes atque viri, poten-

potentia *pollentes*, ſuccedant. Tauris in *principes* transformatis, non ſolum omnia pleno *fluent* alveo, ſed proprius etiam verborum ſenſus, qui, me judice, ſemper præferendus, locum ſuum tuebitur. Accipe igitur, Lector, meam verſionem: *circumdederunt me principes multi, potentes Baſanitidis cinxerunt me.* Meum jam erit, ut ex linguæ Hebrææ indole, & aliis argumentis, probabilitate ſua haud deſtitutis, Davidis verba ſic eſſe intelligenda, demonſtrem.

§. 7.

Maxima difficultas verſatur in vocabulis פרים & אבירים. Prius ab omnibus, quos mihi videre licuit, interpretibus, redditur per *boves*, poſterius per *tauros*, aut in genere per *robuſtos*. Ego operam dabo, ut verum utriusque vocabuli ſignificatum, tam ex linguæ Hebrææ genio, quam ex aliis Sacri codicis locis, qua licet, brevitate, eruam. Quod ad priorem vocem attinet, alii eam derivant a פרה, *fecundus fuit*, alii a rad. Arab. פרר *fidit;* aliam derivandi rationem dabit BOCHARTUS, vir omni laude major, in HIEROZ. *parte I. p.* 278. Omnes igitur Philologi cum antiqui, tum recentiores Hebræum פר & פרה de *tauro* tantum

& *juvenca* explicant; ſignificatus autem *principis* atque *viri illuſtris*, ſenſu proprio, ignotus eſt omnibus. Equidem clar. STOCKIUS noſtrum פר proprie notare *vitulum*, deinde metaphorice, ob petulantiam, ferociam, & robur deſignare *principes*, atque *ſeculi hujus magnates* ſtatuit. Sed quum convenientia taurorum cum Regibus mihi admodum ſit ſuſpecta, certiora jam afferendi eſt animus. Vocabulum פר in S. literis mihi videtur eſſe πολύσημον, atque pro diverſitate radicis duos potiſſimum habere ſignificatus, primo *bovis*, deinde *principis*. Unde פר ſignificatione *bovis* deducatur, me non juvat inquirere. confer STOCKII *Clav. p.* 863. SIMONIS Lexicon manuale p. 790. & Doctiſſ. mihique amiciſſimi BOYSEN Beyträge zu einem richtigen Syſtem der Hebräiſchen Philologie. *t.* 2. *p.* 410. De eo duntaxat ero ſollicitus, ut inquiram, quæ ejus ſit radix, ſi pro *principe* in S. literis ſumatur. In lingua Hebræa notiſſimum eſt verbum פאר, quod in conjugatione Kal quidem inuſitatum, ſed in Pihel *ornare*, *honorare*, *glorificare* ſignificat. conf. SIMONIS *Lex.* p. 756. Ab hac radice deſcendunt פְּאֵר *ornamentum capitis*, videlicet cidaris, tiara; porro תִּפְאֶרֶת & תִּפְאָרָה *gloriatio*, *gloria*; hinc 70 interpretes פאר reddidere per δόξα, ἔνδοξος, ἐνδοξάζω, ὑψόω,

ὑψίω, conf. TROMMII *Concord.* Quid igitur impediet, quo minus adjiciamus פְּאֵר novoque huic vocabulo *principis*, *viri illuſtris* ſignificatum demus. Si formam reſpexeris, nomen eſſet formæ פֶּקֶד. de quibus vid. SIMONIS *Arcan. form. p.* 156. Nec igitur radix, nec forma mihi adverſabuntur. Præterea literam א ex Syrismo crebro deficere, inter eruditos conſtat. Sic pro לְאֹם ſæpius legitur לֹם ; בּוֹר pro בְּאֵר ; שֵׁן pro שְׁאָן (*) תּוֹמִים pro תְּאוֹמִים ; בְּרוֹת pro בְּאֵרוֹת ; שָׁטִים pro שְׁאָטִים ; רֵמִים pro רְאֵמִים. Eodem modo ex פְּאֵר formaremus פַּר, in feminino פָּרָה, & in numero multitudinis פָּרִים. פָּרוֹת. Omnia jam quoad linguæ analogiam eſſe plana, nullam habet dubitationem.

§. 8.

Nec vero ſufficit, ut linguæ Hebrææ mihi tantum faveat analogia; plura potius argumenta, ad ſententiam hanc ſtabiliendam, ſunt

(*) Confer SIMONIS *Onomaſt. p.* 108.

ſunt afferenda. Quum Sacræ literæ ex *Paraphraſte Chaldæo* nova luce ſubinde colluſtrentur, quod præ aliis oſtendit celeb. MICHAELIS, Goettingenſis Academiæ decus, forſan etiam mihi continget, ut lumen de hoc lumine accendam. Tria in hoc interprete obſervavi loca, quæ interpretationem meam comprobant. Primus eſt *Jeſ.* XXXIV: 7. In textu Hebræo legitur: וירדו ראמים עמם ופרים עם אבירים *& deſcendent unicornes cum eis & juvenci cum tauris. Lutherus* vertit: da werden die einhörner ſamt ihnen herunter müſſen / und die farren ſamt den gemäſteten ochſen. *Chaldæus* autem ראמים interpretatus eſt per גברין *fortes*; פרים per שלטונים DOMINATORES; אבירים per טורנין *duces*. Sic vertit: *& occidentur fortes cum eis & dominatores cum ducibus.* Secundus eſt *Jerem.* L: 27. חרבו כל־פריה *occidite univerſos vitulos ejus.* B. *Lutherus:* erwürget alle ihre Kinder. *Chaldæus* pro פריה adhibet גברהא & vertit: *diſperdite omnes* FORTES *ejus.* Interpretationi huic accedit *Vulgatus*, vertendo: *diſſipate univerſos fortes ejus.* Tertius eſt *Ezech.* XXXIX: 18. in quo hic *Paraphraſtes* Hebræum עתודים פרים itidem reddidit per טורנין גברין *duces* FORTES. Ex his admodum veri eſt ſimile, me Chaldæum interpretem habere ſuffragatorem.

torem. Loca hæc excitata digna mihi videntur, quæ prolixius excutiam, præcipue quum ea ſententiam meam confirmatura videantur.

§. 9.

Primus locus, in quo vox Hebræa פרים minime de *juvencis*, ſed potius de *viris illuſtrioribus* explicanda, eſt *Jeſ.* XXXIV: 7. Pathetica judicii Divini, in Idumæos exercendi, hic legitur deſcriptio. Propheta ſtilo utitur adeo ſublimi, ut lector in ſummam rapiatur admirationem: Ita legimus:

vſ. 5. *Quum irrigatus fuerit in cælo gladius meus, ecce contra Edomum deſcendet, & contra populum anathematis mei ad judicium.*

6. *Gladius Jehovæ plenus erit ſanguine, pinguis fiet ex adipe, e ſanguine agnorum & hircorum, ex adipe renum arietum, quia ſacrificium* (fiet) *Jehovæ Bozræ, & mactatio magna, in terra Edom.*

7. *Et deſcendent unicornes cum illis, & juvenci cum tauris, & inebriabitur terra eorum ſanguine, atque pulvis eorum adipe pinguis fiet.*

Idumæi, eorumque inprimis Principes, iniquitatibus ſuis iram Dei provocaverant. Deus gladium veluti ſuum in cælo acuerat,

ad pœnas ab iis repetendas, quo reges & principes atque populi proceres percuteret. Qui hæc Prophetæ verba conſiderat, ſtatim animadvertet, de Principibus atque viris, in ſummo dignitatis faſtigio collocatis, nihil hic legi, ſed tantum *agnos*, *hircos*, *arietes*, *unicornes*, *juvencos* & *tauros* in cenſum venire. Ipſe igitur STOCKIUS, ad metaphoricam vocis פר ſignificationem probandam, hunc locum adduxit. CLERICUS, vir doctiſſimus, exiſtimat, per mactandas pecudes *Idumæos*, & potiſſimum Proceres eorum, eſſe intelligendos. Hæc ejus ſunt verba: *Res hic deſcribitur ſub imagine ſacrificii, in quo variæ pecudes mactantur, & præſertim pingues, quarum nominibus intelligendi ſunt Idumæi, potiſſimum proceres.* Verum an inexplicabilis nodus hac ratione ſolvatur, vehementer dubito. Per agnos, hircos, juvencos & tauros *Idumæorum proceres* a propheta indicari, vix mihi poſſum perſuadere. Quum agnorum attributa a ſacris & profanis ſcriptoribus uno ore prædicantur, cur propheta hoc emblemate, ad improbos atque devotos homines depingendos, uteretur? Aut nihil hic video, aut certum eſt, vaticinium hoc magna indigere emendatione. Agedum! quas in formas hircos & tauros transmutabimus? extemplo nova prodibit forma. Agnos, videlicet, conver-

to

to in *Reges*; hircos in *duces populi*; arietes in *viros fortes*; unicornes in *optimates*, in *viros magna dignitate pollentes*; juvencos in *viros illuſtres*; tauros denique in *viros præpotentes*, *in heroës*. Mira tibi, mi Lector, hæc videbitur, metamorphoſis; ſed non deſunt rationes, quibus ea fulciatur.

§. 10.

Quum veram harum vocum ſignificationem eruere præſtet, initium faciamus a כרים. Vocem Hebræam כר primo *agnum*, ſive *arietem* deſignare, atque a motu ſaltatorio nomen habere; deinde notione *Principis*, & *ducis* in S. literis ſumi, omnes inculcant lexicographi. conf. *max. Rev* BOYSEN, *l. c. p.* 210. STOCKIUS in *clave linguæ ſanctæ V. T.* hanc reddit rationem: *quia* כר *videtur ſumtum fuiſſe pro eximia quadam ovium prole, hinc transfertur etiam ad ſignificandos duces, primores, principes. p.* 551. Significatio *principis*, ſive potius *Regis*, ex lingua Arabica mihi videtur petenda. Radix enim כור apud Arabes in conjugat. Octava notat: *cidarim induit*, *cidarim indutus fuit*. conf. CASTELLUS & GOLIUS. Cidarim autem ornamentum eſſe capitis Regum orientis, neminem fugit. Mea igitur ſententia, voci כר duo ſunt tribuendi ſignificatus, primo

agni

agni & *paſcui*, in quo nutriri ſolent pecudes, a radice כרר *ſubſiliit*; deinde *Regis*, *ducis*, *principis*, a radice Arab. כור. LXX. ſeniores vocem Hebræam 2 *Reg*. XI: 4, 19. retinuere; legimus enim in eorum verſione Χοῤῥὶ, quaſi ſit nomen proprium. *Targum* autem habet: גבריא *viros fortes*, & *Arabs: heroes*. *Lutherus*: Hauptleute. confer CLERICUS ad *h. l.* Vocem hanc ita etiam intellexit *Chaldæus Ezech* XXI: 22. IV: 2. Siquidem vertit אפרורין, quod BUXTORFIUS in *Lexico Chaldaico-Talmudico* explicat: *duces*, *præfecti militiæ*, & addit, R. SALOMONEM כרים exponere per שרים *principes*. Chaldæo ſuffragantur SEBAST. SCHMIDIUS & GUSSETIUS, Theologus olim Groninganus, in *commentario linguæ Hebrææ*. Idem ſignificatus forte etiam locum habet in Jeſaiæ vaticinio adverſus Moabum c. XVI: 1. A re non erit alienum, PFEIFERI verba adducere ex *Dubiis vexatis* p. 693.: *quoniam* כרים *alias ſunt arietes*, *gregum duces*, *quidam hic per* כר *intelligunt ducem quendam*, *ſeu magnatem*. *Ita R. Salomo ben Melech*. *Vocatur ita* dux & *magnas metaphorice*, *quomodo per eandem metaphoram vocari ſolent* אילים & עתודים. *eſtque h. l. nomen abſolutum*. Mihi h. l. ipſe Moabitarum Rex videtur eſſe intelligendus. Ego verterem: *mittite Regem*, *dominatorem terræ*, *e petra deſerti* i. e. metropoli Moabi-

tidis,

tidis, *ad montem filiæ Zionis.* h. e. Hieroſolyma. *Si*quis hunc locum, ipſumque contextum conferre haud gravaretur, nullus dubito, interpretationem meam calculum eſſe laturam. Conſentit PAGNINUS in *Theſauro*, opera *Merceri* & aliorum edito, p. 1215. vertendo: *mittite Ducem*, aut *principem*. Sed hæc mihi de כרים dicta ſunto.

Tranſeo ad עתודים. Vocabulum hoc non ſolum pro *hircis*, ſed metaphorice etiam pro *populi ducibus* ſumi, res eſt adeo certa, ut nulla indigeat probatione. Conferantur lexica & in primis Doct. *Boyſen l. c. t. 2. p. 385.* Loca, ex quibus hic ſignificatus evincitur, ſunt clariſſima. Qui *Jeſ.* XIV: 9. & *Zach*. X. 3. עתודים de *hircis* explicandum ſuſciperet, multum profecto ſibi faceſſeret negotii. Vulgatus, LXX. & *Syrus Jeſ.* XIV. habent: *principes terræ*, ἄρξαντες τῆς γῆς. Porro עתודים conjunguntur cum Regibus, quibus ſolium adſcribitur. *Jonathan Zachar.* X. רעים reddidit per מלכיא & עתודים per שלטוניא. Bene igitur *Clericus* ad verba Jeſaiæ: עתודי *proprie capri* vel *arietes*; *qui quum ſint duces gregis*, *proceres etiam*, *tralaticio ſignificatu*, *ſic vocantur*, ut *hic*, *quod ſequentia verba oſtendunt*. Perquam accommodate igitur vertit: *excitavit*, *tui cauſa*, *mortuos* & *omnes pri-*

eos in ſuo codice רְאֵמִים legiſſe. Ἁδρον autem ſignificare *magnum*, *potentem*, docent Lexica; hinc LXX. illud adhibent pro Hebræo גדול & pro שר *Jobi* XXIX: 9. confer. TROMMII *Concord. t.* 1. *p.* 32. SUIDAS ἁδρότης exponit per ὑψηλότης *tom.* 1. *p.* 58. *edit.* KUSTERI.

רְאֵמִים excipiunt פרים, quod alii de *juvencis*, ego autem de *viris illuſtrioribus*, ſignificatione a radice פאר petita, interpretor. Quum §. 7. de etymologia & forma, atque nativa vocis hujus notione egerim, in præſenti plura addere haud erit neceſſe.

Succedunt denique אבירים. Communibus fere Philologorum ſuffragiis recepta eſt ſententia, hanc vocem primo pro *tauris*, deinde pro *viris prævalidis*, *præpotentibus* & *heroibus* ſumi. Plura de אבירים afferendi §. 14. erit locus.

Nihil igitur ſupereſt, quam ut ipſam illuſtris hujus vaticinii exhibeam interpretationem. Sic verto: *verſ.* 6. *Gladius Jehovæ plenus erit ſanguine, pinguis fiet ex adipe, e ſanguine Regum & ducum populi, ex adipe renum virorum fortium, quia ſacrificium* (fiet) *Jehovæ Bozræ, & mactatio magna in terra Edom.*

7. *Et deſcendent optimates cum eis & viri il-*

illuſtres cum præpotentibus, & inebriabitur terra eorum ſanguine atque pulvis eorum adipe pinguis fiet.

Hæc omnia apte inter ſe cohærere, & Prophetæ ſcopo eſſe convenientia, quivis, me non monente, perſpiciet.

§. 11.

Secundus locus, quo vocula פר notionem *principis*, ſive *viri illuſtris*, habere videtur, eſt *Jerem.* L: 27. Deus hoc in vaticinio Regi & toti Babyloniorum genti pœnas minatur graviſſimas, magnam ſe, videlicet e ſeptentrionis terra, adverſus Babylonem excitaturum turbam gentium. Aperuiſſe ſe apothecam ſuam, iræque ſuæ omnia depromſiſſe inſtrumenta; tum pergit Propheta verſ. 27. *occidite omnes ejus juvencos, deſcendant ad mactationem, væ illis! quia venit eorum dies, tempus viſitationis eorum.* Ergone Deus Babyloniorum iniquitates viſitaturus, vitulos tantum, ſive juvencos, vellet occidi? Eſtne tempus a Deo conſtitutum, quo tauros & boves affligat? Quinam ſunt fugientes e terra Babylonica, quorum vox audietur? *verſ.* 28. num boves, quis hoc crederet? *Lutherus*, forſan ex verſione LXX. *interpr.* vertit: erwürget alle ihre Rinder / conferantur *Pentapla.* Miror

autem in *Canſteinii* atque *Pfaffii* editionibus legi: erwürget alle ihre Rinder. *Chaldæus* paraphraſtes, quod §. 8. obſervavi, habet: שיציאו כל־גברהא *diſperdite omnes fortes ejus*, quicum facit *Vulgatus*. In verſione *Catholica*, quam *Pentapla* exhibent, legitur: Zerſtreuet alle ihre Starcken/ & in *Judaica*: derſchlagt mit dem ſchwerdt alle ihre Herren. Secundum Biblia, *Hagæ Comitum anno* 1556. ante Synodum Dordracenam edita: Rinder; ſed in Bibliis ab hac Synodo probatis: *Varren*. In Collatione, inter editiones, quæ *Stadæ* & *Halæ* prodiere, inſtituta, obſervatur, in *Stadenſi* legi: Rinder/ in *Halenſi*: Rinder/ *Toſſanus* vertit: Rinder; verum addit: Hebr. junge Ochſen. Etliche verſtehen dadurch die reichen/ und gewaltigen/ die ſtolzen Hengſten. Si quis hoc in vaticinio verborum nexum accuratius contempletur, in has ſtatim incidet cogitationes, per פרים non vitulos ſive tauros innui, ſed aliud quid a propheta ſignificari. Probabilis igitur eſt conjectura, obſcuræ hujus vocis natales etiam hic loci in radice פאר quærendos, eamque de *principibus* & *viris*, *gloria fulgentibus*, commode eſſe exponendam. Verba hæc ita verto: *occidite omnes ejus* (Babelis) *principes, deſcendant ad mactationem; væ illis (quia venit) eorum dies.* — Num hæc a veri ſpecie ſint aliena, alii faciant judicium.

§. 12.

§. 12.

Tertius locus, in quo ſententiæ meæ patrocinium quæro, eſt *Ezech.* XXXIX: 18. Deus in Iſraëlem graviter invectus, ſumma *hoc cap.* denuntiat ſupplicia. Magnum, videlicet, ſe apparaturum convivium volucribus atque feris agreſtibus, ex omnibus terræ partibus congregandis, ut comedant carnes fortium, atque ſanguinem principum bibant. Ipſum Prophetam audire iubet.

verſ. 17. *Tu, fili hominis, ſic dixit Dominus Deus: dic avi omnis alæ, & omni beſtiæ agri, congregate vos & venite, colligimini undique ad ſacrificium meum, quod ego macto vobis, ſacrificium grande in montibus Iſraëlis, ut comedatis carnem & bibatis ſanguinem.*

18. *Carnem fortium comedetis & ſanguinem principum terræ bibetis, arietum, agnorum, & hircorum, vitulorum, pinguium Baſanis omnium.*

Deus igitur minatur, ſe volucribus atque feris, a ſe excitandis, carnem principum Iſraëlis daturum devorandam, eorumque ſanguinem bibendum. Hem! quid arietes? quid agni? quid hirci? quid vituli ad hanc *ἀνθρωποθυσίαν*? Iſraëlis Principes erant mactandi,

ctandi, nec vero agni & hirci. Quod ſi equus jungeretur equiti, nullus mihi foret ſcrupulus; ſed cicures haſce, rationisque expertes beſtias, principibus adjungi, mihi videtur inſulſum. Si mihi mentis ſenſa aperte explicare liceret, arietes, hircos & juvencos converterem in *Reges*, *principes*, *viroſque illuſtres*; omnia ſic forent ad amuſſim, habeo perſuaſum. Quid? quod ipſe Propheta indicat, quinam per גבורים & נשיאי הארץ ſint intelligendi. En meam verſionem! *carnem fortium comedetis*, & *ſanguinem principum terræ bibetis*, (videlicet) *Regum*, *principum*, & *procerum*, VIRORUM ILLUSTRIUM, *primariorum Baſanis omnium*. Nec ego primus ſum, qui hoc Ezechielis vaticinium ita intelligo. Sententiæ meæ graviſſimum habeo auctorem, *paraphraſten Chaldæum*, qui ita vertit: בסר גברין תיכלון ודם רברבי ארעא תשתון מלכין שלטונין ומרנין גברין עתירי נכסיא כולהון: *Carnem fortium comedetis*, & *ſanguinem principum terræ bibetis*, *Regum*, *Principum* & *ducum fortium*, *divitum opibus omnium*. Quum §. 10. de אילים כרים עתודים פרים ea, quæ ad rem faciebant, ex Philologiæ penu adduxerim, meum eſt, ut de מריאים aliquid adjiciam. Lexicographi & Philologi, quorum libros inſpicere licuit, uno ore vocabulum hoc de *animalibus pinguibus*

De Iſraëlitis, aut potius de eorum proceribus hic agi, nullum mihi eſt dubium. Quum פרים *boves*, & פרות *vaccas* deſignet, ſuſpicaremur, poſterius de ſequiori ſexu eſſe interpretandum. Sed an mulierculæ noſtræ, hæc ασθενῆ σκεύη, ſunt vaccæ? apage! Equidem poëtis ſollemne eſt, ut feminas vocent *juvencas*; hinc OVIDIUS Helenam appellavit *juvencam*;

Graja juvenca venit, quæ te, patriamque domumque
Perdat: Jo prohibe; Graja juvenca venit.

Heroid. ep. v. 117, 118. conf. BURMANNUS ad *h. l.* TZETZES in *Lycophronis Alexandra verſ.* 102. ut *Burmannus* obſervat, Græcam vocem πόρτιν exponit πολύανδρον δάμαλιν. Reverendiſſ. POTTERUS, Archiepiſcopus olim Cantuarienſis, in *commentario ſuo in Lycophronem*, non modo locum ex Ovidio citatum adducit, & de Helena explicat, ſed inſuper addit *p.* 129. *ubi nonnulli per contumeliam dici juvencam autumant; nam mulieres impudicæ juvencæ & vaccæ dicuntur: nec ob aliam cauſam Jo & Proetides in vaccas converſæ finguntur. Solent tamen hæ voces ſine opprobrio dici, quomodo Sophocles Deïdamiam πόρτιν appellavit, Trachin. v.* 535. & *Horatius puellam Veneri immaturam juvencam vocat*

l. 2. *od.* 5. *nec aliter Euripides Polyxenam μόσχον nominat*, *Hecuba v.* 526. His adderem, amaſios ab HORATIO etiam vocari *juvencos*, confer. *l.* II. *od.* 8. *verſ.* 21. & *l.* III. *od.* 27. *v.* 45.; ſed quamvis hæc ita ſe habeant, quis tamen oracula ſacra e Veneris diſciplina, aut Poëtarum luſibus illuſtranda ſuſciperet. Viri docti vaticinium hoc de proceribus regni Iſraëlitici, vel ut *Gejeri* verbis ad *Pſalm.* XXII: 13. utar, de *magnatibus ſaginatis ac ferocibus* exponunt. Omnium inſtar in præſenti mihi erit Doctiſſ. GLASSIUS in *Philol. S. p.* 1721. En ejus verba! *Propheta intelligit regni Samariæ proceres, quos ita vocat, tum ob luxuriam, quod neglectis officii debiti partibus, nonniſi cuticulam curarent & ſe ipſos ſaginarent; tum ob violentiam & potentiæ abuſum, in opprimendo tenues, (ſicut vaccæ in Baſan enutritæ & pinguiores & ob id petulantiores erant) quæ utraque ratio ſtatim ſubjungitur. Dum autem viros comparat, non tauris, ſed vaccis, ſimul mollitiem effeminatosque ipſorum mores notat.* Hæc acute perquam eſſe excogitata, non poſſum diffiteri. Sed quis fando unquam audivit, imperii proceres ob effeminatos mores appellari *vaccas*. Nullum hujus rei exemplum, nec ex ſacris, nec ex profanis ſcriptoribus, poterit adduci. Quis fuit effeminatior Sardanapalo? nuſpiam tamen legimus, eum vocari *vaccam*.

Non

Non homo, ſed porcus, Sardanapalus erat;
verſatur in ore omnium. Quod ſi Propheta
hoſce principes appellaſſet פרים *boves*;
animo aliquis agitaret, emblemate hoc eo-
rum robur atque potentiam, quod quibus-
dam placet, deſignari; ſed vaccarum nomen
prorſus mihi diſplicet. Huc accedit, quod
vaccæ ſaginatæ non facile dicantur petulan-
tes. Quo enim magis ſaginatæ, eo procul
dubio ſunt ſegniores; hinc in lingua Latina
craſſus, obeſus & pinguis pro *ſtupido* &
hebete adhibentur, & in lingua Hebræa vo-
cabula craſſitiei de *ſtupiditate* ſolent accipi,
ut obſervat clar. SIMONIS in *lex. ad vocem*
איל *p.* 23. Quæ ſi animo volvimus, ſcru-
puli nobis injiciuntur & quædam dubitatio,
qui, aut quænam ſint פרות. Sed forte ex
textus ſacri συναφεια lux nobis accendetur?
Ita eſt. Penſitemus igitur rem ipſam ali-
quantum accuratius. Primo obſervetur ve-
lim, minas haſce graviſſimas non ſolum
Iſraëlitarum proceribus, ſed eorum etiam
familiis denuntiari h. e., ut animi ſenſa pla-
nius & apertius exprimam, tum conjugibus,
tum liberis. *Audite*, ait Propheta, cap.
III: 1. *verbum hoc*, *quod dixit Jehova de
vobis*, *filii Iſraëlis*, *&* *de* TOTA FAMILIA, *quam
eduxi e terra Aegypti*, κ. τ. λ. Deinde notatu
digna mihi videntur, quæ legimus c. IV: 1.
quæ dicitis dominis veſtris. Per Dominos *mariti*

mihi videantur intelligendi. Maritos autem in lingua Hebræa appellari אדנים *Dominos*, vel ex Saræ hiſtoria diſcimus. conf. *Gen.* XVIII: 12. coll. 1 *Petr.* III: 6. *Jud.* XIX: 26, 27. Plura dabunt clar. SCHLICHTER in *Decimis ſacr.* p. 150. & cel. GESNERUS in *Theſ. linguæ, lat. t.* 2. *p.* 262. Qui פרות הבשן de *Samariæ primoribus* interpretantur, neſciunt, quo ſe vertant, ut ſanum inde exſculpant ſenſum. Doct. CLERICUS reddit: *dicentes domino veſtro*, quaſi אדניהם in ſingulari numero ſit exponendum, quum tamen הם nominibus tantum pluralis numeri affigatur. CLERICUS per ארון ipſum forte *Samariæ præſidem* intellexit; ſed miſſam facio hanc conjecturam. Niſi mihi nimium blandiar, propheta hunc ſervat ordinem, ut capite III.: Samariæ proceribus peccata exprobret, gravesque interminetur pœnas; deinde cap. IV.: ad eorum feminas pergat & cap. V.: ad liberos ſuum dirigat vaticinium; hinc cap. V: 2. בתולת ישראל *virginem Iſraëlis*, per quam juniores commode ſunt intelligendi, alloquitur. Nec forte ſine ratione *Vulgatus*, *Seniores*, *Chaldæus* & *Arabs* in ſuis verſionibus pro בתולת vocem adhibent, quæ *domus* ſive *familiæ* habet ſignificationem. Ut vela contraham, hoc etiam loco פרות non de vaccis, ſed *feminis*, *illuſtri*

loco

loco natis, exponendum duco. *Amoſi* igitur vaticinium ſic verterem: *Audite verbum hoc, Feminæ illuſtres Baſanitæ, quæ in monte Samariæ opprimitis pauperes & frangitis egenos, dicentes dominis ſuis, affer quod bibamus.* Quum nomina Hebræorum gentilia non hoc tantum modo formentur, ut primitiva per jod a fine augeantur, ſed ipſum etiam primitivum pro gentili nomine non raro ponatur: forſan etiam h. l. הבשן pro gentili eſt accipiendum. Nomina autem gentilia in lingua Hebræa ita formari, docent SIMONIS in *Onom. V. T. p.* 365. & in primis HILLERUS in *Onomaſt. S. p.* 240. Exempla e Sacris literis petita, ad confirmandam hanc ſententiam, afferre libet. Sic בנות שילו *Jud.* XXI: 21. ſunt *puellæ Siluntinæ*; בעלי יריחו *Joſ.* XXIV: 11. ſunt *cives Hierichuntini*. *Lutherus*: die Bürger von Jericho. אנשי ירחו *Nehem.* III: 2. *Lutherus*: die Männer von Jericho; אנשי סדם *Gen.* XIX: 4. *Sodomitæ*; בני נבו *Ezr.* II:29. *Nebuntini*. Formam hanc plerumque ה articulum admittere conjectura eſt clar. SIMONIS non contemnenda, in *Onomaſt. l. c.* Ad hunc igitur modum פרות הבשן forent *feminæ illuſtres Baſanitæ*, aut quod idem, a Baſane oriundæ. Senſus, ſi quid ego judicem, emergit perſpicuus. *O vos feminæ illuſtres, ex Baſane oriundæ,*

forma

forma & divitiis præſtantes, quæ Samariæ proceribus nuptæ, in monte Samariæ iam verſamini, audite verbum Dei! Quum veſtrum eſſet, ut opibus, quibus abundatis, aliorum levetis inopiam, vos pauperes opprimitis & egenos frangitis. Luxuriæ adeo eſtis deditæ, ut omnes fere dies vobis ſint geniales. Maritos veſtros ad compotationem invitatis, dicendo: affer, dilecte Marite, quod bibamus; at juravit Deus per ſanctitatem ſuam &c. Quum *Baſanitidis* regio paſcuis, frugibus, armentis, aliis, abundaret, admodum eſt probabile, virginibus Baſaniticis amplum & copioſum fuiſſe patrimonium, quo factum, ut Samariæ proceres, opes & divitias appetentes, haſce potiſſimum bene dotatas in matrimonium adſciſcerent. Feminas autem, dote fretas, ſæpius eſſe feroces atque vitio & dedecore plenas, ſubinde etiam ebriolas, docemur experientia. Amaſios cum ſuis amaſiis largiore vino uti, vel HORATIUS docebit. Sic ille ad ſuam Tyndaridem *l.* 1. *od.* 17. *verſ.* 21.

Hic innocentis pocula Lesbii
Duces ſub umbra.

& *l. III. od.* 28. *v.* 1.

Feſto quid potius die
Neptuni faciam? Prome reconditum,
Lyde ſtrenua, Cæcubum.

Addo

Addo ex TIBULLI *Carminibus L. 1. Eleg. IX. verſ. 59–62.*

Nec laſciva ſoror dicatur plura bibiſſe
Pocula, vel plures emeruiſſe viros.
Illam ſæpe ferunt convivia ducere Baccho,
Dum rota Luciferi provocet orta diem.

An rem acu tetigerim, alii judicent; ſed hæc de פרים ſufficiant.

§. 14.

Altera vox *ἀμφιβολίᾳ* laborans, ideoque a me accuratius explicanda, eſt אבירים David enim ab אבירים ſe etiam cingi queritur. Quum omnes Philologi פרים de *bobus* expoſuerint, אבירים etiam de *tauris* interpretentur fuit neceſſe. A partibus eorum omnes fere ſtant interpretes, quorum verſiones biblia *Polyglotta* exhibent. Mihi autem alia ſedet animo ſententia. Quid enim tauri, fronte minantes? quid ταυρόφθογγος, horrifico mugitu aërem complens, inter viros ἐν ὑπεροχῇ ὄντας? Quod ſi autem tauros in viros, maſcula virtute præditos, viribusque inſignes, transformaverimus, Lectores pollicem nobis preſſuros confidimus. אבירים ſubſtantive (ſit venia verbo) pro *animalibus prævalidis*, ſive valde robuſtis,

pro

16. *Exaruit, ut teſta, vis mea, & lingua mea adhæret faucibus meis, in pulvere mortis me poſuiſti.*

17. *Quia circumdederunt me canes, (*) turba maleficorum cinxerunt me, foderunt manus meas & pedes meas,*

18. *Numerarem omnia oſſa mea, ipſi adſpicient & me videbunt. (**)*

19. *Diviſerunt inter ſe veſtimenta mea, & ſuper indumentum meum jecerunt ſortem.*

20. *At tu, o Jehova, ne elongès te, o fortitudo mea, ad auxilium meum feſtina.*

21. *Eripe gladio vitam meam, e manu canis unicam meam.*

22. *Serva me ex ore leonis, a cornibus optimatum exaudies me. (***)*

23. *Enarrabo* (celebrabo) *nomen tuum fratribus meis, in medio cœtu te laudabo,* *x. τ. λ.*

Aequus Lector ex hac verſione intelliget, omnia præclare inter ſe cohærere.

§. 16.

At quum quædam circa meam verſionem poſ-

(*) h. e. more canino me allatrant, inque me impetum faciunt.

(**) conf. CLERICUS ad h. l.

(***) h. e. juvabis; ſi enim Deus exaudit, auxilio ſuo eſt præſto. confer. GLASSII *Phil. S. p.* 1539.

poſſent *moneri*, pauca rei illuſtrandæ cauſâ adjiciam. David pſalmum hunc compoſuerat, quùm ab hoſtibus undique premeretur. Tum temporis non minus bellis externis vexabatur, quam domeſticis. Bellis igitur civilibus & externis implicitus, fortunam, qua conflictabatur, adverſam, multis verbis conqueritur atque deplorat. Eo erat redactus, ut quo ſe verteret, neſciret. Equidem copiis virtute induratis abundabat, ſed *multi* ſuorum in caſtra hoſtium tranſierant, & contraria, pro! ferebant arma. Principes Baſanitidis, quorum virtute erat fretus, ab imperio ſuo defecerant, & officii ſui immemores hoſtium partes fuerant amplexi. Quum levius prælium confereretur, David virtute ſua, quæ alias ſemper fuit excellentiſſima, vim hoſtium vix ſuſtinere valebat. Multis vulneribus, cum in manibus, tum in pedibus affectus, impar erat reſiſtendo. Hoſtes jam numerabant tropæa, a Davide rapienda? ſorte jam inter ſe ſuosque ſocios, aurum & argentum, veſtesque regales dividebant. Quæ quum ita eſſent, David, a ſuis etiam derelictus, nullum aliud, niſi in Deo, habebat perfugium. Manus igitur ad cœlum tollens, Deo ſubmiſſe ſupplicat, ut his in anguſtiis ſibi ſit præſidio, & hoſtes rebus ſuis fortiter geſtis gloriantes, brachio ſuo proſternat. Quæ ſi vera ſunt,

omnes ſcrupuli animo Lectoris forte erunt evulſi. Quum in hoc Pſalmo ſenſu proprio de Davide agatur, perſuaſum mihi eſt, *verſiculum* 17. qui *Crux Criticorum* a *Pfeiffero* in *dubiis vexatis*, & aliis, ſolet vocari, commode ſic exponi. conf. CLERICI *Comment. ad h. l.* Hebræam vocem בגד de *veſtibus regalibus* ſumi, patet ex 2 *Paralip.* XVIII: 9. hinc LXX. illam ſæpius reddidere per στολήν. Ceterum, quod pro רֵמִים legerim רָמִים, ſicque unicornes in *optimates* transformaverim, temeritatis quidem habet ſpeciem; ſed ſi Lectorem textum S. accuratius inſpicere juvaret, manifeſtum fieret & evidens, ejus συνάφειαν mihi nequaquam adverſari. confer. quæ ſcripſi ad ראמים §. 10. רָמִים autem de *optimatibus*, popularibus oppoſitis, *viriſque primariis* in S. literis adhiberi, nemo infitiabitur. conf. 2 *Sam.* XXII: 28. *Jobi* XXI: 22. & *Pſalm.* LXXVIII: 69. ויבן כמו רמים מקדשו, quæ verba ſic verto: *& ædificavit, ſicut viri excelſi* (*) *ſanctuarium ſuum.* Inſuper רְאֵמִים & רָמִים, ſive רֵמִים, ab Interpretibus ſubinde confundi & permiſceri, vel ex hoc Pſalmi loco appa-

(*) h. e. altiorem dignitatis gradum aſſecuti.

apparet. *Vulgatus* enim רְמִים vertit: *unicornes*; LXX. habent μονοκέρωτες, quibus accedunt *Arabs* & *Targum*. *Chaldæus* enim reddidit: הֵיךְ קַרְנָא דְרֵימָנָא: *ſicut cornu unicornis*. Quid igitur eſt clarius, & evidentius, quam interpretes hos in ſuis codicibus legiſſe רֵמִים? Cornua potentiæ eſſe ſymbolum, certum eſt & extra controverſiam poſitum; hinc nos in lingua Latina indicaturi, adverſario fortiter reſiſtendi nobis eſſe animum, plerumque dicimus, cornua nos ei obvertere. Idem fere imitatus falſus propheta Zedekias, qui ferrea duo cornua capiti ſuo impoſuit, certiſſimo augurio & omine, Achabum, Regem Iſraëlis, victoriam a Syris eſſe reportaturum, 1 *Reg*. XXII: 1.

§. 17.

Quum ego, per אַבִּירֵי הַבָּשָׁן viros præpotentes, opibusque in Baſanitidis regione florentes, intellexerim, ſcrupulus quidam ſuborietur Lectoribus. Quærent, videlicet, an poſſit probari, potentes Baſanitidis ab imperio Davidis ad hoſtes defeciſſe, ipſumque Regem bellis implicitum, oppugnaſſe. Scrupulus hic maximi eſt momenti. Quodſi

 enim

enim non poſſit evinci, rem ita ſeſe habere, interpretatio mea tenui fulta eſt tibicine. Agedum! ex Sacris literis, quod rei caput eſt, demonſtrabo, Davidem in tantas adductum fuiſſe anguſtias, ut multi ſuorum, præcipue potentes Baſanitidis, Regi ſuo dixerint vale. Davidi, Philiſtæis & Moabitis victis atque deletis, novum cum *Hadadhezero*, *Rege Tſobæ*, coörtum fuiſſe bellum, diſcimus ex 2 *Sam.* VIII. & 1 *Paralip.* XVIII. Quum ſcriptores Sacri in eo exponendo admodum ſint breves, ea, quæ hiſtoriam hanc ſubobſcuram illuſtrant, mihi ſunt adducenda. Tſobam partem eſſe Syriæ, Syriamque Baſanitidis regioni conterminam, omnes mihi ultro largientur. conf. RELANDI *Palæſtina*. Prælium hoc *Chamatha* fuiſſe commiſſum legimus 1 *Paral.* XVIII: 3. De ſitu hujus Syriæ urbis conferatur ADRICHOMII *Theatrum terræ S. p.* 106. & in primis RELANDI *Palæſtina p.* 120. qui prolixe probat, per Chamatham nec *Antiochiam*, nec *Epiphaniam*, indicari; ſed illam fuiſſe vicinam Damaſco & in ipſis terræ Iſraëliticæ finibus h. e. inter Libanum & Hermonem montes, quærendam. Aramæos Damaſcenos, Hadadhezero ſuppetias ferentes, a Davide etiam fuiſſe ſubactos, ex citatis locis conſtat. Davidis victoriam, ab hoſtibus reportatam, pro glorioſiſſima omnino eſſe

haben-

habendam, nemo dubitabit. Multa enim millia fuſa, & capta, multosque hoſtium currus abductos, Sacræ nos docent literæ. Librarium autem in deſcribendo *Samuelis* loco admodum fuiſſe alucinatum, eſt in confeſſo. Nihil enim eſt certius, quam poſt τὸ אלף adjiciendum רכב, & שבע מאות ex libris *Chronicorum* in שבעת אלפים eſſe mutandum. confer. celeberr. KENNICOTT *diſſ. 1. p.* 447. qui citato loco probabiliter exponit, unde eorum error ortum ſuum traxerit. Hæc habet hiſtoria Sacra, quæ nos jam deficere videtur.

§. 18.

Quum literæ Sacræ ex JOSEPHO, ſcriptore rerum Judaicarum celebratiſſimo, multam ſubinde lucem fœnerentur, meum erit *Antiquitates* ejus conſulere. Forſan lux aliqua Davidis hiſtoriæ inde affulgebit. JOSEPHUS de hiſce victoriis agit *L. VII. Antiquit. Jud. c.* 5. Verum pauca, ut ſtatim apparebit, lucrabimur. Cum Lectoris venia, quæ obſervavi, in medium producam. Hadadhezerum *Joſephus* nominat Ἀδρἀζαρον τὸν Ἀράου υἱὸν βασιλέα τῆς Σωφήνης. Quum Hadadhezerus Rex fuerit Tſobæ, nec vero Sophenes, *Joſephum* per errorem fuiſſe lapſum,

 arbi-

arbitratur celeb. HAVERCAMPUS. SCHOTANUS in *Bibliotheca Hiſtoriæ S. V. T. t. 2. p.* 698. auctoritatem τῶν ἑβδομήκοντα ſequutus, ἱππέας convertit in Ῥαάβε. Quæ peditum & equitum millia ſecundum S. literas ſunt capta (ילכד), ea omnia, ſi JOSEPHO fides eſt habenda, David occidit (διέφθειρεν.) Curruum a Davide captorum, quæ poſthac fuerit conditio, non liquido apparet. Scriptor ſacer adhibet verbum עקר, quod *eradicandi* & *enervandi* habet ſignificationem. *Lutherus* vertit: verlähmete alle Wagen. *Tremellius: ſuccidit ſuffragines omnium curralium equorum. Clericus: ſubnervavit omnes equos curruum*, quod *Pagninus in ſuo theſauro* exponit: *nervos pedum incidit.* Qui textum S. inſpicit, ſtatim animadvertet, de *curribus*, nec vero de equis hic agi. Quum verbum עקר in genere ſignificet *eradicare*, atque omnia, cum ipſis radicibus evulſa, pro deſtructis ſint habenda: mihi verbum hoc in S. literis, ſenſu proprio, de *arboribus* & *plantis* uſurpari; deinde ad alia, quæ deſtruenda, quomodocunque hoc fiat, videtur transferri. Sententiæ meæ patrocinantur CASTELLUS in *Lex. Heptagl.*, obſervans, verbum עקר Syris notare: *funditus evertit, ſubvertit, diruit*; & LXX. *interpretes*, vertentes: παρέλυσε *diſſolvit*; atque *Syrus*, qui reddidit: *exſtirpavit*

vit omnes currus. Jam audiamus JOSEPHUM: *ἔλαβε δὲ καὶ αὐτοῦ ἅρματα χίλια, καὶ τὰ πλείω μετ' αὐτῶν ἠφάνισεν, Currus etiam ipſius mille cepit, ac majorem quidem illorum partem* DESTRUXIT. Hunc igitur ſcriptorem interpretationi meæ favere, liquet. Syros Damaſcenos Hadadhezero veniſſe auxilio, in Sacris legimus literis. *Joſephus* gentis hujus Regem inducit: *ἀκούσας δὲ ὁ Δαμασκοῦ καὶ Συρῶν βασιλεὺς Ἄδαδος*, & viginti tantum millia ab *Hebræis* cæſa, reliquosque omnes terga dediſſe commemorat. Ex Sacro autem codice viginti duo millia cecidiſſe conſtat, Hadadhezeri urbes, e quibus David ingentem æris copiam avexit, *Samuelis* loco vocantur בטח & ברתי; in libro autem *Chronicorum* טבחת & כון, a *Joſepho* Βετταία καὶ Μάχων. SCHOTANUS in allegata *Bibliotheca* illud Μάχων ex Hebræo מכון probabili conjectura ortum ſtatuit. *p.*699. Thohis, Regis Chamathæ filius 2 *Sam.* VIII: 10. appellatur יורם; ſed 1 *Paralip.* XVIII: 10. הדורם; a *Joſepho* Ἀδώραμος. Ipſe Thohis a Samuele nominatur תעי, & facili literarum permutatione libro Chronicorum תעו, & a *Joſepho* Θαῖνος. Quæ ſequuntur, Sacris literis ſunt conſentanea.

§. 19.

Quamvis ea, quæ ex Joſepho adduxi, alicujus fuerint ponderis, Lectores tamen plura, ad rem ipſam facientia, jure deſiderabunt. Alia igitur ſententiæ meæ quærenda ſunt præſidia. Forſan ex Pſalmis, quibus David calamitates ſuas deplorat, ſuaque canıat epinicia, hanc poſſumus explere lacunam. Ita eſt. Equidem ex Pſalmo LX. in hujus victoriæ memoriam a Davide compoſito, rem ad liquidum perducere non ſuſtinebo; ſed PSALMUS LXVIII. qui teſte ſumme Reverendo LOWTH, meritiſſimo eccleſiæ Oxonienſis Epiſcopo, Pſalmos omnes Davidicos ſublimitate vincit, fons nobis erit, ex quo varia noſtros in hortulos derivare licebit. Davidem hoc in pſalmo victorias, de hoſtibus ſuis partas canere, certum mihi eſt & exploratum. Duas mihi videtur Pſalmus habere ſectiones. In priore, a *verſiculo* 1. *ad* 25. victoriam a Syris, & in poſteriore a *verſ.* 25. *ad finem*, victoriam ab Aegyptiis reportatam, celebrari, conjectura eſt, quæ ſua probabilitatis ſpecie haud deſtituitur. Prælium, cum Hadadhezero Chamathæ conſertum, hic potiſſimum innui, ex repetito Baſanitidis nomine colligo. conferantur *verſ.* 16, 17, 23. Equidem

dem ſumme Reverendus LOWTH ſibi perſuadet, Davidem hoc in pſalmo de Iſraëlitarum per deſerta itinere, rebusque ſub Moſe & Joſua fortiter geſtis, nec vero de ſuis agere victoriis. Sed quamvis Sanctuarii atque montis Sinai injiciatur mentio, hoc tamen, quod pace ſummi Viri dixerim, non prohibet, quo minus David ad ſuas reſpiciat victorias; hinc ipſe LOWTHIUS concedit, orationis filum a *verſ.* 18. ſibi tanquam e manibus dilabi, in doctiſſimis *Prælectionibus Academicis de ſacra poeſi Hebræorum, cum notis Illuſtr. Michaëlis editis*; *p* 544. Multæ etiam ῥήσεις, quibus David utitur, vix poterunt intelligi, niſi eum ſuas canere victorias pro conceſſo & probato ſumſerimus. Quamvis propheticum Pſalmi ſenſum minime rejiciam, *Deuſingii* tamen & aliorum ſententiam, Pſalmum hunc eccleſiæ N. T. fata ſuo ambitu complecti, confer. *Bibliotheca Bremenſis Claſſ. I. faſc.* 2. *p.* 1. *& ſeq.* meam non facio. Ipſum pſalmi initium ita ſeſe habet, ut hæc cogitata potius inde confirmentur, quam infringantur. *Surgat Deus*, inquit Pſaltes, *diſpergentur ejus hoſtes, fugient ab ejus conſpectu, qui eum odio habent, ut diſpellitur fumus, diſpelles eos, ut cera igne liqueſcit.* Quum David acerrima fecerit prælia, & ſummi Numinis ope ſemper diſceſſerit ſuperior, longe eſt probabilius,

eum ſuas potius perſequi victorias, quam Iſraëlitarum, duce Joſua; hinc legitur *verſ.* 13. *Reges exercituum fugerunt*, videlicet, Tſobæ & Aramæorum Damaſcenorum; aut ſi mavis cum ſumme Rev. LOWTH: *Reges tum exercitibus fugiunt, fugiant*. Quid? quod per feram arundinis, ſive in cannis deliteſcentem, in poſteriore pſalmi ſectione *verſ.* 31. *Aegypti Regem* eſſe intelligendum, nullus dubito. Quamvis inter gentes, quas David vicit, nulla Aegyptiorum injiciatur mentio, ſed Philiſtæi tantum, Moabitæ, Amalecitæ, Syri, alii, in S. literis commemorentur: conjectura tamen mihi ſubnaſcitur, Aegyptios, utpote Judæis ſemper infenſiſſimos, gentibus, regionis confinio ſibi junctis, ſæpius tuliſſe ſuppetias. Jam Philiſtæorum regionem mediam inter terram Iſraëliticam & Aegyptum fuiſſe, atque Amalekitas non longe a Philiſtæis quærendos, docet Doctiſſ. RELANDUS in *Palæſtina p.* 186. *&* 78. Quum ſ. ſcriptores ubique ferme brevitati ſerviant, non eſt mirandum, quod quædam momenta in Davidis hiſtoria ſilentio præterierint. Utcunque tamen ſe res habet, mihi eſt perſuaſum, victorias Davidis pſalmi hujus eſſe argumentum. Limites mihi præſcripti prohibent, quo minus totum percurram pſalmum. confer. Comment. Doct. CLERICI, quem habeo ὁμόψηφον.

Hoc

Hoc autem procul eſt dubio, multa in eo eſſe perobſcura, & judice ſumme Rever. Lowthio nos non ſola linguæ & Hiſtoriæ inſcitia, ſed magno etiam lectionis vitio laborare *p.* 553. Alia forſan occaſione, ἐὰν ὁ Θεὸς θέλῃ, quædam pſalmi hujus δυσνόητα disquiſitioni meæ ſubjiciam.

§. 20.

Quum igitur magnam habeat probabilitatis ſpeciem, Davidem hoc in pſalmo victorias, Chamathæ reportatas, ſibi ante oculos poſuiſſe, meum jam eſt, ut demonſtrem, Proceres regionis Baſanitidis non ſolum hoſtium rebus clam faviſſe, ſed etiam aperte eorum partes fuiſſe ſequutos. Baſanitidis regionem montemque Hermonem Tſobæ & Aramææ fuiſſe conterminam, §. 17. mihi eſt obſervatum. Si hoſtes cum valida manu provinciam bello vexant, & cives illis reſiſtendo ſunt impares, experientia ſæpius comprobavit, provinciæ præſides, ſibi conſulturos, hoſtium partes fuiſſe amplexos. Nonne igitur eſt probabile, Davidem, a Syris bello laceſſitum, eadem triſtia fata ſubiiſſe? h. e. Baſanitidis præfectos, fortunis hoſtium inductos, ad amicitiam eorum ſe applicaſſe. Nihil hic video ἀπροσδιόνυσον. Sententiam meam frequentes querimoniæ,

a

a pio Davide ad Deum ideo effuſæ, confirmant. Quinam enim ſunt סוררים, quorum David *verſ.* 7. & 19. facit mentionem? præſides, ut ego judico, Baſanitici; (*) hinc *verſ.* 19. rebelles etiam captos, & in alia loca ut *Clericus* vertit, abductos legimus. Verba *Clerici*, quæ comma hoc egregie illuſtrant, digna mihi videntur, quæ hic adſcribam. Per rebelles, alio loco habitaturos, *deſignari videntur duces nonnulli inſigniores rebellium, quos David abduxit in Judæam, ut illic habitarent, non in Syria, ubi iterum novas res moliri potuiſſent, & ſubactos ad rebellionem concitare.* Sed hæc ex aſſe Lectori ſatisfactura ſubdubito. Plura igitur, ad ſcopum facientia, mihi ſunt adducenda. Quid multa? verbo dicam. Ex *verſiculis* pſalmi hujus 16. & 17. lucem eſſe petendam exiſtimo. Sic legitur:

verſ. 16. *Mons altiſſimus* (eſt) *mons Baſanitidis, mons gibborum* (**) (eſt) *mons Baſanitidis.*

17.

(*) Jiddonem, Zachariæ filium, dimidiæ Manasſæ tribui a Davide præfectum 1 *Paral.* XXVII: 21. Baſanitidis etiam fuiſſe præſidem, affirmare haud auſim.

(**) h. e. qui multos habet editiores colles, aut altiora multa juga, πολύζυγος, voce *Homerica*; confer. *Clericus.*

17. *Cur rebelles eſtis montes gibborum, montem deſideravit Deus, ut inhabitaret eum, immo Deus inhabitabit eum in æternum.*

Quamvis *verſiculo* 10. omnia clara ſint & perſpecta, in 17. tamen aqua forſan hærebit. Quum verbum רצד per *rebellare*, ſenſu, niſi omnia me fallant, plano, fuerim interpretatus, viros doctos & linguæ Hebrææ peritos me non habiturum conſentientes prævideo. Mihi igitur erit probandum, interpretationem hanc linguæ Hebrææ genio haud adverſari. Verbum רצד eſſe ἅπαξ λεγόμενον conſtat. Plerique illud exultandi ſenſu accipiunt; ſed abſque auctoritate. B. *Lutherus* vertit: was hüpfet ihr groſſen gebirge. I. SIMONIS *inſidioſe obſervandi* ſignificatum ex lingua Arabica præfert, in *Lexico p.* 938. Sed quid hæſitamus? aliorum verſiones conſulere forte erit commodiſſimum. Jam HIERONYMUS, *Pagnino* & *Clerico* teſtibus, verbum רצד reddidit per *contendere*. confer. *Pagnini theſaurus*. *Aquila* & *Theodotion* adhibuerunt verbum ἐρίζειν *litigare*, *rebellem eſſe*; hinc LXX. ἐρίζειν uſurpant pro Hebræo מרה *rebellavit*. conf. *Trommii Concord.* Ex his patet, Hebræorum רצד *rebellandi* ſignificationem admittere. Senſus inde oritur commodus. *Cur vos*, inquit David, *o præfecti & cives regionis Baſanitidis, eſtis rebelles? cur ab imperio meo deficientes, adverſum me, immo*

ad-

adverſum ſummum Numen arma capitis? Davidem montibus Baſanitidis contendendi, vel potius rebellandi ſtudium, quod illorum erat, qui montes hoc incolebant, aut iis præfecti erant, ſtilo poëtico tribuere, nemo non animadvertet. *Equidem animus vobis fuit, me omnibus, quas teneo, terris exuendi, ipſumque montem Sionem, cui Hieroſolyma ſunt inædificata, expugnandi, ſed ſciatis Deum eſſe Dominum Sionis; hunc enim montem ſibi Deus elegit, huncque in perpetuum habitabit. Deus igitur me adverſus vos tutatus, texit me ſuo clypeo. Curruum enim Dei ſunt duæ myriades & millia iterata.* (*) *Dominus eſt in iis* (quemadmodum fuit) *in Sinai*, (ita etiam erit) *in Sacrario Sionis. Tuum, ſumme Deus, firmiſſimum præſidium ſui expertus; tu enim die decretorio ſolium tuum conſcendiſti, ipſe pro me pugnaſti, per me multa Syrorum millia in captivitatem abduxiſti, eosque tibi ita feciſti vectigales, ut victi non ſolum tibi munera jam offerant, ſed ipſe etiam Chamathæ Rex vaſa aurea, & argentea, atque ænea donarit, quæ tibi, o Deus! ſunt conſecrata. 2. Sam.* VIII: 9-13. *& quod ad rebelles, regionis Baſaniticæ præfectos, attinet, qui imperium meum rumpentes,*

(*) confer. ad h. l. Commentatio Doctiſſ. MICHAËLIS de *Cherubis* §. 6. inſerta *tomo I. Commentariorum Societ. R. Scientiarum Gottingenſis.*

tes, regum Syriæ partes ſunt amplexi, ut in Judæa rerum potirentur, hos tu, o Deus, cepiſti (לקחת), *ut jam tanquam captivi, Judæam inhabitent.* (לשכן). *O ſumme Deus! Benedictus ſit Dominus; ſingulis diebus afferet* (apportabit) *vobis Deus ſalutem noſtram Selah.* Aut cum *Luthero: Benedictus ſit Dominus ſingulis diebus; onus* (quidem) *imponit nobis;* (*) (ſed) *Deus eſt ſalutis noſtræ Selah.* Non diffiteor me hic veſtigia preſſiſſe CLAR. CLERICI. Equidem mihi in mentem venerat, pro באדם legendum eſſe בארם, aut forte מארם; ſed communem lectionem, quæ ſanum fundit ſenſum, vellicandam haud exiſtimo. Hoc autem jam erit certum, regionis Baſaniticæ proceres tam inſenſo atque hoſtili in Davidem fuiſſe animo, ut jure potuerit queri, ſe ab iis oppugnatum, aut, quo ejus verba retineam, *proceres Baſanitidis ipſum cinxiſſe.*

§. 21.

Quamvis Pſalmus viceſimus ſecundus meo, & aliorum judicio, ſenſu proprio, de Davide ſit exponendus, certus tamen ſum atque confirmatus, eum ſenſu eminentiori ad Meſſiam referendum, multasque elocutiones

(*) Per onus quævis moleſta & difficilia, præcipue credentium calamitates eſſe intelligenda, docet GLASSIUS *Philol. ſ. p.* 1866.

hes ſenſu proprio in Chriſto eſſe impletas. Veteres etiam Judæos, Targum præcipue Pſalmum hunc de Meſſia fuiſſe interpretatos monet clar. SCHOETGENIUS in *Horis Hebr. ad Hebr.* II: 12. Non ſum in ea hæreſi, pſalmum hunc unice de Davide agere, nec Chriſtum in acerbiſſimis ſuis doloribus, pſalmum XXII. recitaturum, exclamaſſe: *Deus mi! Deus mi! cur me deſeruiſti?* Omnia potius, quoad ſingula membra, per accommodationem, immo κατ' ἐξοχὴν, ad Meſſiam quadrare, mihi eſt perſuaſſimum. Quum Meſſias ad cruentum Judææ præſidem in jus raptus, cauſam dicere cogeretur, nonne tum poterat queri, ſe a multis, illuſtri loco natis, a reipublicæ Judaicæ proceribus, viris, Synedrio magno adſcriptis, fuiſſe circumdatum? Equidem אבירי הבשן judicio huic interfuiſſe, vireſque ſuas jactaſſe haud legimus; ſed cur Meſſias, comparationem inter ſua ac Davidis fata inſtituens, hujus lamentationes, in pſalmo XXII. editas, non faceret ſuas. Sic igitur dolet Meſſias: *O Deus! quemadmodum Davidem a potentibus Baſanitidis olim cinctum legimus: ita etiam ego a potentibus Judææ, ſacri & civilis ordinis, ab Herodianis & Romanis, me cinctum video.* Quæ porro ſequuntur, præcipue de manuum & pedum transfoſſione, de diviſione veſtium, ſorte facta; deque

viris

viris primariis, Servatorem cornibus ſuis petentibus, ea omnia ita ſunt comparata, ut κατ' ἐξοχὴν de Meſſia eſſe accipienda, nullus mihi ſuperſit ſcrupulus. Quæ quum ita ſe habeant, a veritatis tramite non diſcedam, ſi bobus & tauris, in Davidem pſalmo XXII. incurſantibus, tam proprio, quam allegorico ſenſu, ſumtis, dixero,

V A L E. (*)

(*) Erunt forte Lectorum nonnulli, qui bobus & tauris in Principes & viros illuſtres converſis, analogicam quoque *canum*, quorum mentio fit *vſ.* 17, metamorphoſin deſiderabunt, præcipue quia nulla hic ſimilitudinis nota occurrit, uti ubi de *Leone* ſermo eſt *vſ.* 14. Hi vero quas in formas transmutandi ſint, neſcivit Doctiſſimus & Amiciſſimus SCHULZIUS, hinc *p.* 80. ad mores caninos refugere coactus fuit, quemadmodum illi qui boves & tauros ſymbolice exponunt. Interea haud diffitendum eſt ſymbolum canum haud infrequens eſſe ſcriptoribus ſacris; laudemque mereri has Conjecturas, quod variis S. S. locis lucem accendunt & Hebræam linguam locupletiorem reddunt. Verum enimvero illos in ſuas neutiquam trahet partes cl. Auctor, qui, recte an ſecus nunc non diſputo, indignabundi omnem de Davidis ærumnis in hoc Pſalmo mentionem explodunt, easque unice ad

ad Meſſiam referunt, nam *Principes Baſaniti-dis* in paſſionibus Servatoris ſenſu proprio nullibi reperient. Haud facile concedent, metaphoras hujusmodi conſuetas, ac Palæſtinæ incolis cognitas, licet ſtylo hiſtorico neutiquam conveniant, ex ſtylo Prophetarum Poëtico eliminandas eſſe, dum eximiam ejus conſtituunt elegantiam, a doctiſſimo LOWTHO egregie illuſtratam in aureo *de ſacra Poëſi Hebræorum libro*, *Prælect.* VI. & provocabunt ad אלוני הבשן, quas alloquuntur Prophetæ *Jeſ.* II: 13. & *Zach.* XI: 2; aut ſi quoque hæ arbores transformari poſſent in Principes, quod a veriſimilitudine haud alienum eſt, ad montes, Libanum & Carmelum, ad Jordanum, ad arbores herbasque alias &c. E contrario regerere poſſet doctiſſimus SCHULZIUS, ſi tauri Baſanis ſenſu inproprio aut metaphorico accipiendi ſint, neceſſe eſſe, ut ad regionem vel montes *Baſanitidis* proprie dictæ reſpiciatur, (abſona enim eſſet nimisque vaga denominatio a certa quadam regione petita ad deſignandos alterius regionis incolas, absque ullo cauſſæ indicio; quare non *tauri Samariæ*?), cujus regionis tamen nullibi in vita Chriſti mentio ſit; imo V. T. credentes verſatos fuiſſe in errore, cum opinarentur Meſſiam debuiſſe pati in regione Baſanitidis, aut ſaltem primores hujus regionis cum ſacerdotibus & ſenioribus Judæorum in perniciem Servatoris innocentiſſimi conſpiraturos eſſe. Quicquid ſit, in utramque partem hæc hactenus diſputari poſſunt. Suo ergo quisque fruatur ingenio. N. B.

III.

III.

JOSUÆ VAN IPEREN,

DISQUISITIO DE FILIIS KORACHI, PSALMORUM QUORUMDAM AUCTORIBUS.

§. 1.

Infelicis Korachi Levitæ nepotes, in peculiari ſuo ſtemmate conſideratos, ab Hèmane Archimuſico, quanquam & ipſe Korachita fuit, nec non a Kehathitis, ſive, alia quippe punctatione ac dialecto, Kahathitis omnino diſtinguendos eſſe, & proinde ad Muſicam Sacram ac ſolennem ab Joſaphato rege demum admiſſos eſſe, jam non opinari aut conjicere pro more,

 ſed,

ſed, prout rei indoles patitur curtaque Hiſtoriæ Judaicæ ſupellex, demonſtrare atque evincere aggredior. Peculiarem autem Muſicam, non illam in Templi Salomonei atriis exerceri ſolitam, ſed Militarem iſtis demandatam, unâ cum Kahathitis, fuiſſe, conabor oſtendere. Quamobrem & Pſalmos illos undecim, qui nominibus *Filiorum Korachi* inſigniuntur XLII, XLIV, XLV, XLVI, XLVII, XLVIII, XLIX, LXXXIV, LXXXV, LXXXVII & LXXXVIII, non tantum ad Joſaphati demum ætatem pertinere, ſed & potiſſimum ad ejus res ac fata, ſeptem ſaltem priores, hinc inde manifeſte alludere, deinceps erit concludendum. De quatuor poſterioribus ita decernendum, ut ad primas opportunas occaſiones, juxta nexum Chronologicum, placide accommodentur. Tandemque unum & alterum Corollarium Exegeticum Criticumque elicere non pœnitebit.

§. 2.

Hemanem Davidis jam ætate Kahathitarum principatum geſſiſſe atque Archimuſicum in hoc choro fuiſſe notius eſt, quam ut moneri debeat. (*a*) Enimvero hæc pecu-

(*a*) 1 *Chron.* VI: 33—37.

culiaris *prærogativa* ipſi & familiæ ipſius, quam *vis* Korachita eſſet, a rege conceſſa fuit. Excelluiſſe certe ut in videndi, ita etiam in arte canendi ludendique ſuper Kahathitas omnes debuit, quod alias a Davide artis peritiſſimo iis præpoſitus non fuiſſet. (*b*) Sed ita etiam dein non Korachitis, ſed quam maxime Kahathitis annumerari cum poſteris eum oportuit. *Kahathitæ* namque cum *Gerſonitis* & *Meraritis* tres diverſos *choros* conſtituebant, quibus Korachitæ neutiquam immiſcebantur, niſi quod Heman prioris ordinis princeps creatus ſit. Korachitæ nempe & Kahathitæ expreſſe diſtinguuntur. (*c*) Quinimo ipſa Korachitarum denominatio ab infauſto & mali ominis Isharis illo filio non tantum, verum quoque ab alio Kora Korachi iſtius nepote & Eliaſaphi gnato, cujus ſtemmati Sallum aliquis & Meſelemja præpoſiti fuerant, deprompta fuiſſe videtur. (*d*) Namque idem ille Sallum, qui accuratiori definitione dictus fuerat בן קורא בן אביסף בן קרח (*e*) paucis interjectis הקרחי *Korachitæ* (*f*) nuncu-

(*b*) 1 *Chron.* XXV: 4—6.
(*c*) 2 *Chron.* XX: 19.
(*d*) 1 *Chron.* IX: 19. XXVI: 1.
(*e*) 1 *Chron.* IX: 19.
(*f*) *vſ.* 31.

cupatur, quemadmodum & Meſelemja fra-ter ejus, etiamſi בן־קורא itidem audiat, inter Korachitas etiam annumeratur. (g) Patet inde præterea *Jiſharitarum* ſtirpem a Korachi parente Jiſhare hunc titulum na-ctam (h) diverſam quoque fuiſſe a Ka-hathitarum & Korachitarum familiis; ſed qua ratione ea diſtinctio obtinuerit, in ob-ſcuro latet. Idque eum in finem moneo, ne quis Hemanem Ezrahitam auctorem *Pſalmi* LXXXVIII, cum noſtro hoc Hemane con-fundat, quaſi pro Jiſharita Eſrahita legi potuiſſet, dialectorum immutatione, aut, ſi audaciori uteris Critica, per mendam ſcripturariam. Sed de his Hemanibus plu-ra deinceps dabo.

§. 3.

Præprimis & hoc obſervandum reor ad Choragium Sacrum omnes omnino Kaha-thitas admiſſos non fuiſſe, ſed nonnullos ſaltem, uti dictio accurata ſimul & inſolita מבני הקהתי aperte inſinuat (i), præſertim ſi cum ſequentibus conferatur, ubi בני קהת הנותרים, quibus in Manaſſitide decem daban-tur

(g) 1 *Chron.* XXVI: 1.
(h) *vſ.* 29.
(i) 1 *Chron.* VI: 33.

tur oppida, (*k*) nec non משפחות בני קהת, quibus *in* Ephraïmitide urbes aliquæ concedebantur (*l*), memorari diſtinctius animadvertimus; ut inde pateſcat, Kahathitarum proſapiam, in varias gentes diviſam, longius ab Hieroſolyma habitaſſe, quam ut Muſicæ ſolenni & publicæ in Urbe ſemper vacare poſſent omnes ejus ſtirpis familiæ. Neque hoc tantum, ſed & τὸ הנותרים (*m*), ubi cum præcedentibus comparatur, exceptionem prorſus ac ſeparationem genealogicam ſpirat. Quin & Cantores המשורדים, id eſt, qui ore & cytharis pſallebant ſub Aſapho, Jeduthuno atque Hemane numerum ſane ducentorum octoginta octo haud excedebant (*n*): quapropter Kahathitæ ſub Hemane cantantes ludentesque nabliis vix centenarium adimplebant. Selecti enim ex omni Kahathitarum proſapia poëtæ ac muſici peritiſſimi huic labori gratiſſimo atque honorifico admittebantur, idque promiſcue, dummodo ex Kahathi poſteris duceret genus, ſeſeque induſtria ſua ſuper cognatos dignum præſtaret, qui candidatorum ad Sacram Muſicam albo inſcriberetur, tandemque ipſis choris immiſceretur. Quo ſane factum

(*k*) *vſ.* 61.
(*l*) *vſ.* 66 & 70.
(*m*) *vſ.* 61.
(*n*) 1 *Chron.* XXV: 7.

factum eſt, ut ſemper non diſcipuli ſed magiſtri artis ex toto Kahathitarum ſtirpe ad Choragium Sacrum admitterentur. Ceteroquin illorum officium, qui ad tantam dignitatem non emergebant, fuiſſe legitur utenſilia Inferioris Sanctuarii a ſacerdotibus compoſita ſuisque integumentis probe involuta, ubi caſtra olim movebantur, ex una manſione in aliam transferre. (*o*) Quo reſpectu quoque ex Divino mandato diligenter curandum fuit, ne gens illa Levitarum tantis honoribus admota unquam deficeret. Atque ita Kahathitarum appellatio ſacrum quid atque honorificum præ ſe tulit, ut cum Korachitarum noſtrorum viliori titulo in Scriptura Canonica permutari promiſcue nequaquam potuerit.

§. 4.

Filiorum Korachi quidem, fateor, ſpeciale ac celeberrimum officium ſub ductu magnamini atque immortalis memoriæ herois Pinehazi fuerat, portas aditusque Leviticorum caſtrorum ſervare circumque Tentorium congregationis excubias agere. (*p*) In cauſa quoque Baal-Peöris, quin ad exemplum

(*o*) *Num.* IV: 1—22.
(*p*) 1 *Chron.* IX: 19.

templum ducis ſui ſtrictis enſibus haſtisque immiſſis magnam inter Iſraëlitas ſtragem ediderint, neminem, qui hanc hiſtoriam paulo attentius conſideraverit, dubitaturum eſſe autumo: præſertim ubi ad Chronicographum reſpexerit, cumque eo FLAVIUM JOSEPHUM contulerit. Ita autem in *Paralipomenis* adnotatum lego: וּפִינְחָס בֶּן־אֶלְעָזָר נָגִיד הָיָה עֲלֵיהֶם לְפָנִים יְהוָה עִמּוֹ: *Et Pinehas Eleazaris filius imperator erat illis, ut eſſent facies Jehovæ* (irati quippe) *cum ipſo*. (*q*) LXX Interpretes commode id exprimunt: Καὶ Φινεὲς υἱὸς Ἐλεάζαρ ἡγούμενος ἦν ἐπ᾽ αὐτῶν ἔμπροσθεν Κυρίου, καὶ οὗτοι μετ᾽ αὐτοῦ. Vocis quoque נגיד notionem & reſpectum militarem noſcit, quicumque Hebraïcam linguam vel a limine ſalutavit. Sed abundantius hæc idea radios ſpargit, ubi conſulitur Arabismus. Sufficiat citare τὸν πάνυ SCHULTENSIUM, præceptorem, dum fata tulere, meum. נגיד Princeps, Anteceſſor, *ſpeciatim* ſtrenui Pugnatoris ac Ductoris *vim exerere videtur, quam & Arabes agnoſcunt in* نجيد Fortis, Animoſus & *per excellentiam* النجيد Leo. (*r*) JOSEPHUS autem ſic habet: Φινεέσης ἀνὴρ τά

τε

(*q*) Ib. vſ. 20. conf. *Num.* XXV: 5—9. & *Pſ.* CVI: 30.

(*r*) Comm. in *Job.* p. 885.

τε ἄλλα τῶν νεωτέρων κρείττων, καὶ τῷ τοῦ πατρὸς ἀξιώματι τοὺς ἡλικιώτας ὑπερέχων — Οἱ δὲ νέοι πάντες, οἷς ἀρετῆς ἀντιποίησις ἦν καὶ τοῦ φιλοκαλεῖν, μιμηταὶ γενόμενοι τῆς Φινεέσου τόλμης, ἀνῄρουν τοὺς ἐπὶ τοῖς ὁμοίοις Ζαμβρίᾳ τὴν αἰτίαν εἰληφότας. (*s*) Illi vero Pinehæ æmuli a PHILONE hunc in modum definiuntur: τοῦτο θεασάμενοί τινες τὸ παράδειγμα τῶν τὴν ἐγκράτειαν καὶ θεοσέβειαν ἐζηλωκότων, & a ZONARA ἄλλοι νέοι, οἷς ἀρετῆς ἔμελλε, μιμησάμενοι. (*t*) Verum enimvero iſtud ἀνὴρ τά τε ἄλλα τῶν νεωτέρων κρείττων — principem juventutis Pinehazum facit, & imitatio, quæ juvenibus adſcribitur, facile concordat cum τῷ נְגִיד הָיָה עֲלֵיהֶם, ut Filios Korachi præſertim, quibus ἀρετῆς ἔμελλε virtus & fortitudo ex officio, tanquam cuſtodibus atque excubiis cordi fuit, Pinehazus ad ſumendam de fornicatoribus vindictam animaſſe & excitaſſe videatur. Præterquam quod id Levitarum tribui quondam quoque injunctum fuerat, diſtrictis nempe gladiis in Moſcholatras invadere (*u*): ut juxta Chronicographum Filiis Korachi hæc ſub

(*s*) Lib. IV. C. 6. Antiq. Jud.

(*t*) conf. Ed. BERNARDI Notæ ad h. l. JOSEPHI Edit. Oxon. 1700. p. 277. PHILO de Vita Moſis L. 1. p. 648.

(*u*) *Exod.* XXXII: 27, 28.

ſub Pinehazo expeditio, utpote Levitis, præſertim adſcribi potuerit. Erat etiam ſupremi Pontificis filius, τῷ τοῦ πατρὸς ἀξιώματι τοὺς ἡλικιώτας ὑπερέχων, non tantum, ſed & quam maxime cum ſumma atque imperatoria dignitate ſacris Sanctuarii excubiis & ſatellitibus juſſa militaria dabat. Ita Eleazarus Aäronis filius & Pinehazi parens cœlitus conſtitutus fuit (*v*), ut avo Aärone mortuo, & patre Eleazaro ei in pontificatu ſuccedente, ea dignitas militaris ad Pinehazum ipſo jure deſcenderit. Sed vel ſic Pinehazus ἡγούμενος ἦν ἐπὶ τοὺς Κορεχίτας, quandoquidem Korachitæ ex profeſſo, ſatellitio ſanctuarii admoti, ad portas caſtrorum Leviticorum excubias egiſſe dicuntur; velut a principio hujus paragraphi docui. Sed & hoc non omittendum, poſt editam, de qua diximus, ſtragem a Moſe demum Korachi Filios memorari, tanquam qui ex communi rebellium, in abyſſum merſorum, pernicie liberati peculiare nomen patronymicum inter Levitas adepti ſint. (*w*) Et

(*v*) *Num.* III: 32. Solvenda hinc etiam dubia adverſus Pinehazi facinus, forſan movenda, quæ exhibentur a SAMUELE SCHUCKFORDIO, maleque ſolvuntur. *Hiſtoire du Monde Sacrée Tom.* III. *p.* 345. ſq. ex verſ. Gallica.

(*w*) *Num.* XXVI: 11, 58. Frigide ſatis hac de re loquuntur J. FR. BUDDEUS *Hiſt. Eccl. V. T.* *T.* 1.

τε ἄλλα τῶν νεωτέρων κρείττων, καὶ τῷ τοῦ πατρὸς ἀξιώματι τοὺς ἡλικιώτας ὑπερέχων —— Οἱ δὲ νέοι πάντες, οἷς ἀρετῆς ἀντιποίησις ἦν καὶ τοῦ φιλοκαλεῖν, μιμηταὶ γενόμενοι τῆς φινεέσυ τόλμης, ἀνήρυν τοὺς ἐπὶ τοῖς ὁμοίοις ζαμβρεία τὴν αἰτίαν ειληφότας. (*s*) Illi vero Pinehæ æmuli a PHILONE hunc in modum definiuntur: τοῦτο θεασάμενοί τινεὶ τὸ παράδειγμα τῶν τὴν ἐγκρατειαν καὶ θεοσέβειαν ἐζηλοκόταν, & a ZONARA ἄλλοι νέοι, οἷς ἀρετῆς ἔμελλε, μιμησάμενοι. (*t*) Verum enimvero iſtud ἀνὴρ τά τε ἄλλα τῶν νεωτέρων κρείττων —— principem juventutis Pinehazum facit, & imitatio, quæ juvenibus adſcribitur, facile concordat cum τῷ נָגִיד הָיָה עֲלֵיהֶם, ut Filios Korachi præſertim, quibus ἀρετῆς ἔμελλε virtus & fortitudo ex officio, tanquam cuſtodibus atque excubiis, cordi fuit, Pinehazus ad ſumendam de fornicatoribus vindictam animaſſe & excitaſſe videatur. Præterquam quod id Levitarum tribui quondam quoque injunctum fuerat, diſtrictis nempe gladiis in Moſcholatras invadere (*u*): ut juxta Chronicographum Filiis Korachi hæc ſub

(*s*) Lib. IV. C. 6. Antiq. Jud.

(*t*) conf. Ed. BERNARDI Notæ ad h. l. JOSEPHI Edit. Oxon. 1700. p. 277. PHILO de Vita Moſis L. 1. p. 648.

(*u*) *Exod.* XXXII: 27, 28.

ſub Pinehazo expeditio, utpote Levitis, præſertim adſcribi potuerit. Erat etiam ſupremi Pontificis filius, τῷ τῦ πατρὸς ἀξιώματι τῆς ἡλικιώτας ὑπερέχων, non tantum, ſed & quam maxime cum ſumma atque imperatoria dignitate ſacris Sanctuarii excubiis & ſatellitibus juſſa militaria dabat. Ita Eleazarus Aäronis filius & Pinehazi parens cœlitus conſtitutus fuit (*v*), ut avo Aärone mortuo, & patre Eleazaro ei in pontificatu ſuccedente, ea dignitas militaris ad Pinehazum ipſo jure deſcenderit. Sed vel ſic Pinehazus ἡγέμενος ἦν ἐπὶ τῆς Κορεχιτας, quandoquidem Korachitæ ex profeſſo, ſatellitio ſanctuarii admoti, ad portas caſtrorum Leviticorum excubias egiſſe dicuntur; velut a principio hujus paragraphi docui. Sed & hoc non omittendum, poſt editam, de qua diximus, ſtragem a Moſe demum Korachi Filios memorari, tanquam qui ex communi rebellium, in abyſſum merſorum, pernicie liberati peculiare nomen patronymicum inter Levitas adepti ſint. (*w*) Et

(*v*) *Num.* III: 32. Solvenda hinc etiam dubia adverſus Pinehazi facinus, forſan movenda, quæ exhibentur a SAMUELE SCHÜCKFORDIO, maleque ſolvuntur. *Hiſtoire du Monde Sacrée Tom.* III. *p.* 345. ſq. ex verſ. Gallica.

(*w*) *Num.* XXVI: 11, 58. Frigide ſatis hac de re loquuntur J. FR. BUDDEUS *Hiſt. Eccl. V. T.* *T.* 1.

Et ita credibile eſt ignominiæ maculam gentis ſuæ juvenes illos Korachitas abſtergere voluiſſe, & cum Pinehazo duce ſuo immortalem laudem nominisque memoriam meruiſſe. Nam & recentiores Korachitæ ex Davidis juſſu cuſtodiæ Tabernaculi admovebantur & ita ſeorſim munere tam honorifico fungebantur, ut vix ac ne vix quidem cum Kohathitis ſeu Kahathitis confundi potuerint. (*x*) Quanquam enim Matthitja Sallumi Koraïtæ primogenitus coquis quibusdam ſacris, Korachitis puta, præpoſitus legitur (*y*), tamen & ii, commate mox ſequenti in nexu conſiderato, a Kahathitarum filiis illis, qui panibus propoſitionis rite ordinandis curam impenderent, (*z*) expreſſe diſtinguuntur. Enimvero quæ jamjam porro (*a*) ſequuntur, de *Cantatoribus* ad Kahathitas ſolum, & quæ deinceps (*b*) de Patriarchis ad omnes Levitas deinceps citandos pertinent; quod poſterius, vel ex repetitione ejusdem phraſeos אֵלֶּה רָאשֵׁי אָבוֹת (*c*), luce

T. I. *p.* 507. J. J. RAMBACH *Colleg. Hiſt. Eccl. V. T. T.* I. *p.* 888. & alii paſſim.

(*x*) 1 *Chron.* IX: 19.

(*y*) *vſ.* 31.

(*z*) *vſ.* 32.

(*a*) *vſ.* 33.

(*b*) *vſ.* 34. ſqq.

(*c*) *vſ.* 34.

luce meridiana clarius apparet. Secus enim illic *Cantorum* vocabulum denuo repetendum fuiſſet.

§. 5.

Dubium quidem nullum eſt, quin Samuëlis adhuc ætate Kohathitarum Korachitarumque diverſum munus in exercitu fuerit, donec in caſtris, nonnunquam ſaltem, Arca fœderis verſabatur, atque adeo ambæ hæ familiæ, una ad bajulanda Sacrarii utenſilia, altera vero ad cuſtodiendos aditus Leviticorum caſtrorum admittebantur. Verum enimvero nuſpiam legimus, quod ſciam, Kahathitas illos, qui ſub Hemane cantilenam exercebant in atriis Tabernaculi, caſtra deinde ſecutos fuiſſe, ubi Arca Silunte, Kirjathæ, in ædibus Obededomi aut Zione fixum receperat domicilium; multo minus, poſtquam magnifica Aedes, a Salomone exſtructa, omni ſanctiſſimarum rerum apparatu exornata fuerat. Zadokum enim, pontificem maximum, una cum Levitis omnibus, fœderis Divini thronum & capſam portantibus, Davides ipſe rex, Abſolomum fugiens atque in exilium profectus, mox juſſit redire, ac Divinæ clementiæ ſolennem imaginem ſacrato loco divinitus conſtituto, reddere. (*d*) Quinimo ſonare clas-

(*d*) 2 *Sam*. XV: 24, 25.

claſſicum in exercitu Abiæ adverſus Jerobeamum pugnantis, ne tunc quidem Levitis, ſed ipſis ſacerdotibus Aäronis nepotibus diſerte adjudicatur, & ita quidem, ut patrium hnnc ritum Jerobeamus imitari non poſſet, quod ſacerdotibus rite ordinatis omnino careret. (*e*) Videlicet in celeberrima Hierichuntis obſidione, buccinatores ſeptem ex ſacerdotum Aäronidarum ſtemmate, juxta expreſſum Jehovæ mandatum, Joſua inſtituit, qui aduncis lituis ſtridulos cantus eliderent. (*f*) Hanc cærimoniam, magnis myſteriis gravidam, Davides porro in Arcæ triumphali pompa accuratius ſequebatur, indicatis etiam eorum flaminum nominibus, qui claſſicum tunc ingenti ſpiritu & fragore cornuum intonabant. (*g*) Fitque in ſacris non ſemel, præſertim in *Apocalypſi Joannæa* (*h*) ad hunc ritum manifeſta alluſio, ut & in eo, quod non Levitæ & proinde nec Kahathitæ, nec Filii Korachi buccinis ad claſſicum utebantur, picturæ cujusdam propheticæ vel emblematicæ linea quædam, atque ornamentum quærendum eſſe videatur. Miror profecto ad hæc VITRINGAM non attendiſſe (*i*); præcipue

(*e*) 2 *Chron.* XIII: 12.
(*f*) *Joſ.* VI: 4. ſqq.
(*g*) 1 *Chron.* XV: 24.
(*h*) *Apoc.* VIII: 2. ſqq.
(*i*) Anacr. *Apoc.* p. 438.

cipue quod & ſeptem illæ tubæ in Templo, cœli typo, aſſervari conſueverant (*k*) & proinde etiam ſacerdotibus ſeptem tradi. Sed de hac re alia forſan occaſione plura dabimus, nunc demonſtraſſe contenti, ad illud claſſicum cantandi munus nec Kahathitos nec Korachitas admiſſos fuiſſe.

§. 6.

Poſtea tamen ſingulari occaſione Joſaphatus ex mente populi & ſenatus-conſulto claſſicum novum, aut potius barritum ſacrum inſtituiſſe legitur, Muſicalem magis & ad celebrandam Domini exercituum majeſtatem egregie accommodatum ſtupendoque confirmatum miraculo. Factum namque eſt, ut ex improviſo, antequam in prœlium contra Ammonitas alioſque allophylos adventantes Judæi urbe excederent, ad preces Joſaphati regis Jahaziël quidam Levita ex Aſaphi progenie, prophetico ſpiritu inflatus, Kahathitas inprimis & Korachitas fratres ſuos ita animaret, ut illi divinitus illuminati reique inſolentia perculſi, ſublimibus hymnis epodiſque ex tempore compoſitis, Jehovam Deum Iſraëlis eximie celebrarent. Neque id tantum, ſed & ipſi illi

(*k*) conf. cl. BUSING. *Diſſ. de Tubis Argent.* §. 20.

illi Kahathi & Korachi nepotes mox, agmine facto, ex urbe prorumpunt in occurſum hoſtium, caſtraque primi ponunt in deſerto Thekoæ, ut fiduciæ ſuæ non tantum, verum etiam lætitiæ propheticæ vivacitatem atque enthuſiasmum ſolenniter manifeſtarent, tanquam certi de futura ac divinitus concedenda victoria. Ibi tunc Joſaphatus populum haud difficulter perſuaſit, ſequi Levitas illos non tantum, ſed & legem ea de re militarem ſancire, ut primo ſemper agmine poëtas illos ante aciem præmitteret, qui ſempiternam Jehovæ benignitatem hac victoria luculenter confirmatam, in perpetuam rei memoriam, ſummis laudibus & muſicali tripudio ad aſtra eveherent. (*l*) FLAVIUS JOSEPHUS (*m*), ut ſolet, oſcitantius de hac hiſtoria verba facit, ac ſi non inſtitutum perpetuum, ſed conſilium de re præſenti ea pii regis conteſtatio & perſuaſio fuiſſet. Verum debita textus originalis inſpectio attentum quemlibet & præjudiciis non faſcinatum lectorem docebit, militarem hunc morem non tunc ſolum, ſed deinceps quoque Judæis arriſiſſe & obſervari debuiſſe. Quare & LAKEMACHERUS (*n*) forſan nimis con-

(*l*) 2 *Chron.* XX: 19—21.
(*m*) Antiq. Jud. Lib. IX. C. 1.
(*n*) Obſerv. Philol. T. I. P. III. Diſſ. 3. §. 7. p. 249.

confidenter *Sacerdotem Caſtrenſem* Rabbinorum ad *non* entia relegat, cum præſtitiſſet ad hoc Joſaphati inſtitutum Judaïcas traditiones referre, atque ab inſanis magiſtrorum gloſſis miſeriſque MAIMONIDIS aliorumque interpretationibus purgatam antiquitatem ita reſervare, ut ſaltem Jehaziëli noſtro Kahathitisque & Korachitis barritum edentibus ſua dignitas ſuaque exiſtentia concederetur. Quin & ipſa formula triumphalis cantilenæ pæanisque ante latam victoriam a Chronicographo ita indicatur, ut credibile fiat, quemadmodum *Pſalmus* CXVIII. ad aliam occaſionem aperte reſtringitur, (*o*) ita *Pſalmum* CXXXVI. eundem illum Hymnum Propheticum, quem Kahathitæ & Korachitæ canebant ex tempore, exhibere potuiſſe: quippe cujus verſiculi ſinguli in hanc ferme hemiſtichii formulam exeant כי לעולם חסדו: quin & ipſe verſiculus primus, aliis etiam Pſalmis præfixus (*p*) cum tota formula ferme examuſſim conveniat, niſi quod in hiſtoria *το* כי טוב omittatur. (*q*) Sed & hoc brevitatis gratia ideo facile

(*o*) 1 *Chron.* XVI: 34, 41.
(*p*) *Pſ.* CVI: 1. CVII: 1.
(*q*) 2 *Chron.* XX: 21. Conf. *Pſ.* CXXXVI: 1. ſqq. Id jam obſervaſſe videtur HOTTOMANNUS, quem citat MAJUS *Hiſtor. Reform.* p. 304.

facile omitti potuit, quia ſequenti argumento כי לעולם חסדו, quoad ſenſum, omnino continebatur, fuſiusque per totum carmen exprimi atque explanari debebat.

§. 7.

Miraculo proximum quis forſan putabit eruditiſſimis multis Interpretibus Pſalmorum, nominatim COCCEJO, LIGHTFOOTO, MUYSIO, GEYERO, SONTAGIO, CARPZOVIO aliisque & ne quidem acutiſſimo VENEMÆ hanc, quam appellabit, hypotheſin in mentem veniſſe, & vel eo nomine noſtram hanc opinionem de Korachitis, Pſalmorum aliquot auctoribus exſibilandam eſſe, pronunciabit alto cum ſupercilio & tanquam ex tripode. Sed parcius ſemper ejusmodi argumentum ad hominem, quod ajunt, objici vellem. Auctoritatibus enim non pugnandum, ſed rationibus & judicio. At vero notiſſimum prorſus eſt, Judæorum magiſtros mira multa de conſervatione filiorum Korachi eorumque reſipiſcentia commentos, palpum Chriſtianis Doctoribus obtruſiſſe, Patresque nonnullos Eccleſiæ, linguarum orientalium, ſanioris Critices & Antiquitatum ſacrarum ignaros, corticem lambere, aut allegorias leviori tibicine nixos ſomniare haud erubuiſſe, miraque mox uſos exegeſi vel Korachitas in de-

deſerto, vel ſi ea de re dubitarent, Davidem Hemanem, quod is ex Korachi gente eſſet, vel promiſcue virum aliquem Anonymum, Θεοπνευστον tamen, pro auctore Pſalmorum, filiis Korachi adſcriptorum, liberius venditaſſe. Librum quoque Chronicorum, abſconditæ eruditionis ditiſſimum penum, ſugillare nonnulli ejusque auctoritatem, Chronologicam ſaltem, in dubium vocare ſategerunt; vel, ſi id non auderent, oculo tamen critico debitaque attentione examinare abſtruſas in eo libro obvios Genealogiarum catalogos & barbararum appellationum farraginem.. præfracte noluerunt. Neque etiam, quod mireris, ipſis Commentatoribus Criticis, valde neceſſarium atque utile viſum fuit, in auctorem, ſcopum, aliasque Pſalmorum circumſtantias adeo anxie inquirere, quod his fundamentis non indigere ſe ſentirent ad cudendas analyticas myſticas, propheticas, typicas, morales & neſcio quas alias accommodationes & alluſiones, quibus omnem fere commentandi in Sacra volumina artem hactenus conſiſtere deprehendebant. Unde etiam factum eſt, ut & Korachitæ noſtri inter publicos Sanctuarii priſci Muſicos ab illis locum acceperint, hac tamen dura ſatis conditione, ut cantores ſolum, non autem auctores & poëtæ exiſterent. Quaſi vero in S. Pande-
 ctis

ctis nomina Levitarum infimæ dignitatis; ſi ad progenitores reſpicias, Canticis Divinis aut lucem aut auctoritatem adderent, ideo tantum, quod alta voce canere, aut inſtrumento quodam ludere potuiſſent; etiamſi ejus hypotheſios in hiſtoria nulla, quæ ſatisfaciat, ratio reperiatur. Sed ſalva omnia ſunt, ubi Korachitas auctoribus Pſalmorum, cum paucis quibusdam interpretibus, acc enſeas. Illos enim manifeſte נביאים *Prophetas Jehovæ* una cum Kahathitis & Jehaziële Aſaphi gnato rex Joſaphatus declaravit (*r*), quare etiam commode, tanquam qui, Spiritu Divino inflati, cœleſtia oracula dictaverant, in fronte Pſalmorum, quos compoſuerunt, appellandi erant; ut lector hoc titulo introductionis loco poſtmodum uteretur, quo ad genuinum ſenſum carminis penetrare poſſet. Qui vero de Korachitis noſtris, variisque de eorum dignitate opinionibus plura cupiat, adire poterit J. G. CARPZOVIUM in *Introductione* (*s*) & SONTAGIUM in *Titulis Pſalmorum* ad Pſalmum XLIX (*t*); tum etiam Commentatores & Antiquarios paſſim.

§. 8.

(*r*) 1 *Chron.* IX: 20.
(*s*) Part. II. p. 105.
(*t*) Pag. 473. ſeqq.

§. 8.

Tribus equidem palmariis difficultatibus premi eorum ſententiam deprehendo, qui Filios Korachi, mecum Pſalmiſtas faciunt. Prima eſt objectio VATABLI (*u*) quam celeb. VENEMA priori quoque loco recenſet (*v*), ut Korachitas ex catalogo poëtarum divinorum ejiciat, ad exemplum GEJERI & inprimis SONTAGII, qui, ut R. KIMCHII opinionem de Davide horum Pſalmorum auctore, qui Filiorum Korachi mentionem in exordio faciunt, ſtatuminaret valide, ita ſcribere non dubitavit. (*w*) *Hos vero Korachitas, cum nonnullis Interpretum Pſalmi noſtri quadrageſimi noni (perinde atque* 42, 44, 45, 46, 47, 48, 84, 85, 87, 88) *Auctores conſtituere minus videtur conſultum; idque vel ideo, quod plures ejusmodi Levitæ, ad miniſtrandum cantandumve in templo conſtituti, vix ita conjunctim unius hymni θεοπνευςϰ potuerint extare Auctores, niſi ῥαψῳδιαν quandam miraculoſam iisdem perinde, ac* LXX *Interpretibus τα συμφονα ſingulatim in cella conſcribentibus, affingere quis velit.* Sed confuſe nimis SONTAGIUS de his titulis Pſalmorum differit

(*u*) POLI Synopſ. ad *Pſ.* XLII.
(*v*) Comm. in *Pſ.* XLII. §. 4.
(*w*) De Tit. Pſalm. p. 476.

differit & ſymphonizantem oppido rhapſodiam imo kakophoniam componit, cum ſoli *Pſalmi* XLVIII & LXXXVII omittant Archimuſicum, Filiosque Korachi nude memorent. Et Choragus quidem priori loco proſtat ante Pſalmos XLII, XLIV, XLV, XLVI, XLVII, LXXXIV & LXXXV, poſteriori vero ante Pſalmum LXXXVIII, qui & id habet ſingulare, ut appelletur, poſt integrum demum titulum משכיל להימן האזרחי; de qua inſcriptione ſuo loco fuſius. Tota igitur Viri docti difficultas devolvitur in quadrageſimum octavum & octogeſimum ſeptimum epodon. Enimvero ubi Archimuſicus anonymus poëta exſtitit & ipſa cantilena ſolo Korachitarum choro ab eodem deſtinata fuit, nec rhapſodia Sontagiana, nec cellulis LXX Interpretum indigebimus. Dicta autem Pſalmorum biga, in quam omnis moleſtia irruit, duplicatæ formæ inſcriptionem ſuſtinet שיר מזמור ſive, quod perinde eſt, inverſo ordine מזמור שיר: quæ mihi videtur & ad vocalem & ad inſtrumentalem Muſicam pertinere. Quamobrem & Korachitæ, duo ſaltem, auctores eſſe potuiſſent, unus poëmatis, alter autem ſymphoniæ ad formam & materiam carminis accommodatæ, quo ſic a Korachitarum ſuorum choris addiſceretur & ſolenniter caneretur ac luderetur.

Pro-

Profecto Pſalmi illi ambo militarem decebant chorum, deque imperio Zionis in barbaros, victoriis parto & munimentis nec non majeſtate confirmato, pæana odenque triumphalem efficiunt.

§. 9.

Alterum dubium, quod movet etiam celeb. Friſiorum Theologus, in eo ponitur, *quod Korachitas cantorum partes obiiſſe ex 1 Chron.* VI: 16 &c. & XXV, & 2 *Chron.* XX: 19. *& aliunde conſtet: poëtas autem fuiſſe, divinitus adſlatos nullo indicio pateat.*. Sed ad hæc verba Viri æſtumatiſſimi cordate reſpondeo, neutrum aſſertorum ab ipſo debite ponderatum æquaque magni ſui atque ακριβεςατῳ judicii bilance trutinatum videri. Evidenter enim me oſtendiſſe confido, nullatenus conſtare ex primo των Παραλιπομενων libro, Filios Korachi Davidis jam ætate cantorum publicorum munere functos eſſe, ſed Joſaphati demum juſſu & conſilio ejusmodi quid, ſed prorſus extraordinarium de iis in loco, ex ſecundo Libro allato, affirmari: neque hoc tantum, ſed & commate immediate ſequenti viceſimo eosdem Korachitas nuncupari Prophetas, cumque Kahathitis quibusdam & Jahaziële Aſaphi pronepote, uni eidemque Chori

Militaris collegio adſcribi; fuitque hæc illa ſymphonia miraculoſa & Prophetica, quam tantopere Viri Docti exſibilant; cum tamen duo luculentiſſima ejus rèi exempla in Primo Samuëlis Commentario reperiantur. Enimvero ipſi Saulo ſimile quid obtigit; ubi ex prædictione Samuëlis Bethele in axiomate regio confirmabatur (*x*), Najothique in Ramæ ſuburbiis Chori Prophetarum ſub Archimuſico Samuële, divinitus adflati, canebant, legatosque regios, quin & ipſum regem ſibi aſſociabant. (*y*) Atqui Kahathitarum Korachitarumque pæana ſimultaneum ex eodem genere fuiſſe fit plus quam credibile, quando ad omnes circumſtantias caſusque peculiaris canonicam narrationem attendimus. Prolapſis enim, & ut rurſus id moneam (*z*), univerſo Juda omnibusque Hieroſolymitanis civibus cum Joſaphato rege in terram proſtratis & enixe precantibus ſolenni pœnitentiæ contritionis & anxietatis publicæ ritu, Levitæ ex Kahathitarum & Korachitarum familiis mox ſurgebant, precumque certam exauditionem exſultabunda panegyri & ſublimiori concentu, utpote jam acquiſitam, hoc miraculo de

(*x*) 1 *Sam.* X: 5, 6.
(*y*) 1 *Sam.* XIX: 20. ſqq.
(*z*) Conf. ſupra §. 6.

demonſtrant, eodemque fiduciæ zelo animati in deſertum Thekoënſe mox armati prorumpunt. Tum vero Joſaphatus Judæos ſuos hoc Divinæ confirmationis ſigno præſentiſſimo & luculento ad fidem fiduciamque militarem plenariam inſtigat, ut & Jehovæ Deo ſuo confiderent determinatisque & non ambiguis Prophetarum, quæ audiverant, vaticiniis omnia indubitate concrederent.

§. 10.

Tertium denique ſcrupulum adverſus eorum hypotheſin, qui Korachitas Hieropſaltis annumerarunt, his verbis cl. VENEMA profert: quia Inſcriptio *Pſalmi* LXXXVIII, præter præcentorem & Korachitas diſerte autorem Hemanem Ezràchitam additum præfert; argumento, Korachitas non pro auctoribus haberi poſſe. Sed pace elegantiſſimi Commentatoris animadvertere liceat, paralogismum huic ſubeſſe argumentationi. Sic enim habet: Quicunque doctrinæ cujusdam poſtea in poëma transfuſum auctor eſt, is & poëmatis illius auctor dicendus. Atqui Heman Ezrachita doctrinæ משכיל *Pſalmo* LXXXVIII decantati auctor eſt. Ergo & ejusdem Pſalmi, quemadmodum in Canone legitur. Major propoſitio manifeſte falſa eſt. Neque etiam ipſe Vir clariſſimus hunc

H 5 He-

Hemanem pro Archimuſico habet; quod ex ejus mente Levita is Kahathitarum princeps minime fuerit, ſed omnino Zerachita, mutataque dialecto Ezrachita ex Judæ proſapia; quæ dudum quoque LIGHTFOOTI conjectura fuerat. (*a*) Atqui Archimuſicus tamen anonymus Korachitis præpoſitus pro auctore poëmatis: Heman autem pro divino philoſopho ſalutatur, cujus inſpiratam orationem ſed ſolutam, ligato deinde ſermone Choragus expreſſerit, ſacriſque cantationibus accommodaverit. Recentiores enim Prophetæ & Prophetiſſæ priſcorum oracula in rem ſuam converterunt iisdemque non ſemel phraſibus & pericopis uſi ſunt, veluti alibi ad definiendum plagium, quod dixi, propheticum obſervavi, & ex Joannea præſertim (*b*) Apocalypſi cum Daniele, Jeremia, Ezechiele & Zacharia collata, tum etiam ex ſimilitudine, quæ Hannæ Samuëlis cum Mariæ Jeſu Chriſti Soſpitatoris noſtri matris ſublimioribus hymnis intercedit, luce meridiana clarius apparet. Quorſum quoque Salomonis illa adagia ſuo modo referenda, quæ a conſiliariis Hiskiæ conſcripta & in Canonem relata deprehenduntur. (*c*) Sed dicemus ad calcem hujus Diſſertationis de

(*a*) VENEMA in Pſalm. Tom. V. p. 67. ſqq.
(*b*) Hiſtor. Crit. Edom. §. XII.
(*c*) *Prov* XXV: 1. ſqq.

de hoc Pſalmo & ſequenti, qui Echanis nomen gerit, ſeparatim, quæ huic obſervationi noſtræ majorem lucem adſpergent.

§. II.

Verum enimvero hoc etiam paradoxum inſolitumque attentis Pſalterii ſacri lectoribus apparere debet, inter Korachitarum Pſalmos magnum ſatis hiatum, quoad ſeriem concatenatam, reperiri. Licet enim, quod per ſe liquet, Pſalmus Quadrageſimus Tertius parallelus & pro parte cum præcedenti verbotenus conſpirans, Korachitis itidem adſcribendus ſit, atque ita hiatulus ille ſaltem tollatur, tamen à *Pſalmo* L ad LXXXIII Davidis & Aſaphi odæ, tum etiam orphanæ quædam, ut Rabbinis audiunt, carmina interjecta reperiuntur, priusquam Canon ad reliqua Korachitarum epoda procedit. Quale quid & in *Pſalmo* LXXXVI occurrit, qui, *Precatio Davidis* ſalutatur, & nihilominus inter Korachitarum opera poëtica recenſetur. Ratio hujus rei in obſcuro latet. Id tamen extraordinarium atque attentione critica digniſſimum mihi viſum fuit, priorem Korachæorum Pſalmorum ſeriem Canonicam a XLII ad XLIX manifeſte & facillime ad fata Judæorum ſub regno Joſaphati referri, idque ordine

ordine ferme Chronologico; cum poſteriores Odæ LXXXIV, LXXXV, LXXXVII & LXXXVIII generaliori prorſus pietatis praxi abundent, ita ut ad reditum ex Babylonica ſervitute, vel ad tempora Maccabaïca, vel forſan quoque ad Evangelica & antitypica Eccleſiæ N. T. fata digitum directe magis intendere videantur. Quæ obſervatio conjecturis multis Criticis januam aperiet, hoc loco non memorandis, ne hæc noſtra nimium quantum excreſcat disquiſitio.

§. 12.

Sed eamus bona cum venia per ſingulos atque exploremus occaſionem, qua compoſiti Korachitarum noſtrorum hymni fuerunt, aut ſaltem fuiſſe poſſunt? Societate quippe cum Achabo inita, involutusque prœlio & circumdatus a Syrorum curribus falcatis ad Jehovam Joſaphatus rex clamabat vocibusque Numen flagitabat, ut ex præſentiſſimo ipſum eriperet periculo. (*d*) Neque enim video, cur hæc SANCTII interpretatio nimis longe petita BUDDEO (*e*) dicebatur, cum verba textus explicent characteremque Joſaphati declarent, quo deprehenſo duces Syri

(*d*) 2 *Chron.* XVIII: 31.
(*e*) Hiſt. Eccleſ. V. T. T. II. p. 333.

Syri ſatis intelligebant, impium Achabum cum *hoc* non confundendum, atque ita ex præcepto regis pugnæ vehementiam alio vertendam eſſe. Commiſſum autem hocce prœlium fuiſſe prope Ramotham in Gileaditide, quam urbem Syri obſidione liberare volebant, aut ſaltem inde non procul, ex ipſo fœdere bellico inter duos reges ſocios ſancito & ex itinere militari conficitur. (*f*) Ubi vero ſingulari Divinæ Providentiæ luſu vix evaſit Joſaphatus, reliquias copiarum ſuarum fugitivas in ſeptentrionem abduxiſſe videtur, eo quod Jordanis tranſitus aliæque fugitivis hoſtibus evadendi rimæ domumque redeundi occludebantur a Syris (*g*), perque prudentiam militarem occludi debebant, veluti a Gileaditis quondam factum fuerat. (*h*) Interclusum enim iter Achabo ſaltem vulnerato fuiſſe, ut ad veſperam currus ejus ex acie avehi non poſſet, Hebraïca narrationis verba extra dubium collocant. Situm vero fuiſſe Ramotham in confinio Syriæ conſtat ex eo, quod hæc urbs in Syrorum poteſtate ſola non manſisſet, ſi propius ad auſtrum Maris Galilæi atque ita in media Gileaditide, juxta Geographorum quorundam placita, jacuiſſet. Quare

(*f*) 2 *Chron.* XVIII: 4—28.
(*g*) *vſ* 34.
(*h*) *Jud.* XII: 4—6.

Quare & ad *fontes Jordanis*, montium *Hermonim cataractas*, quin imo abyſſos lacus Phialæ ad urbem Paneam (*i*) Joſaphatus ægerrime cum ſuis elapſus, ducumque illic ac tribunorum ſuorum, ut & Phœniciorum aliorumque ſociorum contumelias expertus, in mœrorem ac deſperationem quandam decidit, cumque impiis quibusdam ſui regni optimatibus de pietatis ſuæ vano, ut fit, ac lamentabili exitu diſceptare coactus eſt. Quæ ſane omnia rite ponderata & penitius introſpecta, ad intelligentiam Pſalmorum XLII & XLIII opportuniora exiſtimaverim, quam Davidem qui ultra Mahanaïm a facie rebellis filii Abſolomi non fugit, ad terram *fontesque Jordanis*, imo *ad montes & colles Hermonim*, invita Minerva, abducere; quippe qui inſigni prorſus diſtantia a Mahanaïm in Septentrionem vergebant, RELANDO (*k*) CELLARIO (*l*) aliisque Geographis minime abnuentibus: ut ipſe erud. BACHIENIUS in omnes ſe vertere partes debeat, ubi locum *Pſalmi* XLII: 7 & 8. ad eam, quam diximus, Davidis fugam refert. (*m*) Sic perperam quoque LIGHTFOOTUS *abyſſos Pſalmi* XLII aliasque phraſes ad Jordanem ſim-

(*i*) JOSEPH. de Bello Jud. L. III. C. 18.
(*k*) Paleſtin. *p.* 323. 610.
(*l*) Geogr. Antiq. T. II. *p.* 376.
(*m*) H. Geogr. 1 D. bl. 201.

ſimpliciter ſpectatum alludere auguratus eſt. (n) Et celeb. VENEMA (o) mare Genezarethum nec non Sodomæum ſimul ſpectatum melius aliquanto in cenſum vocat; ſed ne vel ſic quidem *abyſſos* debite elicit. Ergo Filios Korachi poſt victoriam de Ammonitis reportatam crediderim ego iſtam, quam memoravimus, Joſaphati anxietatem ab ipſo deinde enarratam, in ligatum coëgiſſe ſermonem, atque ea ratione triumphum de impiorum blaſphemiis & contumeliis poſtliminio ceciniſſe.

§. 13.

Ad expoſitionem Pſalmi Quadrageſimi Quarti ſummopere laborant Interpretes in alluſione hiſtorica, ſcopo ſive morali ſive prophetico legitime expiſcandis. Legi poſſunt apud celeb. VENEMAM in compendio variæ Virorum doctiſſimorum hypotheſes adlatæ non tantum, ſed ſimul etiam everſæ abjectæque, quod minus conveniant. Ad calamitoſum igitur illud tempus, quo graſſata eſt ſæviſſima Antiochi Epiphanis perſecutio, quæ CHRYSOSTOMI quidem THEODORETI, LYRÆ & CALVINI fuerat opinio, elegantiſſimus Commentator reſpicit, ſimulque

(n) Opp. Tom. I. *p.* 67.
(o) ad *h. l.*

que Pſaltem ad tempora Maccabaïca rejicit, nulla prorſus Korachitarum noſtrorum ratione habita, quod illi, ſi placet, non auctores ſed cantores fuerint. Verum ita oſtendere debuiſſet Vir egregius, poſt reditum ex Captivitate Babylonica Korachitas peculiarem conſtituiſſe chorum, quod profecto non tantum probari nequit, ſed valde quoque fit improbabile ex eo, quod Sallumi nepotes rurſus inter oſtiarios comparent, (*p*) chorique a Nehemia inſtituti leguntur non niſi duo, & ii præſertim ex Aſaphi proſapia. (*q*) Præterea & ordo ſeriei Chronologicæ obſtat, quo minus a Juda Maccabæo fortaſſis ordinati Korachæi hic nobis arrideant, cum iterum Pſalmus immediate ſequens, juxta cl. VENEMAM, ad Salomonis ætatem referatur atque ita epochæ cantationum longe diverſæ minus appoſite coagulari confundique videantur. Inventa ejusmodi Hermeneutica, quantumvis ingenii ſpirent, non placent mihi. Rurſus itaque ad Joſaphatum redeo, eumque ab Jehu vate reprehenſum, ubi, urbem tandem ingreſſus, multum exercitus partem amiſerat, pro poëmatis ſubjecto loquenti principali habeo, militaremque ſimul Korachitarum Archimuſicum peremptorium carminis auctorem

(*p*) *Ezr.* II: 42.
(*q*) *Nehem.* XII: 31. XI: 22.

rem facio: quatenus quod ab aliis Korachitis confectum erat, tonis atque inſtrumentis miro artificio accommodaverit. Nec minus tamen conſentientem me habebis, ubi magis placeat, belli Syriaci ſequelas, aliasque deinde ſtrages inter Judæos, regnante Joſaphato, editas, priusquam pacem cum Syris facerent, in cenſum vocare & pro objecto alluſionis poëticæ ſalutare. Fuiſſe enim pium regem bellicoſiſſimum ſimul principem ſatis apparet, (*r*) precibusque ipſum ejusmodi militaribus uſum eſſe, qui pietatem ſolitariam religionemque publicam per totum imperium utramque facere jubebat paginam, neminem fugit. Quem in finem & Kahathitarum Korachitarumque chorum bellicum inſtituiſſe eum, ſupra non contemnendis argumentationibus comprobatum dedimus. (*s*)

§. 14.

Nec minus amatorium illud Canticum Pſalmi Quadrageſimi Quinti, quod ab Archimuſico Filiisque Korachi compoſitum videtur, Joſaphato regi dedicatum fuit; eo quod ipſe poëta ſeſe regem fatetur alloqui (*t*), tota-

(*r*) 1 *Reg.* XXII; 46.
(*s*) §. 6.
(*t*) *Pſ.* XLV: 2-5.

totaque poëmatis allegoria ad matrimonium Filii Regis, regio ſimul axiomate inſigniti, cum filia alterius regis alludit (*u*), & ita quidem, ut paternam ſponſa familiam obliviſci jubeatur ubi digna tanti tamque pii regis filio nubere velit. (*v*) Ea profecto carminis ſectio, quæ militarem odam ſpirat, (*w*) magis quadrat in Joſaphatum, cujus gloria atque opulentia Salomonis illam adeo decantatam felicitatem ſi non ſuperavit in bellico apparatu, ſuperavit tamen in expeditionibus & re fortiter geſta; quandoquidem heroica virtus inter Salomonis encomia caput extollëre non potuit, quod impune Hadadum Edomæum, Rezonum Syrum & Jerobeamum Ephratitham rebellare & regiones ſuas devaſtare paſſus eſt (*x*), quale quid Joſaphato imputaverit nemo. (*y*) Cum Achabi autem filia, nomine Athalia, matrimonium contraxiſſe Joramum Joſaphati gnatum, ſacra itidem Hiſtoria teſtatur: (*z*) Joramumque hunc, inito hoc matrimonio mox ſimul cum patre regnaſſe, temporum & ſupputationum Chronologicarum ratio ſua-

(*u*) *vſ.* 9-17.
(*v*) *vſ.* 11, 12.
(*w*) *vſ.* 4-6.
(*x*) 1 *Reg.* XI: 14-26.
(*y*) 2 *Chron.* XVII. coll. 2 *Reg.* XXII: 46.
(*z*) 2 *Chron.* XVIII: 1.

ſuadet. (*a*) Agnoſcebatur ſic Athalia ad dextram ſoceri Joſaphati pro regina, atque id quidem ſolenni ac religioſo ritu, ubi auratis veſtibus ornata Judæisque paranymphis ſtipata ad veram religionem incitabatur, matronisque regiis tradebatur, quæ ipſam ad Regem Joramum in peculiare ejus palatium ad celebrandas deducerent nuptias. Quale utique, ni fallor, ſchema a commate decimo ad decimum ſeptimum excurrit, & ejusmodi quidem, ut ad Sulamitham Pharaonis filiam Salomoni nupturam transferri trahique, niſi obtorto collo, poſſit. Succeſſio namque *filiorum in patrum locum* atque inauguratio vivis adhuc parentibus diſerte verſu decimo ſeptimo commemoratur, qualis in Joſaphato ac Joramo feliciter auſpicata eſt imperium. Luculentius hæc omnia ad Meſſiam, per continuatam Allegoriam, transferre facile nobis foret, ſi id nunc ageremus, cum ſimultaneum ejus cum Patre Cœleſti regimen & myſticum cum Gentilibus conjugium antitypice ita pingantur in hac hiſtoria, ut ſublimius nihil nihilque accuratius, quin imo accommodatius, excogitari queat. (*)

§. 15.

(*a*) SIMSON Chron. Cath. *p.* 436. edit. WESSELING OPPERHAUS Spicil. Hiſtor. Chron. *p.* 46.

(*) Equidem ſi quod ipſe ſentiam quæris, B. L.

§. 15.

Pronior tamen longe & facilior erit applicatio fatorum Joſaphati ad quadrigam Pſalmorum immediate ſubſequentium. Cœcutiat ſane ſua ſponte eum oportet, qui Moabitas, Ammonitas ac Seiræos, innumerabili copiarum multitudine Judæam invadentes ac divinitus ad internecionem cæſos

licet inventum hoc ferax doctiſſimi & amiciſſimi Auctoris ſpiret ingenium, ſpeciemque aliquam habere haud diſſimulem, multa tamen obſtant, quo minus mihi ſit integrum in ejus ire ſententiam. Ne plura commemorem, an credibile cuiquam videri poteſt? Spiritus S. adflatu proſpera adeo de Jorami & Athaliæ nuptiis vaticinatum fuiſſe Archimuſicum, quæ eventus fefellit. Et ſi ad pia ſolum vota Pſaltis dicta reſtringis, an credibile cuiquam videri poteſt? Pſalmum hunc licet elegantiſſimum, licet nuptiarum die evulgatum, poſtea tamen, cum votis his neutiquam reſponderent indigniſſimi & ſceleſtiſſimi conjuges, numero Pſalmorum inſeri, aut inſertum potuiſſe manere in ſerie Pſalmorum ad uſum populi, absque ulla nota aut indicio, infames conjuges vota hæc feciſſe irrita. Plura non addo, niſi quod multa habeat ſpecimen hoc egregia, quæ Lectorum eruditorum adtentionem & plauſum merebuntur. N. B.

ſos haud deprehendat in Pſalmo quadrageſimo *ſexto.* (*b*) Falluntur enim egregie, qui in Sanheribi caſtris *arcus & haſtas cælitus fractos currusque militares concrematos* etiam eſſe ſibi, per deſperationem Exegeticam, imaginantur, ut ſcilicet commati decimo faculam accendant, dicam an nebulam objiciant tenebrasque Cimmerias? Quæ enim habet HERODOTUS (*c*) atque ex eo FL. JOSEPHUS, (*d*) de muribus, Aſſyriorum pharetras arcusque & ſcutorum habenas ambedentibus, deque illorum fuga & clade hinc ſecuta, ad Sethonem Ægyptiorum regem ejusque liberationem ab imminenti periculo, non autem ad Hiskiam pertinent. Qua in re & ſummopere hallucinatur JOSEPHUS, ubi Peluſium cum Libna, Tirhakæque regis Æthiopum adventum, cum Sethonis imbelli itinere, Herodotumque cum Sacro hiſtorico, atque adeo quadrata cum rotundis confundit. (*cc*) Igitur Prophetia hæc mihi videtur militaris Kabathitarum & Korachitarum, ad quam Joſaphatus provocat in oratione bellica ad populum ha-

(*b*) coll. 2 *Chron.* XX: 22. ſqq.
(*c*) Hiſtor. l. II. p. m. 143. Edit. GRONOV.
(*d*) Antiq. Jud. l. XV. c. I.
(*cc*) Conf. MARSHAM Chron. *p.* 513. & noſtra Hiſtor. Crit. Edom. §. 227. *p.* 416.

habita (dd), quod præprimis ex altero commatis ſexti hemiſtichio conficitur: quod ſic habet: יָעְזְרֶהָ אֱלֹהִים לִפְנוֹת בֹּקֶר. Celeberrimi VENEMÆ gloſſa notatu digniſſima ad hanc ſtropham Filiorum Koræ ejusmodi habetur: *Hæſerunt Interpretes in emphaſi hujus phraſis explicanda & ad rem, de qua agitur adplicanda, & varie inſtituerunt. Quod non feciſſent, ſi ad tempus Hiskiæ attendiſſent, cujus characterem hæc ipſa verba exhibent.* En tibi noſtrum gloſſema ſuperiori candide oppoſitum: Fortaſſis perſpicaciſſimus Commentator ne ſic quidem inſtituiſſet, ſi ad Joſaphati attendiſſet ætatem & ad Korachitarum iter matutinum in ſolitudinem Thekoanam; ſiquidem ad eorum hymnos miraculoſos Ammonitæ primo & Moabitæ Seiræos delerunt, moxque ortis jurgiis enſes haſtasque mutuâ laniena in propria viſcera converterunt, ita ut ab Judæis & pio rege loco hoſtilis aciei non niſi cadavera deprædanda in deſerto reperirentur. (e) Poterunt etiam non ſine fructu conſuli ea, quæ in Hiſtoria Edomæorum de hac ſociorum ſtrage admiranda monuimus (f), præſertim quod hæc noſtra obſervatio propter Seiræas copias

(dd) 2 *Chron.* XX: 20, 22.
(e) 2 *Chron.* XX: 33, 34.
(f) §. CCVIII. p. 369. ſqq.

copias internecione deletas, ad eandem hiſtoriam *quodammodo* pertinet.

§. 16.

Jam quod ſpectat Pſalmos Quadrageſimum ſeptimum & octavum, tritam hic viam calcamus, eo quod adeo clara & perſpicua in his regnet alluſio ad eam, quam diximus, barbarorum cladem, ut ipſe eximius Commentator, reliquis omnibus hypotheſibus prorſus abjectis, nobiscum hac in parte faciat, digniſſimusque ſit, qui ad ulteriorem hujus materiæ explanationem, omnino legatur. (*g*) In eo tamen paululum differo ab opinione Viri clariſſimi, quod Koracħitas, utpote chorum novum militarem facientes, una cum Archimuſico ſuo peculiari, poëmatis auctore primario, non autem Judæos univerſos, priorem pæana; Pſalmum quippe XLVII ceciniſſe autumem, & id quidem præciſe poſt ſpoliata barbarorum caſtra direptasque exuvias, incruenta Divinitatis reportata victoria, ante triumphantis exercitus aciem Urbem intrantes, lætisque uxorum liberorumque acclamationibus receptos. (*h*) Quibus accedebant procul dubio

(*g*) VENEMA *l. c. p.* 237. ſqq.
(*h*) 2 *Chron.* XX: 27-29.

bio, ut fit, legati ab Ammonitarum, Moabæorum Edomæorumque reliquiis, pacem enixe flagitantes, ſuasque gentes Joſaphati imperio potentiſſimo ſubmittentes: quale quid, etſi in hiſtoria Canonica totidem verbis non referatur, tamen ex rerum circumſtantiis haud ægre conjicitur, ut lux commatibus quarto, nono ac decimo non contemnenda adſpergatur. Quod vero de Korachitarum inſtituto Vir celeberrimus, quatenus auctores Pſalmorum extiterint, non ubivis inique cogitet, ex eo pateſcit, quod totidem verbis fateatur, *probabile eſſe, unum ex Corachitis fuiſſe, forte illum ipſum, qui Spiritu Dei adflatus, Joſaphatum eo tempore corroboraverit & inſignem hanc victoriam ei & toti populo prædixit.* (*i*) Exiſtimo ad Jahaziëlem reſpexiſſe illum, cum tamen ex Aſaphi poſteris & Levita Jahaziël fuerit (*k*) minime vero ex infelicis Korachi ſtemmate.

§. 17.

Ad Pſalmum XLVIII, ubi præſtantiſſimus Exegeta pedem protulit; mox Duumvirorum celebratiſſimorum IKENII & NONNENII auctoritates recitat, ut confractionem claſſis Tarſiſenſis regumque aſſociationem, hoc poë-

(*i*) l. c. *pag.* 239.
(*k*) 2 *Chron.* XX: 14.

poëmate decantatam (*l*) ad Joſaphati facinora eo audacius referat. Sed vix ego concipio, qua ratione aliter quis poſſet Criſin hiſtoricam eo reſpectu Hermeneuticæ admiſcere, clavemque reſerandis poëſeos ſacræ arcanis idoneam cudere. Scilicet haud improbabile putat cl. VENEMA (*m*), Eliëzerum Dodavæ filium, vel alium aliquem prophetam aut Korachitam auctorem carminis fuiſſe; quibus tamen & hoc ipſum non addidiſſe mallem: *Sed nihil de auctore definiendum, nec illud tanti eſt.* Aliter ego, pace tanti Viri, rationes ſubducerem, ſi placet. Nulla hic mentio Archimuſici, ſed Filiorum Korachi ſolum, quare & hic rurſus extraordinarium & miraculoſum enthuſiasmum, quem ſupra definiebam (*n*), ſupponendum puto, quo Korachitæ correpti denuo Chorearum Militarium munere fungebantur Divinitus. Problematica quædam de diffractione navium Tharſenſium alibi ad illuſtrandos Edomæorum annales attuli (*o*); verum & in hoc Pſalmo poëtæ ſupponunt, ni fallor, eam ipſam navigationis Ophireæ, a ſociis regibus initæ, abolitionem cælitus cauſatam in Hieroſolymæ gloriam atque emo-

(*l*) *vſ.* 6 & 7.
(*m*) ad h. Pſ.
(*n*) §. 5.
(*o*) Hiſt. Crit. Edom. §. 207.

emolumentum ceſſiſſe; forte quod Joſaphatus ſedem quodammodo imperii Ezeongeberam tranſferre decreviſſet. Atqui in eo non tantum latet hujus epodi emphaſis, ſed & ratio, ob quam ne quidem Ahaziæ ſubditos, poſt primæ claſſis mercatoriæ naufragium, pro nautis admittere voluit Joſaphatus (p), nimirum ne ſibi ſuisque navigationis Ophireæ emolumenta adimerent, Iſraëlitisque aut Phœniciis occaſio opportuna emporium magnificum ad Rubrum Mare exſtruendi tractu temporis naſceretur. Videlicet Joſaphatum omnino naves miſiſſe Ophiram ac Tarteſſum, quin & Joramum quoque, ſuſpicor, ad prœlium usque Zairæum, quo Edomæi potiti victoria, jugum Judaïcum abjecerunt, rurſusque mercimonia Judæorum Ezeongeberæ aſſervata diripuerunt (q), poſtquam mirandum in modum ex hac mercatura & navigatione Hieroſolyma totumque regnum Judaïcum divitiis omnique rerum pretioſiſſimarum abundantia diu floruerant. Verum hæc jam nobis, utpote commentarium exegeticum non ſcribentibus, nec Hiſtoriam Judaïcam concinnantibus, in præſentiarum ſufficiat.

§. 18.

(p) 1 *Reg.* XXII: 50.
(q) Conf. Hiſt. Cr. Edom. §. 103.

§. 18.

De objecto Pſalmi Quadrageſimi Noni parum ſunt ſolliciti Exegetæ, quanquam nihil attentis convenientius videbitur, nihilque harum odarum ſeriei Canonicæ accommodatius, quam ad miſerabilem Ahaziæ mortes ejusque hiſtoriam (*r*) vatis ſanctisſimi alluſionem reſtringere, aut ſi mavis, ad ignominoſam Jorami necem (*s*), quæ ſane evidenter docuit, ceu queritur elegia, *nullius exiſtere valoris ditiſſimum quemque atque bonoratiſſimum mortalem; omnem quippe ipſi ſplendorem ſepulcrum adimere, neminemque eſſe, qui fratrem atque amicum æque adjuvare aut expiare queat*, ut æternæ Numinis vindictæ eripiatur. Impios illos reges aſſidue in probos & religioſos debacchantes ad exemplum Achabi & Jeſabelis ita Vates exhibet, veluti probroſo ſuo exitu ſpecimina tremendæ Dei juſtitiæ atque iracundiæ præbuerant. Unde deinceps hoc elicit corollarium Korachita, ſimul ad patriarcham Korachum reſpiciendo, ſibi nihil ejusmodi timendum eſſe, ſiquidem, ut confidit, ſemet ipſa Numinis potentia & gratia mortis atque tartari, omnia deglutientis, crudelitati certo

(*r*) 2 *Reg.* I.
(*s*) 2 *Chron.* XXI: 18, 19.

certo certius ſit ereptura. Quamobrem denuo anonymus Korachæi chori Choragus, cantici auctor, ipſique Filii Korachi cantores primi extitiſſe debent; quanquam alius forte Archimuſicus a priore diverſus tunc fuerit & ſucceſſor ejus, qui ſuperiores hymnos conſcripſerat. Atque hic prima ſectio Pſalmorum, qui nomen Filiorum Korachi in fronte gerunt, abſolvitur.

§. 19.

Pergimus igitur ad Pſalmum Octogeſimum Quartum, qui Korachitarum quoque appellatione inſcribitur. Perinde eſſe rurſus declarat celeb. VENEMA, quis auctor epodi fuerit, dubitabundus tamen, utrum pro cantoribus, an pro auctoribus etiam Filii Korachi habendi ſint. (*t*) Sed idem id forſan videbitur, ac ſi aſſereret, fruſtraneam illam & minus Canonicam eſſe inſcriptionem. Eodem namque modo circa minutias hiſtoricas, in Veteri Codice obvias verſantur Viri docti, niſi alicubi Judæorum magiſtri, quidquam commenti pro more & nugati fuerint. Longe aliter ego exiſtimo, inſcriptionesque Pſalmorum pro clavibus habeo, quibus in Hermeneutica utendum; licet fere iis uti non poſſimus ob rerum hi-

(*t*) Tom. IV. *p.* 766. ad h. *Pſ.*

hiſtoricarum penuriam. Militarem vero hanc *oden* & precationem eſſe ex quaterna repetitione nominis *Jehovæ* ac *Dei Zebaoth*, *Clypei*que emblemate bis repetito, aliisque phraſibus & ſchematibus in hoc Pſalmo obviis, palam pateſcere mihi videtur; & vel ita Choro Korachitarum bellico ejusque Chorago adſignari poſſet, ceu auctoribus, niſi id ipſe titulus manifeſte poſtularet. Neque etiam quidquam concinnius apparet, quam de Jorami impietate hæc piorum Levitarum ſuſpiria accipienda eſſe, ubi is in montana Judææ plaga, quæ ad Edomitas, continua bella moventes, ſpectabat, fana fecit & ſuggeſtus idololatricos, ibique Hieroſolymitanos ſacra coëgit peragere, cultumque publicum in Templo intermittere. (*u*) Peculiare certe Korachitarum officium erat, in caſtris ſemper verſari ibidemque ſuis hymnis & cantilenis religioni patriæ præſertim invigilare, ut fiduciam cohortes ac turmæ in Dominum Exercituum collocarent, cujus thronus erat in Sanctuario; atque inde eos omnino decuit Judæos univerſos hac occaſione ab impiis Jorami inſtitutis placida ac prudenti cantilena abducere; quod, quin in hoc Pſalmo fiat, nullus ego dubitaverim.

§. 20.

(*u*) 2 *Chron.* XXI: 11.

§. 20.

In Pſalmo LXXXV haud obſcura deprehendimus veſtigia ſtatus Judæorum ſub Achazi regno, præſertim poſt innumerabilem captivorum multitudinem Samariâ ex fraterna Ephraïmitarum principum commiſeratione & ob Odedi vatis increpationem propheticam generoſius Hierichuntem reductam, veluti Chronicographus memoriæ prodidit. (v) Certe ea res, utpote bellica, apte rurſus à Korachitis cantari potuit, eo quod inprimis aliunde barbari armata manu ad auſtrum in Judæam irruebant, Aſſyriique, in auxilium vocati, damna jam longe maxima regioni inferebant. (w) Expeti ergo enixe animadvertimus averruncationem malorum omnium poſt captivitatis laxationem aſſidue ingruentium, ulterioremque captivorum ex Syria atque Edomæa liberationem. Simul tamen poëta ſtultam ſuſpicatur impietatem reverſuram eſſe, uti eventus etiam in Achazi biographia comprobavit, ſuſpicionem iſtam non vanam, ſed propheticam fuiſſe. Nihilominus tamen reformationem egregiam promittit Korachita, nec non proſperitatem fecundam ex

(v) 2 *Chron.* XXVIII: 8-15.
(w) *vſ.* 16-21.

ex juſtitiæ & pietatis exercitio propullulaturam prædicit: quod ſane ad Hiſkiam, ultimum illum religionis inſtauratorem ante Captivitatem Babylonicam pertinere, tota connexio ſcopusque poëticæ orationis clamat & poſtulat.

§. 21.

Pſalmus LXXXVII recte quidem, me judice, a cl. Viro, quem ſæpe jam laudavimus, ad Hiſkiæ regis tempora refertur (*x*), quin & argumenta ab ipſo allata eum in finem, ut hanc hypotheſin probabilem reddat, ſolida eſſe ſimul & ingenioſe excogitata, lubenter agnoſco, imo digniſſima, quæ accuratius legantur & perpendantur. Sed paulo aliter tamen ego epocham ſpecialem definire mallem, quam hic Korachitæ, ſimultaneo œſtro incitati, ob oculos habuere. Pium enim regem ejusque imperium indigitatum eſſe arbitror non eo temporis articulo, quo de Aſſyrio cœlitus profligato gratias agebat Jehovæ, ſed eo præciſe, quo ſolemne illud Paſcha celebravit, cujus inſtar nunquam antea celebratum fuerat. Enimvero ex omni Iſraële & Juda indigenæ non tantum, ſed & peregrini ac barbari, qui ab Aſſyriis in regno Samariæ erant

(x) VENEMA in *Pſ.* Tom. V. *p.* 31. ſqq.

erant relicti, aliique finitimi, qui curioſitatis gratia advenerant, Ægyptii proinde, Babylonii, Philiſtæi, Tyrii & Æthiopes, in ipſa Hieroſolymorum urbe conglomerati, feſtivis Judæorum gaudiis lætisque epulis, cum tripudio ac lætitia, potiti ſimul ac gaviſi ſunt, quaſi & ipſi univerſi Hieroſolymis nati eſſent. (y) Læto hoc & glorioſo ſpectaculo animati Korachitæ militare rurſus carmen advenis occinunt, Zionemque tandem aliquando, cœleſtem puta, metropolim omnium populorum fore, ſedemque Monarchiæ univerſalis, cum belligerando finis imponetur, cothurnata acclamatione vaticinantur.

Ventura Babylon ſub jugum Dei, Deo
Flexura Memphis poplitem.
Præclara quamvis & Palæſtina & Tyros
Jactet virorum robora;
Nihil ad Sionem fortibus fœtam viris,
Favore tutam Numinis. (z)

§. 22.

Reſtat HEMANIS ESRACHITÆ Oratio didaſcalica, a Præfecto Korachitarum in metrum dulce melosque ſacrum muſicis tonis attem-

(y) 2 *Chron.* XXX: 25.
(z) G. BUCHAN. Poëm. *p. m.* 127. h. *Pſ.*

attemperatum transfuſa & ad ætatis ſuæ *peculiarem* caſum accommodata. (*a*) Quid enim? *Nonne* precaria prorſus dicenda eſt hypotheſis, quæ ab Hemane illo, qui Salomonis jam ætate Ezrahita, uti in hoc *Pſalmo* dicebatur (*b*), diverſum aliquem & Salomone longe juniorem fingit. Mutata enim dialecto, ut fit, *Zerach* in *Esrach* permutatum fuit, ut Heman cum fratribus Ethane, qui ſequenti Pſalmo memoratur, tum etiam Chalcole & Dara ſive Darda inter celeberrimos Judæorum philoſophos antiquos connumeratus fuerit. (*c*) Puto nempe mendam irrepſiſſe ſcripturariam Verſioni ſeptuagintavirali, ut pro Ισραιλιτη lectum ſit Ισραιτη, quod Scholiaſtes exemplaris Vaticani rectiſſime per Ζαραιτη expreſſit in titulo Pſalmi mox ſequentis LXXXIX, quale quid ex Variantibus ad 1 *Reg.* IV: 31. concludo, quæ merentur conſuli. Nec moramur eos, qui Filios Maholis, non autem Zeræ quinque illos ſapientes vocatos fuiſſe arguunt, ut ſaltem Hemanem, Ethanemque Aſaphi contemporaneos faciant. (*d*) Illic

(*a*) *Pſalmus* LXXXVIII.
(*b*) 1 *Reg.* IV: 31.
(*c*) 1 *Chron.* II: 6.
(*d*) 1 *Chron.* XV: 19. conf. 1 *Reg.* IV: 31.

Bibl. Haganæ Cl. II. F. I. K

Illic enim diſertè Heman Joëlis, atque Ethan Kuſagæ gnati dicuntur, atque ex illa parentum diverſitate ſatis liquet, nullo pacto Ezrachitas vocari duumviros, niſi ad tribum aliquam aut ſtemma Leviticum ambo genus referrent, ceu Filii Korachi, cum tamen nihil ejusmodi obtineat, ſiquidem Heman & Joël pater ejus ad Kahathitas (*e*), ut ſupra jam notavi, Ethan autem cum parente Kiſi ſive Kuſaja ad Meraritas referantur. (*f*) Quare etiam ſuſpicor, copulam ו ante בני מחול in libro Regum excidiſſe. Sed in hac noſtra de Korachitis diſſertatione antiquiſſimus auctor Heman Ezrachita proprie locum non obtinet, niſi ut plagium rurſus aliquod Propheticum a Korachitis commiſſum, Hemaniſque orationem didaſcalicam præſenti epochæ metroque peculiari attemperatam fuiſſe doceam. Atque ita neceſſe non fuit, ut poëtam, quod vellet IKENIUS (*g*), ad Uzziam vel ad Jeremiam vatem, quod auguratur VENEMA (*h*) reſpexiſſe ſtatuamus. Omnia enim verba omneſque phraſes ex amuſſim pene conveniunt cum precibus ægrotantis Hiskiæ, quando ex divino edicto Jeſaïas nil niſi præ-

(*e*) 1 *Chron.* VI: 33—38.
(*f*) *Ibid.* *vſ.* 44—47.
(*g*) Diſſ. ad *Pſ.* XLVI: 5.
(*h*) l. c. *Tom.* V. *p.* 71.

præſentiſſimam mortem portendebat; quod vel levis locorum collatio omnes præjudiciis non faſcinatos docere poterit. (i) ut mirum ſit, VITRINGAM in Commentario eximio ad hunc parallelismum non attendiſſe; qui ſane admodum naturalis eſt, eo quod Virorum ſanctiſſimorum formulas precibus inſerere ſuis ſemper moris fuit. Aliter cl. VENEMA rem inſtituit, ubi in expoſitione hujus Pſalmi paſſim confitetur, alluſionem admitti poſſe ad morbum Hiskiæ preceſque tunc fuſas. Nihil enim obſtat, quod auctor hujus carminis querelas de amicis ac ſociis ipſum in agone deſerentibus ingeminet; cum ejusmodi ingratitudo in aulis plerumque infortunii cujusdam ſequela aut inſtantis mortis prodigium exiſtat, atque adeo Hiskiæ procul dubio quoque obtigerit. Sed in eo hypotheſis hæc noſtra difficultate non contemnenda laborat, Archimuſicum quippe Korachitam in prima perſona loqui, atque ita querimonias ejus, Hiskiæ regi tribuendas eſſe non videri. Cui objectioni tamen, ad diluendum quodammodo ſcrupulum, reſponderi poterit, orationem illam Hemanis Ezrachitæ, ut jam dixi, a pio rege, ceu formulam, in agone mortis conſuetam, mox aſſumptam, deinde vero, ob emphaſin ejus

(i) Conf. *Jeſaj.* XXXVIII: 9. ſqq.

ejus efficaciam & felicem eventum, a Karachita ligato ſermone exprimi ſolenniter debuiſſe. Quibus ſemel admiſſis in eo etiam Pſalmus differet a ſcripto illo Hiskiæ, quod JESAIAS ſuis oraculis inſeruit, (*k*) ut illud contineat Gratiarum potius actionem, quam moribundi Regis anxiam ſupplicationem, hoc vero ipſam illam precationem, qua uſus rex fuit, priusquam umbra miraculoſe in ſciaterico Achazi retro ceſſerat & ita ſpes vivendi denuo illuxerat. Forſan etiam Korachitæ cantare hanc elegiam atque addiſcere debuerunt; ut militibus in pugnam deſcendentibus evaderet notiſſima, illique ea vulnerati ac moribundi in præſentiſſimo vitæ periculo uterentur.

§. 23.

Venit in mentem mihi hac occaſione, ut hoc etiam in cauſa Filiorum Korachi moneam, eruditorumque examini hanc hypotheſin ſubmittam, cogitatio non vulgaris, poëmata nempe ſacra pleraque, ſi non omnia & ſingula, Viſionum Propheticarum ſchemata ſupponere, Viſionum quippe Realium, id eſt Verarum Hiſtoriarum, ad res futuras enucleandas in ſpectacula transverſarum & eatenus ſequutura fata pingentium,

qua-

(*k*) l. c.

quatenus a Viris θεοπνεύστοις in Allegorias mutabantur, atque Orientali loquendi modo, ad aliud alludere, aliud vero deſignare ac definire jubebantur. Eam autem hypotheſin in theſin transformare opportuniori in loco, multifariaque demonſtrandi methodo confirmare & adverſus Virorum doctiſſimorum dubia vindicare conabor, ſi vires ac vitam ſufficere patiatur Deus. Quodſi hoc Theorema Theologiæ cujusdam Propheticæ Criticæ quis admiſerit, facile etiam is perſpiciet, quanti interſit noſtra, & auctorem carminis & objecta Poëticæ alluſionis omni niſu omnique induſtria ex lacunis Hiſtoriæ Sacræ & Prophanæ, quantum quidem id fieri queat, in apricum protrahere, quo ſic Viſio, quam dixi, Prophetica diſtinctior multo prodeat, omnesque ejus ſcenæ & actus in pleno theatro, eoque cœleſti, ſua majeſtate coruſcent, piosque & ſagaces ſpectatores ad ſtuporem, intelligentiam & plauſus pelliciant. Obſervare autem id volui, ne putent amplius ingenui lectores, piique Βιβλιοφιλοι, perinde eſſe, utrum quis Pſalmi auctorem auctorisque & coætaneorum hiſtorias caſusque noſcat, an prorſus hæc omnia ignoret, fruſtraneosque Criticorum conatus eſſe, qui in inveſtigandis ejusmodi adminiculis Exegeticis diligenter deſudant. Profecto optandum foret, talia, ſcolia di-

cam an ſcommata, cordatioribus Criticis eximiisque Commentatoribus nunquam exc cidiſſe!

§. 24.

Filios Korachi prophetas fuiſſe, ſaltem eos cœleſti Spiritu inflatos ad ſacram poëſin acceſſiſſe qui conceſſerit, facile etiam intelliget, pro dignitate eos æſtri illius Prophetici odas ſuas compoſuiſſe, atque adeo quoque ad eventus longe ſublimiores, quam Literalis alluſio poſtulabat, digitos intendiſſe. Citatio certe ſtropharum quarundam ex Pſalmis Korachitarum noſtrorum in Novo Teſtamento ea de re dubitare nos non ſinunt. In *Epiſtola ad Romanos* octavo (*l*) & in *Literis ad Hebræos datis* primo (*m*) capite tanta citationis vis atque argumentatio comparet, ut pro meris accommodationibus illuſtrantibus vel exornantibus citata illa ex Pſalmis Quadrageſimo quarto (*n*) & quinto (*o*) accipi nequeant. Operæ pretium arbitror hic loca appingere: Καθὼς γέγραπται· Ὅτι ἕνεκά σου θανατούμεθα, ὅλην τὴν ἡμέραν· ἐλογίσθημεν ὡς πρόβατα σφαγῆς. Ὅτα

δὲ

(*l*) *Rom.* VIII: 36.
(*m*) *Hebr.* I: 8.
(*n*) *vſ.* 23.
(*o*) *vſ.* 7.

δὲ πάλιν εἰσαγάγῃ τὸν πρωτότοκον εἰς τὴν οἰκουμένην, λέγει· Καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ. Priori loco Chriſtianorum graves afflictiones in Eccleſia Apoſtolica, poſteriori exaltatio Chriſti ad dextram Patris innuuntur manifeſte, atque ita caſus peculiares, quos Korachitarum etiam odæ ſpectaſſe debent. Sed ubi in Joſaphati Joramique filii ſimultaneo imperio ejusmodi quædam a Korachitis noſtris inventa & mox depicta ac decantata ſint, quæ vividiori penicillo antitypicas veritates atque hiſtorias repræſentabant; ſane & tunc primum ad Literalem alluſionem attendendum erit, quo ſic accuratior multo & floridior Prophetia evadat. Neque etiam ego Prophetias Literales, eas puta, quæ inſtantem quandam hiſtoriam Judaïcam aut Barbaram definiebant, quale certe Korachitarum & Kahathitarum primarius hymnus fuit, pro meris ſtatim Literalibus, quæ eas hiſtorias non redderent typicas ſimul, accipere nulla ratione potero, niſi Critice ſimul & apodictice quis demonſtraverit, ipſum hoc Implementum Literale omnem vaticinii ſenſum exhaurire unicumque ejus ſcopum ferire. Verum hæc notamus ὡς ἐν παρόδῳ, quoniam alterius ſunt loci.

§. 25.

Coronidis tandem loco & hoc obſervari velim, Davidis, Aſaphi aliorumque cantica, ubi ſimul Inſcriptiones Archimuſici alicujus mentionem faciunt, non ſtatim, prout nunc leguntur in Canone, ad Davidem & Aſaphum, tanquam auctores, plenarie referenda eſſe; quale quid ex Hemane Ezrahita ejusque philoſophi celeberrimi ode didaſcalica noſtrisque ad Pſalmum LXXXVIII. animadverſionibus abunde colligitur, quippe quem Korachitæ noſtri eorumque Choragus ad recentiores deinde caſus novis metris novisque coördinationibus accommodavere. Nam & ejus aſſerti veritatem Pſalmi nonnulli ferme paralleli confirmant, quales exempli gratia ſunt XIV & LIII, tum LX & CVIII: de quo tamen phœnomeno Exegetico plurimæ extant Virorum Literatiſſimorum conjecturæ, quas hic recenſere non placet (p). Enimvero id ſolum nunc in memoriam revoco, ex Pſalmo Korachæo ultimo, quem dixi, haud temere concludendum eſſe, ſimilarium ejusmodi canticorum unum, quod ſimul Archimuſici titulum non gerit in frontiſpicio, ipſius Davidis aut Aſaphi totum quantum exiſtere, quoad materiam

(p) conf. inprimis celeb. VENEMA ad Pſ. LIII.

riam & formam; alterum vero, quod Choragi ſimul nomen adnexum habet, a ſanctiſſimo quodam Levita & Muſico adauctum & pro re nata mutatum, Canonique ea tandem forma poſtliminio inditum fuiſſe. Ita Pſalmum verbi cauſa CVIII. ipſa Davidis manu totidem verbis ſcriptum, ſexageſimum vero ab Archimuſico in eandem ſententiam confectum, ſed quodammodo aliter inverſum aliterque inchoatum crederes. Præterea & Archimuſici diverſi diverſimode Davideum idem poëma tonis ac metro nonnunquam accommodaſſe atque attemperaſſe dicendi ſunt; quo ſic ratio pateat ſimilitudinis, quæ inter Pſalmum Decimum Quartum & Quinquageſimum Tertium intercedit.

LV.

JO. CHRIST. HARENBERGII,

EPISTOLA

AD

VIRUM MAXIME REVERENDUM

IMMANUELEM JUSTUM

AB ESSEN,

PROTECCLESIASTEN IN LIVONIÆ URBE RIGA,

DE

LIBRIS DUOBUS FAMOSIS, UNO DE TRIBUS IMPOSTORIBUS, ALTERO DE HISTORIA SEVARAMBUM.

Sunt potiſſime argumenta duo, quæ mihi propoſuiſti, ſciſcitans, quid de eis ſentiam & quantum e libris ac amicorum notitia mihi de eis conſtet. Prius ſpectat ad libellum illum famoſum *de tri-*

tribus Impoſtoribus ejusque originem; poſterius libro, *Hiſtoire des Sevarambes* dicto, proprium eſt. De illo libello, Fautor Optime, jam poſt alios ſum commentatus in *Diſſertatione de ſecta non timentium Deum, ſeculo XIII vel enata vel efficta*, Brunsvici 1756. 8. in lucem publicam emiſſa, eo quidem fine, ut originem calumniæ a *Friderico* II. Imperatore dimoverem, quem adſectatores Gregorii IX. & Innocentii quarti, Paparum Romanorum dictitabant adpellaſſe Moſen, Jeſum & Mohammedem tres magnos mundi impoſtores. Vindicatum ivi Imperatorem illum ab hac teterrima obtrectatione. (*) Attamen nemo memoriæ litteris prodidit, Imperatorem exaraſſe librum, vel ſcriptum ejusmodi ab alio ſcribi juſſiſſe. Tradidit tunc nemo, librum, quo illud venditatum fuerit enuntiatum, jam tum a quoquam fuiſſe viſum aut lectum. Quis vero dubitabit, ſæculo XVI libellum ejusmodi ex origine illius obtrectationis in

(*) Idem quoque fecit; & varias de ſcriptore futiliſſimi hujus libelli ſententias ſtudioſe congeſſit & recenſuit M. JOA. MICHAËL MEHLIG, in libello, ſub hoc titulo edito. Das ceſte ſchlimmſte buch; oder hiſtoriſch-critiſche abhandlung von der Religions-läſterlichen ſchrift *de Tribus impoſtoribus*, Chemnitz 1764. 8. N. B.

in Fridericum II. conjectæ; enatum & conſarcinatum eſſe? Obtrectationem illam meminerunt *Gregorius IX*, 1239 in *epiſtola ad univerſos Reges ac Principes data* apud RAYNALDUM in *Annal. Eccl.* To. XIII. ad a. 1239. n. 26. p. 480, nec non apud MATTHÆUM PARIS p. 459. Eodem anno miſit idem Papa litteras easdem ad Archiepiſcopum Cantuarienſem & Suffraganeos in Angliam, in quibus hæc leguntur de Friderico: *Iſte Rex peſtilentiæ, a tribus baratatoribus, ſcilicet Chriſto Jeſu, Moyſe & Machometo, totum mundum fuiſſe deceptum, &, duobus eorum in gloria mortuis, ipſum Jeſum in lignum ſuſpenſum, manifeſte proponens. —— Hæc & alia multa, quibus, verbis & factis, catholicam fidem impugnavit & impugnat, ſuo loco & tempore, ſicut decet & expedit, manifeſte poterunt comprobari.* Liceat monere, idem apud RAYNALDUM legi, & mihi in manibus eſſe editionem *Chronici*, a MATTHÆO PARIS compoſiti, Londini curatam 1686, fol. Libet porro monere, *baratatorem* eſſe impoſtorem, deceptorem. *Baro* enim Italis eſt deceptor & *barare* decipere. Inde crimen *baratariæ* exſiliit. Docuerunt hæc nos LUDOVICUS ANTONIUS MURATORIUS in *Antiquitatibus Italiæ medii ævi Diſſ* XXXIII, p. 1151 & SPELMANNUS in *Gloſſario* p. 72. edit. 1698, fol. Obtrectationem illam, ex denuntiatione

tione HENRICI RASPONIS, Landgravii Thuringiæ, ad Papam ſcripta, novimus ortam eſſe; Principis, qui per Papam ad faſtigium imperii evehi cupiebat, prouti intelligitur ex *Chronico Auguſtenſi* ad a. 1245. *To.* I. FREHERI, & ADAMI URSINI *Chronico Thuringico* ad a. 1242, col. 1290, 1291. *To.* III. *Script. Menckenii.* Fridericus vero jam annis 1239 & 1240. obtrectationem illam repreſſerat & peſſumdederat in *litteris encyclicis*, ad Principes Chriſtianos Europæ miſſis, quas ediderunt PETRUS DE VINEIS L. I. n. 21. p. 144, 145. MATTH. PARIS ad a. 1439. p. 454, & HEINRICUS STERO in *Annalibus* ad a. 1227, p. 181, 182. *To.* IV. *Lectionum antiquarum* HENRICI CANISII, evulgatarum *Amſtelædami* 1725, *fol.* Calumniam illam Imperatori fixam fuiſſe *ab invidis inimicis & æmulis ſuis*, fatetur MATTH. PARIS ad a. 1239. p. 460. Nihilo ſecius Gregorius IX tunc Fridericum a communione eccleſiæ excluſit. Mirum magis eſt, Innocentium IV in *Concilio Lugdunenſi* ejusque *ſeſſione tertia* denuo a. 1244. eamdem accuſationem & excommunicationem repetiiſſe, licet coram & ſolide iſti vindices obtrectationi Papæ reclamarent & Friderici Innocentiam vindicarent in Concilio Juriſconſulti, THADDÆUS ſcilicet & PETRUS DE VINEIS. Vindicias has Imperatoris alter in uſum poſteritatis ſcri-

pto

pro mandavit L. I. n. 31. p. 203, 204. In hoc originem obtrectationis Imperator in *accuſatorem* & *æmulum ſuum*, id eſt, Henricum Raſponem, confert, ſuamque innocentiam litteris ad concilium miſſis copioſe ſolideque comprobavit. Flocci-pendere nos itaque jubebis, Amice, Autores, qui obtrectationem illam in veritatem convertere ſtuduerunt. Reſpicio ad librum *Memoires touchant Jean Wilmot de Rochester par G. Burnet*, & ad alterum *La vraye religion*, qui multum ex illo trahit & 1745. juſſu Parlamenti *Pariſiis* publice eſt combuſtus; germanice publicatus Francofurti & Lipſiæ 1747, 8, addita ſolida refutatione & præmiſſa præfatione laudes omnes ſuperante. Innocentius ipſe IV. debuiſſet teſtimoniis graviſſimis crimen id, quod Friderico impingebat, in lucem proferre. At, non niſi conjecturas & ſuſpiciones ſecutus, in ipſa excommunicationis, quam in Imperatorem evibrabat, formula potiſſime omnem accuſationem ex nebulis ſuſpicionum arceſſit hunc in modum: *De hæreſi non dubiis & levibus*, *ſed difficilibus* (lege dilucidis) *& evidentibus argumentis ſuſpectus habetur.* — *Merito contra eum de hæretica pravitate ſuſpicio orta eſt.* En illud præterea, *De hæreſi ſuſpectus habetur*, in *Decret.* VI. *Lib.* II. *tit.* 14. *c.* 1 in. At quidni, monebis

Ami-

Amice, convictionem ejusque præſidia conquiſivit & publicavit Papa? Liber dicitur inventus 1704 *Monachii* & a *Frechtio* in gallicum Francofurti ad Moenum converſus, cui index fuerit præfixus *de Tribus Impoſtoribus*. Impoſturam exercebat ipſe vitioſam, qui famam hanc per orbem litteratum ire jubebat, adjungens ex ingenio, Friderici Imperatoris epiſtolam *ad Othonem illuſtriſſimum, amicum ſuum chariſſimum*, cujus epiſtolæ initium ſic habet: *Quod de tribus famoſiſſimis nationum deceptoribus in ordinem juſſu meo digeſſit doctiſſimus ille vir, quocum ſermonem de illa re in Muſeo meo habuiſti, exſcribi curavi: atque codicem illum, ſtilo æque vero ac puro ſcriptum, ad te ut primum mitto*, &c. Summa libri expoſita fuit in ſcripto: *Reponſe à la Diſſertation de Mſr. de la Monnoye ſur le Traité de Tribus Impoſtoribus*, à la Haye 1716, 12. pag. 24. Fabulam magiſtratus ſuo jure ex officina prima exterminavit. Fabulam adpello narrationem de invento 1704 hoc ſcripto. Fabula & commentitia eſt Friderici Imperatoris epiſtola, ſcripto præmiſſa. Nam liber ille, qui olim *de Impoſturis religionum* erat inſcriptus, non differt ab eo, quem vendaces impoſtores adpellarunt de Tribus Impoſtoribus. Contuli utrumque, ut, noſſem, quantum diverſitatis ſeſe eſſet proditurum. Miraberis mecum,

cum, Amice præſtantiſſime, quod jam ſecus ſentio de famoſo libro ac olim, quum ſcribendæ *hiſtoriæ Gandersheimenſi* animum calamumque adpuliſſem. Vidi librum eumdem jam ſæculo XVI exaratum. Recentius tamen eſt quoddam additamentum, quod primo prorſus abſuit a reliqua ſcripti menſura, quale erat illud, quod Princeps Sabaudiæ anno 1716 ex bibliotheca Joannis Friderici Mayeri emendum curavit, & de quo expoſui in illa *Hiſtoria* mea p. 730. Haud ignota Tibi, Amice, hactenus ſcripſi. Nunc vero fortaſſis aliquid minus notum tecum communicare animus eſt. Non indicabo annum, quo in lucem liber ille famoſus exiit; id tamen mihi perquam eſt probabile, exſtitiſſe & originem cepiſſe eum in Italia ſæculo decimo ſexto ineunte. Originem Italicam e ſtilo ſubodoratus ſum. Initia & natalem in ſæculi XVI ineuntis intervallum colloco. Rationem, cur ſic ſentiam, hanc accipe. THOMAS CAMPANELLA in *Atheismo triumphato* Pariſiis 1636, 4, publicato, refert, ſe accuſatum eſſe eo nomine, quod librum de tribus Impoſtoribus compoſuerit. Crimen hoc ipſe a ſeſe amolitur hoc argumento. In publica luce confeſſus eſt, librum illum inveniri typis excuſum triginta ante annis, quam ipſe fuerit natus. Ex eo tempore manuſcriptus is

is plerumque per rariores ivit manus. Fuit enim & manſit ille non ubique admodum notus. Nam ineunte ſæculo XVII NICOLAUS BERNAUD ſeu Barnaud incuſatus fuit atro crimine exarati ab ipſo libri iſtius famoſi. Erant viro huic inimici bene multi, quos ipſe per indolem ſuam parum gratam probatamque ſibi arceſſiverat. Degit is exeunte ſæculo XVI & ineunte XVII in Gallia auſtrali, natus in Delphinatu, medicum agens, & laboribus librisque alchimicis admodum addictus. Plura ejus ſcripta ad artem hermeticam ſunt referenda. Fieri potuit, ut vaporibus, e labore in caput ejus ſeſe inſinuantibus, uſum capitis ſui mentisque corruperit. Genevæ is plerumque egit, Reformatæque religioni ſe adſociavit. Notabantur in eo libertas ſentiendi & Arianismus cum errorum aliorum nævis. Reformati propterea eum ab eccleſia ſua ſegregarunt, ovem quippe nimis ſcabioſam. Eam ob cauſſam iracundia plenus compoſuit *Satyram in Synodum Privarienſem* anni 1612, cui libello titulum præfixit: *Le Magot Genevois, decouvert es Arrets du Synode National de Miniſtres reformez tenu à Privar* 1612. Odia multorum ſic non potuit non incurrere vir, in contribules priſtinosque ſodales tantum facinoris auſus. Famæ ejus ideo

videtur ab eis, quos læſerat, labes illa &
ignominia per rumores adeſpotos adſperſa,
quam in ipſum haud quadraſſe, intelligitur
ex eo, quod libellus ille famoſus jam dudum
fuerat conſarcinatus ante Bernaudi natalem.
Merito itaque PROSPER MARCHAND eum ab
hoc probro abſolvit in *Dictionaire hiſtorique,
ou Memoires critiques & litteraires To* I. *à la
Haye* 1758, *fol. p.* 85. Quæri tamen poteſt,
an Bernaud adſuerit additamentum libello
illi famoſo. Hoc enim in plerisque exem-
plaribus deſcriptis deeſt, ac cenſendum eſt
novum eſſe opus, eo quod infrequentius &
meliori ſtilo ſcriptum adparet.

Quid ex rumoribus illis, in Bernaudum
impactis, exſtiterit tandem, qualis inde or-
tus fuerit fœtus ante hos ſexdecim annos,
non poſſum non, Amice, tibi ſignificare.
PAULUS STRADBE venit ad me autumno anni
1753 ineunte Brunſuicum, mihique obtulit
inſtar mercis caro vendendæ librum *de tribus
Impoſtoribus*, quaſi M. C. IIC. typis in for-
ma, quam vocant octavam, expreſſum.
Litteræ & charta vetuſtatem mentiebantur.
Quæſivi ex hoc bibliopola, ad incitas &
vitam vagam redacto, ubinam & quonam
obſtetricante libellus ille, qui ex quinque
plagulis tribusque foliis conſtat, editus ſit
& publicatus. Reſpondit, ſe hoc ignorare;
id

id tamen ſibi innotuiſſe, addidit, quod ab aliis reſciverit, ſcilicet libellum eſſe Bernaudi fetum & clanculum Genevæ vel in finitima Gallia e prelo typographico exiiſſe. Fraudem ſubeſſe, animadverti ex viri vultu. Nolui abortum emere, 50. thaleris vendibilem. Contulit ſe venditor Wolferbuttelam, ibique adiit officinam JOANNIS CHRISTOPHORI MEISNERI bibliopolæ, mercem ſuam ſe ibi extruſurum pretio ſatis caro, ſibi perſuadens & bibliothecæ Ducali eam addicturus. Sed votis fortuna non adnuit ſecunda. Rediit igitur Brunſuicum ibique præter opinionem ſuam ad aliquot dies intra curiam magiſtratus in cuſtodiam ductus eſt. Vendidit tamen nonnulla exemplaria, & unum ex eis vidi ac cum manuſcriptis meis *de Impoſturis religionum* ac *de Tribus Impoſtoribus*, qui libelli eadem complectuntur verba ordinemque eorum eundem ſequuntur, contuli. Additamentum, quod plerumque non eſt adjectum, vidi Straubiano exemplari typis excuſo haud deeſſe. SCHROEDERUS bibliopola exemplar ejusmodi adhuc in officina ſua ſervat, arcta cuſtodia concluſum, ut doctos, qui de libro dubitant, convincere queat. Permittas, quæſo, Amice, ut ſignificem, iſtum PAULUM STRAUBE, qui nonnullis abhinc annis in Anglia defunctus eſſe dicitur, fuiſſe

 olim

olim Lipſiæ tabernarium THOMÆ FRITSCHII miniſtrum, natu Suevum, religione Lutheranum, poſtea bibliopolam Vindobonenſem ad annum usque 1742, tum vero *Heilbrunnæ* librarium mercatorem, ubi iterum foro ceſſit; & tandem varias per Germaniæ, Belgii Angliæque urbes periclitatum eſſe fortunam. Chartam famoſi ſui libri fumo per artem facto juſſerat præferre ſpeciem vetuſtatis. An illum librum Altenaviæ, unde ad nos venit, librum puta illum famoſum, typis excudendum curaſſet, quæſivi ex ipſo. Tacuit ad interrogationem & ſubriſit. Auri ſacra fames & voluptatum inſanus ardor quid non deſignare queunt? Ex hoc fonte propudium illius libri ſcaturiit, qui tam miſere, ſive ſtilum ſive tractationis argumenta reſpicimus, conſarcinatus eſt, ut autor vel veſanus fuerit vel voluptatibus ſuis alendis alia arte non potuerit ſubvenire. Arida, hiulca, ficulna, & magis puerilia quam ſolida in eo ſunt omnia, quæ nequidem dialectica dici queunt. Fidem oculatam huic judicio feci in *Appendice ſecunda ad Amoſum* a me *expoſitum* p. 511–515. Non facile ignoras, Amice, me quondam in eam delapſum eſſe opinionem, quam dudum repudiavi, de origine libelli illius famoſi. Eram olim ad tempus in

ea hæreſi, ut libri compoſitionem tribuerem *Averroi* & nutui Imperatoris Friderici ſecundi. Ut ſic ſentirem, commoverat me auctoritas Sereniſſimi Saxoniæ Ducis ANTONII ULRICI, qui Haga Comitum vel potius ex domicilio ſuo Amſtelædamenſi temporario Gandershemium a. 1722. adtulerat ſecum *Reſponſionem* gallicam *ad Domini de la Monnoje Diſſertationem de Tribus Impoſtoribus*, ac mihi perſuadebat, ſibi latinum exemplar libelli famoſi fuiſſe oblatum, a ſeſe lectum, idque notis litterarum vetuſtis inſignitum adparuiſſe, atque a Duce Saxoniæ Citicenſi eſſe emtum, qui illud a duce militari TAUSENDORFIO per mercatorem librarium caro ſatis pretio adquiſiverit Francofurti ad Mœnum. Quum poſtea rumoribus variis nuntiaretur, bibliothecam Citicenſem Ducalem tranſiiſſe in bibliothecam Gothanam, Dux beatæ memoriæ Antonius Ulricus tunc Cizam ſeu Cygneam, Gotham & Francofurtum, ad eos ſcripſit, qui anno 1706. bibliothecis & tabernis librariis præfuerunt, vel de re ipſa notitiam poterant habere. Interrogatus etiam fuit D. SALOMO ERNESTUS CYPRIANUS, ſero ſatis, an liber iſte in bibliotheca Ducali Gothana deprehenderetur. Reſponderunt univerſi, nihil ejusmodi apud ſe auditum vel geſtum eſſe.

quisquilias transſcripſiſſe. Non poteram eapropter dimittere ſententiam meam rem. Mentionem facit tenebrio, libri ipſi autor, IGNATII, qui novum ordinem narum proprium anno 1535. condidit. mecum intelligis, Amice, autorem circa medium ſeculi decimi ſexti in ribendo verſatum eſſe libro. Pellucent utoris verba: *An vero credendum eſt, bonæ femunculæ Franciſcum, Ignatium, nicum & ſimiles tanto cultu proſequuntur, re rationem ad minimum, ſanctorum bo- m aliquem eſſe colendum, & iſtas ex lu- naturæ perſpicere cultum alicujus potentiæ rioris jam non viſibilis? quum tamen hæc mmenta otioſorum noſtrorum ſacerdotum, ſuæ ſuſtentationis lautiori incremento.* ferici II. tempore an Europæis de tribus libris, quibus Braminum theologia inetur & quos autor adtigit, quicquam t notum, nemo non dubitat. Notitia n illa demum per navigationes Euro- rum in Indiam Orientalem perlata eſt Europam. Qui conſimile ſcriptum com- uit, cujus eſt initium, *Quoiqu'il importe ux les hommes de connoitre la verité*, me- nil CARTESII, & MUHAMMEDANISMI, jam mille annos continuati. Recentius ur ſcriptum hoc eſt illo libro famoſo,

 quippe

Antequam hiſce rationibus convictus eram, initia rei ex commemoratione Ducis Antonii Ulrici THEODORO HASÆO, Bremenſium Eccleſiaſte & Profeſſori, candide aperui, qui anno 1729, 6. Id. Febr. hæc inter alia reſcripſit: *Cum voluptate legi tuam de libro de Tribus Impoſtoribus relationem. Talem librum revera exſtare, nunc demum incepi credere. Nam librum de Impoſturis religionum & alterum, qui illum titulum* (de Fr. Imp.) *præ ſe fert, quem utrumque poſſideo, numquam credidi eum eſſe, qui Friderici II. ætate conſcriptus dicitur.* Idem poſthæc in *Corollariis*, Diſſertationi *de Templo Oniæ Heliopolitano* 1730. editæ, ſubjectis poſuit hæc loco 21: *Liber famoſiſſimus, dictus de Tribus Impoſtoribus, qualis Friderici II temporibus ſcriptus fuit, revera exſtat.* Obierat jam HASÆUS, quum, Duce præeunte, mihi impoſtura autoris, qui Reſponſionem ad Domini *de la Monnoie* Diſſertationem, ſupra indicatam, Hagæ Comitum ediderat, mihi pellucere cœpit. Contuli ſummam & argumenta, Reſponſioni ex famoſo illo libro inſerta, & ab ovo ad mala plene ſatis recenſita, cum libro ipſo, qui nunc de Impoſturis religionum, nunc de Tribus Impoſtoribus inſcribi ſolet, atque evidenter intellexi, Reſponſionis autorem ex hoc libro omnes

ſuas

ſuas quisquilias transſcripſiſſe. Non poteram non eapropter dimittere ſententiam meam priorem. Mentionem facit tenebrio, libri famoſi autor, IGNATII, qui novum ordinem Jeſuitarum proprium anno 1535. condidit. Inde mecum intelligis, Amice, autorem illum circa medium ſeculi decimi ſexti in eo ſcribendo verſatum eſſe libro. Pellucent illa autoris verba: *An vero credendum eſt, quia bonæ femunculæ Franciſcum, Ignatium, Dominicum & ſimiles tanto cultu proſequuntur, dictare rationem ad minimum, ſanctorum hominum aliquem eſſe colendum, & iſtas ex lumine naturæ perſpicere cultum alicujus potentiæ ſuperioris jam non viſibilis? quum tamen hæc ſint commenta otioſorum noſtrorum ſacerdotum, pro ſuæ ſuſtentationis lautiori incremento.* Friderici II. tempore an Europæis de tribus *Vedæ* libris, quibus Braminum theologia continetur & quos autor adtigit, quicquam fuerit notum, nemo non dubitat. Notitia enim illa demum per navigationes Europæorum in Indiam Orientalem perlata eſt in Europam. Qui conſimile ſcriptum compoſuit, cujus eſt initium, *Quoiqu'il importe à tous les hommes de connoitre la verité*, meminit CARTESII, & MUHAMMEDANISMI, jam per mille annos continuati. Recentius igitur ſcriptum hoc eſt illo libro famoſo,

 quippe

quippe cujus exaratio antea jam BERNARDINO OCHINO adtributa fuit, teſte STANISLAO LUBIENICIO in *Hiſtoria Reformationis Polon.* II, 3. p. 50. Stilus tamen Ochini id judicium non videtur confirmare, purior quippe & venuſtior.

Liceat mihi, Amice, judicium de libro iſthoc addere famoſo. Autor ſcripti, quicunque is fuerit, turpiter ſeſe traduxit, dum ſcripturam adhibuit non ſolum arentem, ſed etiam limoſam ſqualidamque: & in tractatione ipſa ſic ſeſe geſſit, ut ab indole philoſophica fuerit vacuus, & mente ſcurrili tumidaque laboraverit. Ipſe (1) ſententiam ſuam nec ſatis explicat nec eam inſtruit roboratque argumentis, momentum trahentibus. Diſputationem ingreditur citra ſtatus controverſiæ conformationem. Ipſe (2) utitur *via removendi*, non exſtruendi, quæ methodus plane ad abſurditatem alicujus doctrinæ, per ſe conſideratæ, oſtendendam eſt inepta. Licet enim Titius & Sempronius ad doctrinam hanc vel illam argumenta modosque ea edifferendi adhibuerint, quibus nervi artusque deſunt, & quibus non poteſt comparari adſenſus, inde tamen non conſequitur, doctrinam ipſam eſſe rejiciendam, nec ulla ad eam firmandam meliora adferri poſſe argumenta. Inveniuntur theo-

re-

rematum mathematicorum aliquando demonſtrationes nævis ſcatentes. At quis ideo, theoremata illa eſſe falſa & inepta, contendit? (3) Autor ſibi ipſe haud conſtitit. Nam modo ea, quæ per lumen rationis adprobantur vera, non rejicit, modo repudiat enuntiata, quibus ſua ſunt ſtatumina per cognitionem noſtram naturalem. Alibi exigit ſtabilem & evidentem de via ad ſalutem ſempiternam ducente, divinitus hominibus revelata, demonſtrationem. Dubitationes tamen & conatus eam tollendi religionem paſſim immiſcet, in quibus nemo facile pondus ullum invenire poterit. Doctrinam, a Deo revelatam, ad examen revocat, nec tamen docet ulla ratione, eam dari haud potuiſſe, vel eam eſſe ſupervacuam, vel eam, quam tenemus, ſignis veræ religionis ejusque divinitus revelatæ, prorſus carere vel illis repugnare. (4) Sophiſtam agit autor, ſiquidem enuntiata ſua verbis lubricis expreſſa ſic exhibet, ut in ſilvam ferat ligna, & ea in abſurdis referat, quæ ipſe improbat, licet rationibus vel nullis vel invalidis ad improbationes ſuas utatur. Ipſe (5) ab ignoratione ſua ad enuntiata neganda procedit, quaſi id univerſum eſſet nihil, quod ipſe nec ſentit nec cernit. Ipſe (6) argumentationes formavit,

 vit,

vis, a particulari ad univerſale citra rationis univerſalis obviæ ullam ſpeciem deductas. Nam quia Minos, Lycurgus & Numa ipſi videntur fuiſſe impoſtores, ideo Moſen ceterosque duos exiſtimavit fuiſſe religionum inventores fallaces. Miſella ratiocinatio! Ipſe (7) ex ſua ſermonis hebraici ignoratione derivavit argumenta ad libros V. T. auctoritate ſua orbandos. At quantum homo homini præſtat, ſtultus inſano! Sic vero Anonymus, libri famoſi autor, ſuam vecordiam ita aperuit, ut ſibi aliisque religionem omnem eximere auſus ſit; ita alii pro religione tuenda ſuſpiciones in innocentes ſparſerunt, ſuſpiciones nempe poſſeſſi vel probati illius famoſi libri. In Gallia mortem illi decretam fuiſſe, compertum habemus, qui dicebatur in loculis ſeu marſupio habuiſſe *compendium* libri illius de Tribus, licet ſubeſſet error. *Menagiana* p. 356. *edit. Amſtelædam.* 1693. 12. Ita autor per latus aliis pericula ſtruxit vitamque ademit. Agnoſcis, Amice, mecum molem noxæ, quam Autor veſani libri tum ſibi, tum aliis, intulerit. Prima mali labes in Gregorium IX, & Innocentium IV. recidit, auctoritatis ſuæ efficta vindices contra Fridericum II. Niſi enim ipſi fulmen ex fabula de tribus Impoſtoribus in Fridericum procudiſſent cum claudicante

Vul-

Vulcano, vix accuſationibus conſimilibus, mortem minitantibus, poſtea fuiſſet locus. At vereor dudum, Amice, ne per præconem mihi occlames illud: Manum de fabula, & tabula.

Reſtat, ut te orem, ne dicacitatem meam incuſes. monitu enim nunc tuo progredior ad autorem *hiſtoriæ Sevarambum*, libri, ad cujus autorem prodendum variis diſputationibus eruditi fuerunt occupati ac diſtenti. Sunt, qui centurionem SIDEN (*a*) pro autore libri venditant. Aliis viſus fuit Britannus eſſe autor, ROBERTUS KNOX (*b*) dictus, qui iter quoddam litteris memoriæ prodidit. Ego quondam in ea fui opinione, JOANNEM GEORGIUM PFEIFFERUM fuiſſe ejus libri autorem, fratrem Pfeifferi miniſtri Eccleſiæ Bruns-

(a) Hujus opinionis autor eſt is, qui præfationem præmiſit libro: Geographiſches Kleinod/ aus 2. ſehr ungemeinen Edelgeſteinen beſtehend: Darunter der Erſte eine Hiſtorie der Neugefundenen Völcker/ Sevarambes genannt. —— Der andere aber vorſtellet die ſeltſamen Begebenheiten Herrn G. T. eines Engliſchen Kauf-Herrns —— durch A. Roberts. In Verlegung des Uberſetzers. Sulzbach/ gedruckt bey Abraham Lichtenthaler/ 1689. 4.

(b) Opinio hæc profluxit ex eo, quod A. ROBERTS KNOX, libri jamjam indicati ejusque partis alterius ſeſe appellavit autorem.

Brunsvici ad S. Catharinæ. Famæ illi obſecutus eram, accredens dictis, quibus me imbuerat utriusque ex ſorore nepos. Doleo vicem meam, qui eam narrationem, a viro exceptam, qui Pfeifferi acta accurate meminerat, *Novis Eruditorum Actis* inſerui 1743. p. 524. Nam viginti annis poſt ex eodem cognovi, Pfeifferum illum, Theologiæ candidatum & varia eruditione refertum (*c*) circa annum 1720. foras dediſſe librum, Aulettis Reiſen in unbekante Länder (*d*), qui vulgo habitus fuerit pro illa Sevarumbum hiſtoria. Qui vero unam earum hiſtoriarum cum altera confert, eum differentia utriusque non præteribit. Noli itaque ingenuitatem meam probro mihi vertere, Fautor cariſſime, ſi dixero, me erraſſe fide aliorum bona, erroremque meum me publice improbare. Conſului inter hæc Virum Illuſtrem, CAROL. JUL. SCHLÆGERUM, conſiliarium aulicum Seren. Ducis Saxo-Gothani, vaſta librorum numorumque notitia & ſcien-

(*c*) PFEIFFERUS, Bibliothecæ Dynaſtarum Alverslebiorum in Erxleben præfectus, multa litteraria immiſcuit commentariis ſuis & ſuum ipſius ad Sevarambas aditum in libro nunc indicando indicavit. Is fuit fons erroris.

(*d*) Aulettis Sonderbare Reiſen in unbekannte Länder/ 1721. 8. (Bremen bey Sauermann.)

ſcientiis bene multis adfluentem, ſententiam, quam ipſe reliquis præferat univerſis. Amicus hic, multa mihi pietate colendus, Bibliothecæ Ducali & Numophylacio præfectus, benigniſſime hanc præclaram & ſolidam mihi impertivit ad quæſtionis meæ caput præcipuum reſponſionem:

„ Vetuſtiſſima Hiſtoriæ Sevarambum e-
„ ditio, quam novimus, gallica eſt, Pari-
„ ſiis publicata 1677. V. Voll. 12. Negare
„ tamen non licet, primam partem, quæ
„ operis eſt dimidium, Anglico ſermone
„ ſcriptam & Londini 1675. foras datam
„ eſſe. Autor non fuit Britannus natione,
„ ſed Gallus, cui nomen erat *Veitus d'Al-*
„ *lais*. Argumenta, quibus id ipſum doce-
„ tur, adtulit expoſuitque PROSPER MAR-
„ CHAND in *Dictionaire hiſtorique*. Ea argu-
„ menta tantum ponderis habent, ut non
„ videam, quid eis, ſalva veritatis aucto-
„ ritate, opponi poſſit. "

Critiſche Jeſuiter Geſchichte, worin alles aus ächten quellen ganz kurz hergeleitet, die ſo genannte Pragmatiſche Geſchichte des Hn. Probſts Harenberg ſtark beläuchtet und zugleich alles gründlich beantwortet wird, was dieſem preiswürdigen Orden von ſeinem urſprung an bis auf gegenwärtige zeit iſt zur laſt geleget worden, von einem Liebhaber der warheit. 1765. 8.

Raiſonnements uber die Proteſtantiſche Univerſitäten in Deutſchland. 1768. 8. Laudatur.

Hn JO. BERN HOFFERS, Prof. der Rechte zu Altorf, Beytrage zum Polizey recht der Deutſchen. 1764. 8. Occurrunt in eo varia notatu digna circa matrimonialia.

Beyträge zu den Gelehrten Wiſſenſchaften, vornemlich zu der Theologie, Philologie und Hiſtorie. 1765. Editor eſt Vir Doctus SEB. JAC. JUNGENDRES, *Rector Norib.*

——— zur neueſten Deutſchen Critik. 1768. 8.

Abhandlung von Kupferſtichen, aus dem Engliſchen, 1768. 8.

Anonymi Gedanken von dem Deutſchen Nationalgeiſt. 1765. 8.

Hn. FRIED. CARL VON MOSER, Fürſtl. Heſſiſchen Geh. Raths, Diplomatiſche und Hiſtoriſche Beluſtigungen, 1760—1766. 7 Bande.

——— ——— Beyträge zu dem Staats und Völkerrecht, und der Geſchichte 1 und 2ter Band. 1764. 8.

——— ——— geſammlete Moraliſche und Politiſche Schriften. 1763. 8.

Reli-

Reliquien über allerley meiſt zur Staatskunſt und Sittenlehre gehörige gegenſtände. 1766. 8.
Lebensgeſchichte Hn. JOAN JAKOB MOSERS, von ihm ſelbſt beſchrieben. 1768. 8.

FRANCOFURTI AD VIADRUM.

Quæ mihi cognita ſunt ſcripta ERNESTI AUGUSTI SCHULZE, Viri eruditiſſimi, *S. Th. D. & Profeſſoris O. indicari merentur, digniſſimaque ſunt quæ conlecta ſimul prodeant.* Sunt ea.
Diſſ. *de lingua Deorum atque hominum, Homero celebrata.* 1756.
— *de Mammona injuſto, nequaquam ad cœleſtia Tabernacula conducente, ad Luc.* XVI: 9. 1765.
Diſſ. *de fictis Hieroſolymorum privilegiis* 1756.
— *de Prætorio Pilati.* 1756.
— duæ *de Galatis, eorumque lingua* 1756, 57.
Progr. *de Propheta, Moſi pari, ad Deut.* XVIII: 15 1757.
Diſſ. *de Lingis, Natione Teutonica ex Ptolomæo.* 1758.
— *de Ablegatione Apoſtolorum atque* LXX *diſcipulorum, rebusque illis prohibitis ad Matth:* X: 9, 10. *Marc.* VI: 8. *Luc.* IX: 3. X: 3, 4. XXII: 35, 36. 1758.
— duæ *de variis Judæorum erroribus in deſcriptione Templi.* 1758, 59.
— *de Juda Galilæo ejusque ſecta, ad colluſtranda quædam N. T. loca.* 1761.
Sub ejus præſidio FRID. WILH. WENZELMANN defendit Diſſ. *qua Hiſtoriam Tentationis Chriſti Obſervationibus quibusdam illuſtrat.* 1761.

Edidit V. C. JO. ISAACUS LUDOV. CAUSSE, S. *Th. D. & P.* qui ante biennium diem ſuum obiit, Diſſ. *de rationibus, ob quas non plura quam quæ exſtant ad Jeſu Chriſti vitam pertinentia ab Evangeliſtis literis ſunt conſignata, reſp.* Sam. Hartman. 1766.

Contulit honores Doctoratus Theologici Alma Viadrina Viro pl. Reverendo & Doct. JOA. HENRICO COLSMANN, *Bremenſis Eccleſiæ, quæ ad Ptochodochium eſt, V. D. M.* exhibita Diſſ. Inaug. *de effuſione Spiritus S. ad Act.* II: 1-3. 1766.

Edidit V. C. JO. GOTTL TÖLLNER *S. Th. & Prof.* Wahre Gründe / warum Gott die offenbahrung nicht mit augenſcheinlichen beweiſen verſehen hat: 1764. 8.

——— ——— ——— Beweis / daſs Gott die menſchen bereits durch ſeine Offenbahrung in der Natur zur ſäligkeit führet 1766. 8.

——— ——— ——— Kurze Vermiſchte Aufſäze / 1 Band. 1766. 8. Continent varias quæſtiones Philoſoph. & Theolog., quæ ponderari merentur. Theologus eſt Aug. Conf. moderatioris & pacifici animi.

Hn. JOACHIM GEO. DARRIES, Kön. P. G. Raths und Prof. Einleitung in des Hn. von Bielefeld, Lehrbegrif der Staats klugheit / zum gebrauch ſeiner zuhörer. Jena 1764. 8.

FRANEQUERÆ.

V. C. EM. LUCIO VRIEMOET, *LL. OO. & Antiquit. Hebr. Prof.* ſucceſſit Vir pl. Ve-

Venerandus & Doctiſſimus SAMUEL HENRICUS MANGER, *S. Th. D. & V. D. M.* & profeſſionem hanc auſpicatus eſt Orat. Inaug. a. d. IV. Martii 1762. *de Incremento Philologiæ ſacræ ab idonea Arabiæ atque Palæſtinæ exploratione ſperando*, quæ eodem anno excuſa eſt.

Promotus autem mox fuit ſ. Vener. MANGERUS ad ordinariam Theologiæ Profeſſionem in locum cl. D. W. BERNSAVII, quam capeſſivit Orat. Inaug. d. VI Jan. 1767. *de fatis Chriſtianæ religionis apud Arabes*, eodem anno edita.

Interea rei Arabicarum Litterarum amore ductus non deſtitit ab inſtituto *Ahmedis Arabſiadæ* opus edendi, quo rempubl. Litterariam, quod *Golio* & *Ikenio*, Viris celeberrimis, per immaturum eorum obitum denegatum fuit, ſibi valde devinxit. Poſſidebat *b. Ikenius* Verſionis Golianæ, uti ferebatur, aliquam partem, ipſius Golii manu deſcriptam, quæ ni fallor emtionis jure tranſiit in Bibliothecam cl. JO. PETRI BERGII *S. Th. D. ejusdem & LL. OO. Profeſſoris Duisburgenſis*, ſaltem memini me verſionem hanc in Bibliotheca cl. *Conradi Ikenii, filii*, vidiſſe. Fortaſſis ſunt illa XVII. priora capita, quæ nunc in Bibliotheca Remonſtrantium Amſtelæd. deſiderantur. Titulus autem libri eſt: AHMEDIS ARABSIADÆ *Vitæ & rerum geſtarum* TIMURI, *qui vulgo Tamerlanes dicitur, hiſtoria. Latine vertit & adnotationes adjecit* SAMUEL HENRICUS MANGER. *Tomus I.* 1767. 4. Ad labores reliquos exantlandos non vulgares Deus O. M. Amico exoptatiſſimo vitam viresque conſervet!

Mangero noſtro ſucceſſor datus eſt in profeſſione, quam reliquit vacuam, JOA. HENRICUS VERSCHUIR, *S. Th. D. & V. D. M.* V. C. qui *Bibliothecam Brem. Novam* eleganti biga Diſſert. exornavit. *Iſſ. Ord. LL. OO. Profeſſionem auſpicatus eſt dicta d. XVIII. Martii* 1767. & edita Oratione, *de Interpretatione S. S. Vet. Teſtam. Grammatica, hoc noſtro ſeculo ad magnum perfectionis gradum perducta, porroque ad majorem perducenda.* Elegantiſſimam abhinc edidit hanc Diſſertat. Triadem

Diſſ. Philol. *de quatuor Cornibus & quatuor iis oppoſitis fabris, Prophetæ Zachariæ in viſo propoſitis cap. II. vſ.* 1—5. *reſp. Tjepke Fennema* 1766. Per *primum cornu*, Judam & Iſraëlem feriens, intelligit *Babylonios*, & per *fabrum primum*, *Cyrum*. Per *ſecundum cornu Perſas & Medos*, perque *fabrum ſecundum*, cornu Perſicum contuſurum, *Alexandrum M.* Per *tertium cornu* regnum *Lagidarum in Ægypto*, & per *fabrum tertium Antiochum M. Quartum cornu* ipſi eſt regnum *Syro Macedonicum*, in cornu hoſtile degeneratum, & *quartus faber* ſunt *Principes Maccabæi.* Hæc ex hiſtoria ſtatuminat, & *Zach.* X: 11. illuſtrat.

— Critica, *qua lectio Hebræi Codicis in loco celebri Deut.* XXVII: 4. *defenditur, & ea Samaritani tanquam ſpuria rejicitur, reſp. Egb. Henr. Tenckinck* 1767. Oppoſita eſt ſententiæ, quam non tantum cel. KENNICOTT adoptavit, ſed etiam ex hoc loco illi præſidia ſtruxit, ſc. Judæos data opera nonnulla S. Codicis loca corrupiſſe, hocque feciſſe in loco citato, ac ex Samaritanorum odio voci

גרזים

גרזים ſubſtituiſſe עיבל. Oſtendit argumentum *Kennicotti* deſumtum ab erigendo in altero montium altari, quod ipſi Gerizim eſſe videtur, quia de hoc monte benedictiones pronunciabantur, minime ſtringere, licet primo intuitu firmiſſimum videatur; docet enim in altero quoque montium Ebal altare ſtruendum fuiſſe ad confirmationem & ſanctionem fœderis Moabitici, a fœdere Sinaitico diſtincti, quod ex natura hujus fœderis demonſtrat, & conjicit altare hoc conſtitiſſe ex XII lapidibus, quale fuerat ad montem Sinaiticum *Ex*. XXIV: 4, ubi & ſimilitudinem & differentiam inter duo fœdera egregie exponit. Ceterum reliqua Kennicotti argumenta optime, ſi quid video, ſolvit, nec Judæos corruptionis S. Literarum in locis *Jud*. XVIII: 30. & *Joſ*. XV: 60. argui poſſe evincit, locis *Eſr*. IV: 2. & *Deut*. XXXIII: 12. lucem adfundit, & ex Joſepho & *Joſ*. VIII. ſtructum a Kennicotto cauſſæ ſuæ præſidium deſtruit. Tandem occaſione montis Ebal conjicit *Hebr*. XII: 24. pro Αβελ, tranſpoſitis tantum literis, forte ponendum eſſe Εβαλ, quam lectionem omnino probarem, ſi modo Codex aliquis antiquus MS eandem haberet.

Diſſ. Philologicam *de illuſtri Dei apparitione, Prophetæ Eliæ in monte Chorebo facta, ad* 1 *Reg*. XIX: 11, 12. reſp. *Petro Hoekema*. 1769. Poſtquam more ſuo, id eſt doctiſſime, litteralem ſenſum illuſtraſſet, ſigna ante faciem adparentis Dei ſymbolice exponit, & quidem ita ut ſignificaverint, quod *vſ*. 17. explicatur: Ventus procelloſus adumbravit exercitum

Cha-

Chazaëlis crudeliter inter Iſraëlitas graſſaturum; terræ motus, bellum inteſtinum per Regem Jehu ad Idololatras exſtirpandos excitatum; ignis denique, pœnam ad Eliſæ preces Divinitus Idololatris inlatam, ubi factum Eliſæ 2 *Reg.* II. a crudelitatis crimine abſolvitur. Hunc ſenſum ex hiſtoria ſtatuminat. Quod vero dicitur, Deum in nullo horum ſignorum fuiſſe ſed in ſuſurro tranquillitatis complanatiſſimæ, erudire debebat Eliſam, remittendum ipſi quid fuiſſe de Zelo, quo æſtuabat, quemadmodum Deus magis delectatur in manſuetudinis & benivolentiæ ſignis, quam ubi neceſſe eſt hoſtibus ſuis immittere pœnas capitales. Oſtendit autem Doctiſſimus auctor hac occaſione nihil minus convenire Ecleſiæ Chriſt. doctoribus, quam inconſideratum & æſtuantem in adverſos Zelum, qui directe Oeconomiæ N. Fœderis, non in Chorebo ſed in urbe pacis pacti, adverſatur.

In locum V. C. ÆGIDII GILLISSEN, qui jam per biennium Academicam *Lugdunenſem* ornat, Profeſſio Theologica conlata eſt Viro Clarisſimó, JOANNI RATELBAND, *V. D. M. Leovardienſi*, qui, quid jam juvenis in Arabicis præſtiterit, oſtendit Diſſertat. egregia *de Convenientia admirabili Dialecti Arabicæ cum Hebræa in univerſo linguæ ambitu. L. B.* 1740. Sub ejus præſidio edidit JO. ENGELSMA MEDIUS, Obſervat. Miſcell. *de vero & genuino ſenſu quorundam ſolutorum locorum S. Codicis.* 1768.

Succeſſit Celeb. VALCKENARIO, qui jam Lugduni Batavorum magni *Hemſterhuiſii* perſonam dextre induit, G. KOEN, *J. U. D. ut linguæ*

Græcæ

Græcæ Profeſſor; dicta Oratione *de lingua Latina ab optimis ejus Auctoribus ad Atticam Græcæ Dialectum inprimis conformata atque expolita. a.* 1766.

Verum eodem mox fato functo ad hanc cathedram Groninga, ubi eloquentiam linguamque Græcam profitebatur, accerſitus eſt V. C. JOANNES DANIEL LENNEP. *a.* 1767.

Vir celeberr. HERMANNUS CANNEGIETER, *J. C. & Anteceſſor*, fruſtra à Lugdunenſibus expetitus, ediderat egregium *Commentarium ad fragmenta Veteris Jurisprudentiæ quæ exſtant in collatione legum Moſaicarum & Romanarum, in quo plurima Juris Civilis aliorumque auctorum loca explicantur & emendantur*. 1764. 4. Ad leges Moſaicas quas Conlator recenſet, quæque ad Theologorum curam pertinent, cl. *Cannengieterus* conſuluit ſ. Venerabilem *Venemam*, ejusque Commentarium exhibet. Conlatio hæc legitur. *Bibl. Critic. T. II.*

Conſtitutus eſt V. C. etiam *Juris publici Belgici* Profeſſor. 1766.

Rectoratum Academicum depoſuit V. C. ANTONIUS BRUGMANNUS, *A. L. M. Phil. D. & ejusdem facultatis P. O.* dicta oratione, *de ſenſu Communi, Matheſeos omniumque ſcientiarum matre*, 1764.

Edidit quoque *Tentamina Philoſophia de materia magnetica, ejusque actione in ferrum & magnetem* 1765. 4. Opus, magna cum cura elaboratum, abſolvitur triginta propoſitionibus, comprobatis quadraginta experimentis; & demorſos prodit ungues.

Delato vero Viro hoc celeber. ad Academiam *Groninganam* in locum *Engelhardi*, V. C. Succeſſor

ceſſor ipſi datus eſt V. C. JOA. HENR. VAN SWINDEN, *A. L. M. Phil. D. ejusdemque & Logices & Metaphyſices* P. O. dicta Oratione Inaug. *de cauſis errorum in rebus Philoſophicis.* 1767. Edidit etiam forma Diſſert. *Cogitationum de variis Philoſophiæ capitibus partem primam & ſecundam*, reſp. G. *Coopmans* & *F. N. de Villepoix.* 1767, 1768.

Rectoratu ſe abdicavit V. C. JACOBUS GARCIN, *Linguæ Gallicæ Prof.* & *V. D. M.* dicta Oratione *de hodierna auxiliorum ubertate in omni ſtudiorum genere, optimaque iis utendi ratione.* 1765.

V. C. JO. SCHRADER, *Hiſt. Elog.* & *Poëſeos Prof.* O. dixit *Panegyricum in obitum Sereniſſimæ Principis & Matronæ piiſſimæ Arauſonienſis* 1765. *d.* 17. *Junii.*

Tandem, quod primo loco indicare debuiſſem, Venerabilis H. VENEMA abſoluto *Commentario in Pſalmos* & *Jeremiam*, orbem ſibi devinxit eruditum. *Prior* conſtat *Tomis VI.* 1762. 67. *alter Tomis II.* 1765. 4.

Sub ejus præſidio vero GEORGIUS VERESTÖI, *G. Filius, Transſilvano Hungarus*, edidit Diſſ. Theol. Philol. *de duobus Philoſophorum Ægyptiorum Ordinibus, Moſi olim reſiſtentibus, quorum priores* Ιαννης, *poſteriores autem* Ιαμβρης *nominabantur.* 1764. Spirat ingenium & eruditionem.

FREIBERGÆ.

Prodierunt.

Hn. Rector BIEDERMANS Probe von alten und neüen Bibel-Überſetzungen 1767. variaque ejus Programmata.

FREY-

FREYSTADII.

Wunderbahre Geſchichte des Ignatius von Lojola. 1765. 8. Liber hic Gallice editus eſt ſub hoc titulo: *Hiſtoire de l'Admirable Don Inigo de Guipuſcoa, Chevalier de la Vierge, & Fondateur de la Monarchie de Inighiſtes. a la Haye* 1739. cujus Auctor dicitur HERCULES RASIEL DE SALVE. Faceta eſt & vera Ignatii Lojolæ Biographia.

Continuationem dabunt ſequentes Faſciculi.

BIBLIOTHECA
HAGANA
HISTORICO-PHILOLOGICO-
THEOLOGICA,
AD
CONTINUATIONEM
BIBLIOTHECÆ BREMENSIS
NOVÆ
CONSTRUCTA.

CLASSIS SECUNDÆ,
FASCICULUS SECUNDUS

AMSTELODAMI & LUGDUNI BATAV.
Sumptibus Bibliopolarum
HENR. VIEROOT & JOA. LE MAIR,
MDCCLXIX.

SILLYBUS SCRIPTORUM, FASCICULI SECUNDI.

CLASSIS SECUNDÆ.

I. CONRADI IKENII, *S. Th. D. Paſtoris Cœtus Bremenſium Stephanienſis Primarii, & Societatis eorumdem Teutonicæ membri*, Exercitatio Theologico-Philologica *de Sepultura Chriſti ad* JES. *LIII*: 9. pag. 225

II. JOANNIS MEDHURST, *S. Th. D. & V. D. M. Bremenſis*, Conjectura *de verbis Vaticinii Jacobi* GEN. *XLIX*: 10. pag. 297

III. JOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII, *Præpoſiti Monaſterii St. Laurentii prope Schoeningam & Profeſſoris Brunopolitani*, Meletema *de Ficu per Jeſum maledicta ad* MARC. *XI*: 13, 14. pag. 321

IV.

IV. NICOLAI BARKEY, *S. Th. D. & Profeſſoris*, Obſervationes Pragmatico-Exegeticæ ad ACT. *II*, *III*, *IV*. pag. 336

V. BENJAMINIS KENNICOTTI, *S. Th. D. Societatis Regiæ Scientiarum & Collegii Exeterani Oxonienſis Sodalis*, Status *Conlationis Hebræorum Manuſcriptorum Veteris Teſtamenti, qualis fuit ad finem anni, ab incepto opere, ſexti* MDCCLXV. pag. 389

VI. LITTERARIA. pag. 407

CON-

I.

CONRADI IKENII,
S. THEOL. DOCTORIS,
PASTORIS COETUS BREMENSIUM STEPHANIENSIS PRIMARII,
ET
SOCIETATIS EORUNDEM TEUTONICÆ MEMBRI,
EXERCITATIO THEOLOGICO-PHILOLOGICA
DE
SEPULTURA CHRISTI,
AD
JES. LIII: 9.

PROLOGUS.

§. 1.

Siſtet Tibi B. L. Diſſertatio hæc explicationem loci, qui tanta hactenus circumfuſus fuit caligine, tantasque clariſſimis Scripturæ S. Interpretibus excitavit curas, ut a celeberr. quondam Hafnienſium

Theologo, CHR. NOLDIO in *Concord. Partic. p. m* 894. *col.* 2. *locus arduus*, imo, *crux Interpretum* audiat. Verum cum per avia & ſalebras obambulare aliquando etiam non injucundum ſit, cum maxime illum paulo propius perluſtrabimus, tentabimusque, annon tenebras, quibus immerſus eſt, aliquatenus diſpellere, ſenſumque ejus planum & perſpicuum facere queamus. Et tentaſſe quid nocebit? Quo autem rite & ordine procedamus, ante omnia, quod in explanatione oraculorum divinorum, & imprimis verbi Prophetici, præcipuum eſt, de *Objecto* illuſtris vaticinii noſtri eruendo ſolliciti eſſe debebimus. Præivit nobis hac via Doctiſſimus inter Judæos librorum ſacrorum Interpres, ABARBANEL, in initio *commentarii* ſui, quem in Vaticinium hoc Eſaianum edidit; ſcribens: השאלה הראשונה הא לדעת על מי נאמר הנבואה הזאת: *Quæſtio prima eſt, ut ſciamus, de quo vaticinium hoc pronunciatum ſit.*

Pulchre dictum profecto! ſed primis non reſpondent ſequentia. Nominaturus perſonam, cujus futura fata divinus Vates tam graphice depingit, quam miſere hallucinatur optimus Magiſter? Ex Scylla in Charybdin incidit. Mox Joſiam regem, mox iterum totum Judæorum populum innui ſcribit, atque ita cum plurimis, recentioribus im-

imprimis, ſuæ gentis doctoribus delirare, quam ſolus veritati litare mavult. Hos enim ſi conſulas; quæ interpretationum portenta, quæ deliramenta deprehendes. Sunt qui de Abrahamo, ſunt qui de Moſe, ſunt qui de Jeremia, ſunt denique, qui de Angelis miniſterii Prophetam loqui volunt. Tædet nugarum. Legat, cui volupe eſt: ANT. HULSII *Theol. Jud. Lib. I. part. II. p.* 321. *& ſeqq.* ubi plurimas ipſorum expoſitiones allegatas & confutatas inveniet. Non eo hæc animo ſcribo, ut infelicem populum deridendum Tibi & exſibilandum propinem L. B. Doleo potius triſtia ejus fata, & tremenda Dei, peccatorum ipſius Vindicis, judicia ſubmiſſe veneror. Effudit ſuper illum Jehova ſpiritum ſoporis, & obſtipavit oculos ejus Prophetarum & Primorum ipſius viſum obduxit caligine; facta illi eſt univerſa Prophetia inſtar verborum libri obſignati, quem ſi dederint literarum gnaro, dicendo: Lege quæſo hunc, & reſpondebit ille: Non poſſum, quia obſignatus eſt, uti prædictum eſt per Prophetam, *Jeſ.* XXIX: 10, 11.

Videret alias & agnoſceret non Moſen aut Jeremiam, nec populum Iſraëliticum, aut alium quendam, ſed eum, de quo Moſes & Prophetæ locuti ſunt, Meſiam puto, illuſtre atque unicum vaticinii noſtri ob-

jectum eſſe. Facile eſſet hoc fuſe demonſtrare, atque ordo quoque, ut facerem, a me flagitaret. Verum otia mihi hac in parte fecerunt præter explanatores oraculorum Jeſaianorum, VITRINGAM præcipue & VARENIUM, HULSIUS *Theol. Jud. loc. cit.* HENR. OPITIUS in *Diſſertatione qua Meſſias unicus Capitis LIII. Jeſaiæ ſcopus eſſe demonſtratur. Kil.* 1702. JOH. ANDR. DANZIUS in *Diſſertat. Witteberga* 1679. habita, quam inſcripſit: *Judæi proprio jugulati gladio in Capite quidem Jeſ.* LIII. & quotquot Caput hoc ſive totum, ſive ex parte ſibi illuſtrandum ſumſerunt. Actum igitur non agam, ſed, quia rite determinato objecto, totus prophetiarum ſenſus, tota earum explanatio innititur, breviter & tribus tantum argumentis indicabo, me aërem non ferire, quando id, quod præ manibus habeo vaticinium, de Meſſia in ſequentibus explicabo. Primum *a notis characteriſticis, a Propheta Objecto ſuo per totum Caput attributis*; ſecundum *a conſenſu Rabbinorum veterum*, & tertium denique *a teſtimonio Evangeliſtarum & Apoſtolorum deſumtum ſit.*

§. 2.

Primo *ad notas characteriſticas a Propheta Objecto ſuo per totum Caput attributas* provoco.

voco. Cum enim hæ non ſint, niſi totidem lineamenta, per quæ res aut perſona, quæ nomine ſuo proprio inſignita non eſt, deſcribitur, ex iis, una præſertim tabula Tibi exhibitis, tutiſſimum quoque de ea judicium feres. Scribit hinc feliciſſimus Oraculorum propheticorum Interpres CAMP. VITRINGA in *Præf. ad Lectorem*, quam *Commentario* ſuo in *Jeſ.* præmiſit, pag. 6. *Modum autem harum indaginum rite inſtituendarum hunc præſcribit ratio. Primo quidem ut attributa characteriſtica ſubjecti ex prophetia colligantur, & cum attributis veris & propriis ejusdem ſubjecti, per quæ ex hiſtoria per varios ſtatus innoteſcit, diligenter conferantur.* Sequamur Viri Doctiſſ. conſilium, & notas characteriſticas objecto noſtro per totum Caput attributas, ex ejus verſione colligamus; *Tanquam ſurculus aſcenderet, & tanquam radix e terra ſiticuloſa; nulla ei ſpecies & reverentia ut ipſum reſpiceremus, nulla ſpectabilis forma foret, ut illum deſideraremus.* vſ. 2. *Infirmitates noſtras ipſe tulit & dolores noſtros bajulavit;* vſ. 3. *Perfoſſus fuit propter transgreſſiones noſtras, contritus propter iniquitates noſtras. Pœna exemplaris pacis noſtræ ſuper ipſum erat & vibicibus ejus nobis facta eſt ſanatio.* vſ. 4, 5. *Ex coarctatione & judicio aſſumtus eſt, ætatem ejus quis enarrabit?* vſ. 8. *Violentiam nullam fecit, &*

nullus in ore ejus dolus fuit. vſ. 9. *Anima ejus ſacrificium pro peccato poneret.* vſ. 10. *Cognitione ſui multis adferret juſtitiam.* vſ. 11. *Multitudo gentium diſpertiretur ei, & populos validos, ut prædam partiretur* vſ. 12. Quisquis es, qui notas has juſta trutina perpendis; oſtende mihi alium, in quo omnes ſimul contemplari licet, (ſed diu illum & fruſtra quæres,) aut agnoſce mecum, illuſtre atque unicum vaticinii noſtri objectum, Meſſiam eſſe.

§. 3

Tam perſpicua hæc ſunt tamque manifeſta, ut *celeberrimorum inter Judæos Magiſtrorum conſenſum* ſibi facile conciliaverint. Vel ſexcentis, ſi luberet, teſtimoniis argumentum hoc ſtipare ſine multo ſudore poſſem. Sed quid opus? Catervatim ea exhibent præter modo nominatum *Hulſium*, *Opitium*, *Danzium*, loc. citatis, *Conſtant.* L'EMPEREUR in *Refut. Commentariorum Iſaäci Abarbanelis & Moſis Alſcheichi in Jeſ. prophetiam trigeſimam*, quæ 1631. *Lugd. Bat.* in 8vo prodiit, RAYMUNDUS MARTINI in *Pugione fidei* paſſim, & qui eum, ut ſolet, compilavit, GALATINUS in *Arcanis Cathol. Veritatis Lib. VIII. Cap. XIV, XV.* aliique. Nec Judæi ipſi hoc diffitentur. Agnoſcit

id, cui multum tribuunt, MOSES ALSCHEICH in cujus Commentario, quo vaticinium noſtrum illuſtravit dicam an obſcuravit? legimus: ר״זל פה אחר קיימו וקבלו כי על מלך המשיח ידבר *Rabbini noſtri b. m. uno ore, juxta receptam traditionem ſtatuunt, quod de* rege Meſſia *ſermo ſit.* Agnoſcit ipſe ABARBANEL, in initio *Commentarii* ſui itidem ſcribens: אמנם יונתן בן עוזאל תרגמה על משיח העתיד לבוא וזהו גם כן דעת חכמים ז״ל בהרבה ממדרשותיהם: *Verum enimvero Jonathan Filius Uſielis expoſuit de Meſſia venturo; atque hæc etiam ſententia Rabbinorum b. m. in plurimis ipſorum Commentariis eſt.* In ſylvam itaque non ligna feram. Solius, quem dictus *Abarbanel* allegat, JONATHANIS verba exhibebo. Illuſtraturus ille *verſum* 13 *Cap.* LII., ubi Propheta ſecundum communem optimorum Interpretum, Judæorum æque ac Chriſtianorum, ſententiam, orationem Capite LIII continuatam, ita exorditur: *Ecce proſpere agit ſervus meus; extolletur & efferetur, & ſublimis evadet valde* &c. diſerte ſcribit: הא יצלח עבדי משיחא: *Ecce proſpere aget ſervus meus Meſſias.* Et ne quis cum Abarbanele dicat: *licet Magiſtri verba: Ecce proſpere aget ſervus meus, de Meſſia explicent, ſequentia tamen non de eo, ſed de Iſraële exponunt*, alterum addo, non minus illuſtre teſtimonium, ex quo contra-

 rium

rium ad oculum patebit. Legitur illud in in סאבקת רוכל, ſeu in libro, qui inſcribitur: *Pulvis aromatarius* Lib. I. Part. 2., ubi *R. Machir.* ait: *In principio* (libri) *Peſiktæ dicunt*, *quando Deus creavit mundum ſuum*, *extendit manum ſuam ſub ſolio gloriæ*, *& produxit animam Meſſiæ*, *ejusque catervam*, *dixitque ipſi: Visne tu ſanare & redimere filios meos poſt ſex millia annorum? Reſpondit ipſi*, *volo. Dixit ei; an etiam ſuſtinebis caſtigationes ad abſtergendum iniquitates eorum*, *juxta illud*, *quod ſcriptum eſt*; *Certe morbos* noſtros ipſe tulit? (*Jeſ.* LIII; 4.) *Reſpondit*; *ſuſtinebo eas cum gaudio* Non itaque Magiſtri *verſum* 13. *Cap*. LII. tantum, ſed & *quartum* Capitis LIII. & totam divini vatis orationem de Meſſia explicant Plura non addo. Sufficient hæc ad ruborem *Abarbeneli*, tam præfracte id neganti, incutiendum. Sufficient ad *conſenſum Rabbinorum veterum* probandum, quem ſecundo loco pro veritate theſeos noſtræ contra Judæos eo melius aſſerenda, allegaveram.

§. 4.

Qui Chriſto nomina ſua dederunt quominus eam in dubium vocare poſſint, facit denique tertium noſtrum argumentum, quod a *teſtimonio Evangeliſtarum & Apoſtolorum*

lorum deſumtum eſt. Nullum illi caput ex volumine Prophetarum quinquageſimo tertio Jeſaiæ frequentius, nullum clarius ad Meſſiam applicant. Loca collegerunt OPITIUS in *Diſſert. cit* §. 5. & CONR. LONICERUS in Diſput. Theol. *de Acerbiſſima Chriſti paſſione ex Capite LIII Jeſaiæ Jenæ* 1675. habita. Ex multis tria tantum exhibebo. Ad verſum 4tum provocat Matthæus, dum enarrata multorum ægrotorum, per Chriſtum facta, ſanatione ſubjungit: ut impleretur, quod dictum eſt per Prophetam Jeſaiam: Infirmitates noſtras ſuſcepit & morbos portavit. *Matth.* VIII; 17. Verſus 7mi verum ſenſum & objectum expoſiturus Philippus Eunucho, Candaces Æthiopum reginæ miniſtro, *annunciat ipſi Jeſum*, perſuadetque, hoc præcipue vaticinio, ut confiteretur: *Credo filium Dei eſſe Jeſum Chriſtum. Act.* VIII; 27–38. De *verſu* 9no, quem mihi explicandum ſumſi, nullus plane dubitandi locus remanet. Petrus illum tam manifeſte de Servatore optimo interpretatur, ut qui maxime, ſcribens, 1 *Petr.* II: 21, 22. *Nam & Chriſtus pro vobis paſſus eſt, relinquens vobis exemplar, ut ſequamini veſtigia ipſius; qui peccatum non fecit, & in cujus ore non inventus eſt dolus.* Quid diſertius? Verba ultima, ſunt verba 9ni *Capitis* noſtri LIII. Jeſaiæ, quæ, ſi

divus Petrus de Chriſto expoſuit, ex iis, quoniam fundamentum eorum, in quorum explicatione cum maxime deſudo, tantum continent, ad illa quoque tuto concludere licet. Jam, quæ diſputavi in ſummam collige, Lector, & nisi dedita opera oculos claudas, videbis, me legitime procedere, quando id, quod præ manibus habeo vaticinium, de Meſſia in ſequentibus explicabo. Tantum de OBJECTO.

§. 5.

Ad ſenſum verborum eruendum nunc propius aggredior. Verum tot propemodum in eorum explicatione ſententiarum divortia deprehendo, quot ſunt in anno dies. Poſſem, ſi luberet, totum earum agmen in medium producere. Sed meum non eſt, conquiſitis undique Virorum doctorum nominibus chartam ornare, aut allegatis variorum cogitatis paginam ampliare. Legat, cui volupe eſt, illa apud PFEIFFERUM in *Dubiis vexatis p.* 382, 383. GEJERUM in *Operibus philol. Vol. II. p.* 88. *ſeqq.* MARKIUM in *Analyſi exeget. Cap. LIII. Jeſaiæ* §. 141. *ſeqq* & JOH GEORG. RAPHELIUM in *Diſſert. ad Jeſ. LIII: 9. Roſtochii* 1712 habita. Paucis tantum, quid ego de difficili hoc loco ſentiam explicabo, ut ita totum Diſſertatio-

tationis hujus argumentum, una quaſi tabula contemplari queas. Recte cum ATHANASIO in Synopſi uti vaticinia Jeſaiana in genere, ita illud præſertim, ex quo comma, quod tractamus, deſumtum eſt: *Evangelium de adventu verbi Dei in carnem, & paſſionibus, quas noſtri cauſa ſuſcepit*; inſcriberes. Totum enim vitæ Servatoris Optimi curriculum, Propheta in eo commemorat. Nativitatem, perſonam; fata; paſſiones, mortem viviſſimis depingit coloribus. Ad ſepulturam denique venit. Quæ de ea notatu digna ſibi obveniebant, enarrat in commate noſtro. Duplicia ſunt, partim reſpectu hoſtium Meſſiæ, partim eventus, qui votis eorum planè non reſpondebat. Illi, quem vivum pro facinoroſo reputarant, ut blaſphemum & rebellem accuſarant, judicarant, damnarant, ut maleficum latrones inter in crucem egerant, commune quoque cum iis, qui ſupplicio perierant, ſepulchrum deſtinarant; ſed aliter voluit cunctorum gubernatrix, Divina providentia, qua factum eſt, ut in ſplendidum divitis & potentis mauſoleum inſerretur. Hic, ſi quid video, verus illuſtris hujus vaticinii ſenſus, hæc ſaltem ea, quæ de illo mihi ſedet ſententia, eſt. Quam ut Lectoribus meis non indicaſſe ſolum, ſed & probaſſe deprehendar, illud eſt, quod diſſertatione hac intendo, & pro viriſi

cum

rum maxime annitur. Verba itaque ex Hebraicis verto: Et parararant cum maleficis ſepulchrum ipſius, ſed cum Divite mauſoleum ejus (fuit).

§. 6.

Noli interim putare, me, hanc quam propoſui explicationem, pro nova plane & hactenus incognita venditare, meque tot viris eruditis, qui ad lapidem hunc deſudarunt, oculatiorem videri velle. Sunt qui ex parte mecum faciunt, & ad ſententiam modo exhibitam proxime accedunt; eſt fortasſis etiam, qui eam totidem verbis jam publicavit. Priorum multos inveni ſuoque loco fideliter indicabo. Poſterius an factum ſit? non diſputabo, cum omnes, qui locum hunc vel ex profeſſo tractandum ſibi ſumſerunt, vel aliud agendo tantùm tetigerunt, conſulere neque lubuit neque licuit. Nec mea multum refert, cum aliorum ſcrinia me non compilaſſe ſatis certo mihi conſcius ſim, & quivis rei peritus ultrò intelliget. Ut autem ſcias; quâ Te viâ in partes meas traham; en Tibi argumenta, quibus in ſequentibus pugnabo. *Primum* a genuinâ vocum ſignificatione; *Secundum* a nexu cum antecedentibus & conſequentibus; *Tertium* denique ex

ex hiſtoriâ Evangelicâ ejusque cum vaticinió noſtrô convenientia deſumtum ſit. His explicationem meam niti tibicinibus ſi demonſtravero, omnes boni interpretis partes me expleviſſe mihi videor. Tuum erit judicare, Lector, num calculos rectè ſubduxerim.

ARGUMENTUM I.

§. 1.

Argumentum primum, quod pro ſtabiliendâ explicatione meâ allegavi, a genuinâ vocum ſignificatione deductum eſt. Prima autem, quæ in vaticinio noſtro nobis occurrit, vox eſt וַיִּתֵּן. Norunt, qui Grammaticam Hebræam a limine tantùm ſalutarunt, componi eam ex particulâ ו & tertiâ perſonâ maſculinâ ſingularis futuri, verbi נתן. Norunt etiam, prioris multimodas in ſacris ſignificationes exſtare. Ultra ſeptuaginta earum enumerat NOLDIUS in *Concord. Partic. p. 282. ſeqq.* Unde, qui locum noſtrum explicare tentaverunt, talem plerumque arripiunt, quæ adoptatæ ſemel ab ipſis ſententiæ quàm maximè inſervire poſſit. *Quidem*, *Licèt*, *Verùm* & neſcio quomodo, vertunt. Primaria interim & omnium uſitatis-

ratiſſima eſt, quod copulandi vi polleat, a quâ cur recedamus, non video. Nexus eam non tantùm non reſpuit, ſed requirit. Liberè fluit oratio: *Exciſus enim eſt e terrâ viventium; propter defectionem populi mei plaga hæc ipſi* (ſupervenit). *Et paratum erat apud maleficos ſepulcrum ejus*, &c. Genuinam itaque particulæ hujus ſignificationem quare rejiciamus, & aliam minus naturalem in ejus locum ſubſtituamus? Præfigitur autem verbo ſuo non per *ſcheva*, uti aliàs ſolet, ſed per vocalem *patach* & *dageſch*, quod fieri, iterum tirones norunt, ut nota ſit, futurum non hic poteſtatem futuri, ſed præteriti habere, atque adeò duplicem uſum præſtat. Primò enunciatum ſuum cum præcedenti oratione copulat, tum verò ſimul indicat, Prophetam, licèt futurum tempus adhibeat, ac ſi in præterito loqueretur, a Lectoribus tamen intelligi velle. Cave autem inde concludas, illum non de futuris vaticinari, ſed præterita narrare. Facit id ABARBANEL, ut eludat illuſtre de Meſſiâ vaticinium, quod invenitur *Jeſ.* VII: 14. Verùm, aut in ſcripturis planè hoſpes es, aut ſcies, Prophetis tali loquendi modo nil eſſe frequentius. Exempla ſint, *Pſalm.* LXVIII: 19. *Jeſ* LXI: 1. &c. Nec ratio longè petenda, quoniam in promtu eſt. Non quidem dicerem, fieri illud ad certitudinem rei demonſtran-

ſtrandam. Allegat hanc cauſam VITRINGA ad *Jeſ.* VII: 14. ſcribens: *Prophetas in ecſtaſin raptos, de futuris tanquam de præſentibus loqui, ob rei certitudinem & evidentiam.* Sequitur anteſignanum hunc maxima interpretum turba. Sed, ſi quid video, Prophetiarum certitudo non in enallage temporum, ſed in Divina, quam auctores earum præ ſe ferebant, auctoritate & in eventu quærenda eſt, nec rem certius aut citius eventuram crederem, ſi quis eam mihi verbis in præterito poſitis, narraret, quam ſi in futuro id faceret. Fundamentum talis ſtyli diſpoſitionis ex modo, quo Prophetis futura revelabantur, repetendum potius cenſeo. Non ſemper illud fiebat expreſſis verbis. Toti interdum corripiebantur ſpiritu, facultas mentis, cujus ope res nobis repræſentamus, in iis acuebatur, ità ut recondita futuri temporis fata, in imagine quaſi ipſis exhibita non aliter contemplarentur, ac ſi oculis ea cernerent. Hinc, cùm, quod ipſis acciderat, fratribus enarrare, aut ſcripto conſignare, volebant, non potuerunt non præſenti aut præterito tempore uti, cùm naturalis dicendi ordo id flagitaret. Accidit idem Jeſaiæ noſtro. Scena, quæ totam Servatoris noſtri vitam repræſentabat, ei aperiebatur; nativitatem, paſſiones, mortem, omniaque ejus fata non amplius ut futura, ſed unâ

quaſi

quaſi tabulâ depieta cominùs intuebatur. Narraturus itaque quæ viderat, in capite noſtro, jure meritòque per totam fère orationem, ſive præſens, ſive præteritum tempus adhibet, & in eo, quem explicamus loco, dicit: ET PARARANT. Facile hæc expediuntur.

§. 2.

Plus nobis negotii faceſſet ſubjectum, de quo prior vaticinii noſtri pars loquitur. Latet illud in verbo ויתן, atque hinc variè a variis, pro hypotheſi, quam quisque aſſumſit, conſtituitur. CALVINUS, HAKSPANIUS, & cum iis OPITIUS in *Diſſert. de ſepultura Meſſiæ & admirandâ Dei circa eam providentiâ. Kil.* 1703. JOH. GEORG. RAPHELIUS in *Diſſert. in h. l. Roſtochii* 1732. habitâ, omnesque, hac in parte ſecuti *Jonathanem* atque *Alexandrinos*, de Deo & quidem Patre ſermonem hîc eſſe volunt. Contra ea TARNOVIUS, BRENTIUS, CALOVIUS ad *h. l.* GLASSIUS in *Philol. S. Lib. III. Tract. I. can.* 2. & CAR. LUD. HOHEISEL. in *Obſerv. Philol. Exeget.*, quibus nonnulla Jeſaiæ loca *δυσνόητα* illuſtrat *pag.* 479. *ſeqq.* ut alios taceam, de Chriſto ipſo cogitant. Verùm quis omnium horum de loco noſtro ſententias ponderabit, qui non videat, quam

vagæ,

vagæ, quam contortæ, quam obſcuræ illæ ſint? Indicavit id jam cl. VITRINGA in *Comment. ad h. l.* & nobis etiam illud ulterius oſtendendi, anſa in ſequentibus dabitur. Aliam planè viam ingreſſi itaque ſunt JUNIUS, RIVETUS ad *h l.* ANT. HULSIUS in *Theol. Jud. Lib. I. P. II. p.* 321. *ſeqq* & plures alii, ſtatuentes, populum Judaïcum hîc a propheta, ut circà ſepulturam Meſſiæ occupatum introduci. Sed obloquitur iis iterum OPITIUS in *Diſſert cit.* § 19. ſcribens: *Rivetus ſubjectum, nimirum eum qui dedit, facit populum Judaïcum, cujus tamen nulla in præcedentibus facta fuit mentio, ita ut rectius intelligatur Deus pater, &c.* Quo jure, quâve injuriâ hæc dicta ſint, nunc non diſcutio. Totam hanc litem declinare potius volui. Quod, ut eo felicius fiat, verbum ויתן imperſonaliter, uti vulgo, licet minus accuratè, dicitur, ſumo, atque illud, cum Latini activè vix aliter queant, in numero multitudinem denotante *pararant* reddidi. Sequor hac in parte ex interpretibus PFEIFFERUM in *Dub. Vexat.*, MARKIUM in *Analyſi exeget. Cap. LIII. Jeſaiæ* §. 144. & quem primo loco nominare debuiſſem cel. VITRINGAM in *Comment. ad h. l.* ex verſionibus autem *Belgicam*, *Genevenſem*, *Italicam* &, quæ nulli omnium accuratione cedit, *Danicam*. Nec exemplis deſtituor

Bibl. Haganæ Cl. II. F. II. Q in-

interpretationem hanc adſtruentibus. Inſpice ſaltem loca *Gen.* XLVIII: 1, 2. *Nehem.* II: 7. *Jeſ.* IX: 6. *Mich.* II: 9. & videbis in omnibus illis tertiam perſonam futuri, ſive naturalem ſitum ſuum & ſignificatum retinentis, ſive in præteritum converſi, non poſſe ſecus quam imperſonaliter, aut potius indefinitè ſumi. De ipſo noſtro ויתן idem probant. *Pſ.* LXXII: 15. *Eccleſ.* II: 21. &c. Quod, ſi quæras, quinam tandem ſit nominativus, qui in verbo hoc indefinitè ſumto, lateat, cum, ſine nomine & verbo non poſſit conſtare affirmatio vel negatio? accipe reſponſionem. Suboluit dudum Grammaticorum ſagaciſſimis, & ipſa rei natura quemvis ſatis attendentem docet, in verbis indefinitè poſitis omitti ſubjectum eandem, quam verbum exprimit, actionem proferens, idque non determinatam, atque adeo ellipſin hanc non accuratius, quam per participium illius ipſius verbi, expleri poſſe. Exemplis rem illuſtrabimus. Apud CURTIUM, qui primus cum maximè ad manus eſt, quando legimus: *Lib. IV. Cap.* 2. §. 14. *Apud Macedonas quoque, cum fortè panem quidam militum frangeret, manantis ſanguinis guttas notaverunt.* Quis non videt, in verbo *notaverunt* latere participium *notantes*, ſive ſubjectum non determinatum, eandem cum verbo actionem exprimens,

qui-

quicunque notavit? Aut ſi e ſacris convinci mavis? Cùm Chriſtus ait: *Sed mittunt vinum novum in utres novos, & utraque conſervantur. Matth.* IX: 17. nonne ſub verbo *mittunt*, intelligit *mittentes*, ſeu *illos*, *qui vinum novum in utres mittunt?* &, ſi Davidem dicentem audimus: *Nam procedit rex Iſraelis ad quærendum pulicem, quemadmodum perſequuntur perdicem in montibus*, quis non confitebitur in voce *perſequuntur*, ellipſin nominativi actoris latere? ſupplent quidem eam Interpretes per nomen *venatores*; verùm nimis ſpeciale illud eſt, quam ut totam loquentis mentem, omnemque phraſeos ambitum exhaurias, cùm non omnes venatores ſint, qui perdices perſequuntur in montibus. Rectius itaque in ejus locum ſubſtituamus ſubjectum indefinitum, per participium *perſequentes* optimè exprimendum. Applicemus cum maximè regulam hanc ad noſtrum וַיִּתֵּן, & ſubjectum in eo latens ultrò emerget. Eſt, omnis qui eandem, quam verbum נָתַן denotat, actionem protulit. Eſt *parans* quicunque etiam ille ſit; & ſi eventum vaticinii in ſubſidium vocare licet? ſunt Pilatus, Senatus populusque Judaïcus, milites Romani, & quotquot ſepulcrum Servatoris noſtri apud maleficos ſeu ordinarunt, ſeu pararunt. Omnes complectitur Propheta ſolâ voce וַיִּתֵּן.

Tam uberem illa, ſi impersonaliter aut potius indefinitè ſumatur, ſenſum exhibet; quem ſectari cum boni interpretis ſit, non ſine ratione, ut puto, indefinitum ei ſignificatum aſſignavi, & cùm Latinè non melius potui, *Pararant* reddidi.

§. 3.

Nondum noſtrum יתן deſerere licet. Supereſt ut in verum ejus ſignificatum inquiramus, &, quam verſio noſtra ei aſſignavit, *parandi* notionem adſtruamus. Eſt inter illa verba, quæ latioris apud Hæbræos uſûs ſunt. Varias hinc & in loco noſtro explicationes experiri debuit. Longum foret ire per ſingulas. Qui ad noſtras partes proximè accedunt interpretes, vel uſitatiſſimam *dandi* ſignificationem retinent, vel ejus loco *ponendi* ſubſtituunt, utpotè ſtatuis, monumentis, mauſoleis convenientiorem; omnes vero non de actu ipſo ſed de intentione animi exponunt, adeòque *dare vel ponere apud animùm conſtituerant*, reddunt. Vid. FORSTERUS. in *Lex. voce* במה, MORUS & CAPELLUS ad *h. l.* MARKIUS & L'EMPEREUR *loc. cit.* aliique. Verùm obloquitur illis OPITIUS in *Diſſert. cit. II.* 19. ſcribens: *Ab omnibus hiſce interpretibus precariò tribuitur verbo* נתן *ſignificatio cogitandi, vel dandi per cogi-*

cogitationem & deſtinandi, *cum verbum illud notet*, *actu dare*. Liti quidem ipſi me non immiſceo, cùm aliâ me viâ in explicatione verbi noſtri incedere, ſtatim apparebit; quomodo verò Vir Doctiſſimus, hæc tam audacter ſcribere potuerit, mirari nondum deſinò, cum notiſſima & omnium linguarum uſu coroboranda regula hermeneutica ſit; quòd verba, actum proprie exprimentia, de facultate, voluntate, conatu ſæpiſſimè intelligi debeant. Suboluit ea jam ABENESRÆ, dum ita in hunc locum commentatur: והכתוב אמר ויתן על מחשבתו כמו וילחם בישראל על בלק; *Textus dicit : Et dedit*, ſcilicet *in cogitatione ſua*, *uti*: *Et pugnavit contrà Iſraëlem de Balaco* dicitur. *Joſ.* XXIV: 9. Regulam bene obſervavit diligentiſſimus magiſter, ſed exemplum quod adducit extra contradictionem poſitum non eſt Clariora nobis in promtu ſunt, ex quibus hæc tantùm allegare juvabit. *Exod.* XII: 48. quandò legimus: *Quod, ſi peregrinabitur apud te peregrinus*, & fecerit, *paſcha Jehovæ*; *circumciditor ei omnis mas*, *& tum demum accedat ad faciendum illud*. quid notat verbum activum ועשה niſi *& facere voluerit?* Iterum, *Ezech.* XXIV: 13. quando Deus dicit: *In immunditie tuâ* conſiſtit *ſcelus*, *propterea quòd mundavi te & non mundata es*. Nonne verbum mundavi de

intentione, ſive de conatu tantùm intelligere debemus? Plura dabunt SAL. GLASSIUS in *Philol. ſ. Lib. III. Tract. III. can.* 7, 8. & JOH. ANDR. DANZIUS in *Interp Hebr.* §. *XCVI* & *CXI. edit. vet.* Imo ipſum noſtrum נתן hoc ſenſu offendimus, *Gen.* XV: 18. *Hoc die pepigit Jehova cum Abrahamo fœdus, dicendo: ſemini tuo* נתתי dedi *terram hanc a flumine Ægypti usque ad flumen illud magnum, flumen Euphratis*, ubi verbum נתן non niſi de voluntate, de intentione, de decreto explicandum eſt, cùm poſt quadringentos circiter annos, Deus ſemini Abrahami terram promiſſam actu demum dederit conf. & *Gen.* XVII: 5 Nec profanis hic loquendi modus planè inuſitatus eſt. Adhibet eum SOPHOCLES in *Ajace vſ.* 1148.

Δικαια γαρ τον δε ευτυχειν κτειναντα με;

Juſtumne enim eſt eum juvare, qui me occiderat. i. e. *qui me occidere voluerat*, ſive *conatus erat*. Adhibet eum, ut ex Latinis etiam exemplum proferamus, CICERO in *Arat:*
Ut quondam Orion manibus violaſſe Dianam
Dicitur. ——

Ubi iterum verbum *violaſſe* de conatu tantum violandi ſumitur, cùm Orion nunquam Dianam actu violaverit, ſed violare tantùm

tantùm voluerit, ſecundum illud HORATII: *Carm. Lib. III. Ode IV.*

— — — — notus, & integræ
Tentator Orion Dianæ
Virgineâ domitus ſagittâ.

Non obſtaret itaque cl. OPITIUS, quò minùs Viris àntea laudatis calculum meum adjicerem, & noſtrum ויתן *deſtinarant*, *decreverant*, *apud animum conſtituerant*, redderem. Verùm non opus eſt eò devenire. Simpliciori multo & ſimul faciliori modo rem expediemus, ſi ad generaliorem & nativam verbi נתן ſignificationem tantùm ritè attendamus. Minus accuratè procedunt, qui *dandi* notione eam abſolvi volunt. Ut ut enim primaria illa ſit, ſpecialior tamen cùm maximè eſt. Rectius ſummus COCCEJUS in *Lexico*, generaliorem eſſe, ſcribit; *facere ut quid ſit.* Conſentientem habet GUSSETIUM in *rad.* נתן. Nec pro auctoritate loquitur Vir Clariſſimus. Exempla bene multa in ſacris obvia ſunt quibus effatum ejus probari poteſt. Vide *Geneſ.* III: 12. *Mulier* אשר נתתה עמדי *quam* feciſti eſſe *mecum*. *Levit.* XIX: 28. לא תתנו בבשרכם *non* facietis ut ſit *in carne veſtrà*. *Pſ.* XXXIX: 6. טפחות נתתה ימי *Palmorum inſtar* feciſti ut ſint *dies mei*. *Thren.* I: 13. נתנני שוממה fe-

 cit,

cit, ut ſim *deſolata*. Plura ſi cupis, adi *Gen.* XVII: 20. 1 *Reg.* XVI: 3. *Pſ.* XVIII: 33. XLIV: 12. *Jerem.* XXVI: 6. XXX: 35. XLIX: 15. *Ezech.* III: 9. VI: 14. &c. Agnoſcunt & imitantur generalem hunc verbi noſtri ſignificatum ipſi ſcriptores Novi Fœderis. Hinc Paulus: *Omnia ſubjecit pedibus ejus, illumque* ἔδωκε fecit eſſe *caput eccleſiæ ſuper omnia. Eph.* I: 22. iterùm: Ἔδωκε, fecit, ut eſſent *alii quidem Apoſtoli, alii Prophetæ, alii Evangeliſtæ, alii verò Paſtores & Doctores Eph.* IV: 11. Atque hinc (1) pro *collocare*, i. e. *facere ut quid alicubi ſit* נתן noſtrum legitur 1 *Reg.* VII: 39. ויתן Et collocavit (fecit eſſe) *baſium quinque ad latus domùs dextrorſum, & quinque ad latus domùs ſiniſtrorſum, & mare* נתן *collocavit ad latus domùs dexterum, orientem verſùs e regione meridiei.* Optimè & hinc (2) explicatur ſolita apud Hebræos optandi formula מי יתן *Quis faciet ut ſit*, & ſic porrò Jam faciamus periculum, an ex obſervatis vaticinium noſtrum illuſtrare poſſimus. Retineamus generaliorem verbi נתן ſignificationem, & ſenſus erit: *Fecerant, ut eſſet cum maleficis ſepulcrum ejus*, &c. Quod verò, cum Latinas aures offendat; & verbum *parare* idem ac phraſis; *facere ut quid ſit* denotet, illud præ aliis elegi & prius oraculi noſtri membrum reddidi: *Pararant cum maleficis ſepulcrum*

erum ejus. Feci hoc eò lubentius, quò ſæpius Scriptores Latii verbum hoc de eo, quod defunctorum corporibus præſtare ſolebant, adhibent. Unde LUCANUS *Pharſal. Lib. VIII. vſ.* 713.

Pompejo raptim tumu'um Fortuna paravit

& Ovidius Metamorph. Lib. III. vſ. 508.

Jamque rogum, quaſſasque faces, feretrumque parabunt

Conf. & *Faſtor. Lib. II. vſ.* 816.

§. 4.

Pergimus ad particulam את. Communionem eam hic loci involvere autumo, atque idcircò per præpoſitionem *cum* transſtuli. Nec video (loquor verbis Cl. VITRINGÆ ex *Comment* ejus *ad h. locum*) quicquam eſſe, quod huic interpretationi objici queat, quàm voculam את conſtructam cum נתן *dare*, commodiſſimè ſumi ut notam caſûs accuſativi. Et ſanè negari nequit ſic ſæpiſſimè uſurpari; nec tamen ea ratio noſtram deſtruit ſententiam; ſiquidem conſtructa cum aliis tranſitivis paris poteſtatis multis locis notet *ſocietatem* vel *communionem*. Sic Je-

 ſaias

ſaias *Cap.* LIII: 11. *Ubi eſt ille, qui eos eduxit ex mari* את cum *paſtoribus gregis ſui.* *Jer.* XV: 14. *Ego transferam* (te) cum *hoſtibus tuis.* confer loca *Joſ.* XI: 18. 2 *Reg.* XXIII: 18. *Hoſ.* V: 7. VII: 5. *Zephan.* I: 3. Hæc *Vitringa*; animusque erat in dictis ejus acquieſcere; ſed adverſarios poſtmodum inveni bene multos, qui explicationem hanc omni niſu, ſed diverſâ viâ aggrediuntur, eamque funditùs evertere volunt. Præcipuos tantum nominaſſe ſufficiat. Primus ſit J. ULMANNUS, qui in integrâ centuriâ, ſecundâ nempe *Delic. Rural.* id ſibi negotii datum eſſe credit, ut demonſtret; particulam את ſemper & ubique notam accuſativi caſûs eſſe. Non quidem omni ex parte cum illo facit cl. OPITIUS, ſed eo minus prætereundus, quo directius tela ipſius in verſionem noſtram converſa ſunt. Ita autem ille in *Diſſert.* ſuprà allegatà §. 16. *Præterquam, quod particula* את *poſt verbum activum, uti h. loco poſt verbum* נתן *poſita, nunquam in totâ Scripturâ pro præpoſitione* Cum *uſurpatur, (uti aliàs interdum poſt verbum paſſivum & neutrum fit)* ſed *ſemper nota accuſativi eſt.* Atque verboſiùs adhuc §. 26. את *cum verbo activo conſtructum, (uti h. l. fit) ſemper nota accuſativi eſt, nullo in contrarium dato exemplo. Et ſi quæ nobis objiciuntur exempla, ubi* את *ſignificatio-*

nem

nem præpoſitionis Cum *habet*, *e. g. Gen.* V: 22. *Exod.* I: 1. *Jud.* I: 16. 2 *Sam.* VII: 12. *&c. in omnibus tamen illis & ſimilibus locis non verbum activum, ſed neutrum vel paſſivum habetur, cum quo particulam* את *præpoſitionem* cum *notare poſſe nemo eſt qui neget, at, ut cum verbo activo immediatè conſtructum, præpoſitionem* cum *notet, nullo idoneo exemplo probari poteſt.* Succenturiatur ipſi AUG. PFEIFFERUS *Dub. Vex. Cent. I. loc. XI.* Omnes verò uno enſe unoque ictu, ni fallor, jugulavero, ſi vel unicum exemplum in medium proferre queam, ex quo ad oculum patet, particulam את poſt verbum activum non eſſe meram notam caſus quarti, ſed ſocietatem ſeu communionem denotare, adeoque rectè ſatis per præpoſitionem *cum* transferri. Tota autem illorum acies nobis ad manus eſt. Allego tantùm *Gen.* XLIII: 32. וישימו לו לבדו ולהם לבדם ולמצרים האכלים אתו לבדם כי לא יוכלון המצרים לאכל את העברים לחם כי תועבה הוא למצרים: *Appoſuerunt itaque ei ſeorſim & illis ſeorſim; Ægyptiis vero comedentibus* cum *ipſo ſeorſim; non enim poterant Ægyptii comedere* cum *Hebræis panem, quoniam abominationi id eſt Ægyptiis.* Et ut exemplum habeas, quoad conſtructionem, noſtro per omnia ſimile,

ſimile, adde *Gen.* XV: 18. יהוה את אברם ביום ההוא כרת ברית: *Die illo pepigit Jehova cum Abrahamo fœdus.* Vide porrò *Gen.* IX: 9. XXXVII: 2. XLII: 4. &c. Tam liquida hæc ſunt, tamque perſpicua, ut conciliare apud animum non poſſim viros eruditiſſimos, & præcipuè cl. *Opitium* tam inconſideratè ſcribere potuiſſe: *Particulam* את *poſt verbum activum, uti h. loco poſt verbum* נתן *poſitam, nunquam in totâ ſcripturâ pro præpoſitione* cum *uſurpari, ſed ſemper notam accuſativi eſſe* Iniquum foret poſtulare, ut exemplum proferam, in quo ea cum נתן ſpeciatim conſtructa ſignificationem præpoſitionis *cum* indicat. Non enim in eo ſumus, ut veram verbi hujus cum particulâ את conjuncti, notionem eruamus, ſed ut oſtendamus, particulam hanc in eâ verborum conſtructione, quâ in loco, ad quem cùm maximè deſudamus, occurrit, per præpoſitionem *cum* jure meritoque transferri poſſe. Sufficit itaque ſi exempla habeamus in quibus את noſtrum, verbis ejusdem cum נתן conditionis ejusdemque poteſtatis junctum, quàm clariſſimè *ſocietatem* ſeu *communionem* ſignificat, adeoque non aliter quàm per *cum* vel *apud* reddendum eſt. Talia autem ea eſſe, quæ allegavimus, nemo, ut opinor, erit, qui inficietur. Habes in iis verba ejusdem cum נתן formæ,

activæ

activæ nempe, ejusdemque cum eo poteſtatis, tranſitiva enim ſunt, & particulam את cum illis conſtructam, ſignificatu præpoſitionis *cum* gaudere, tam clarum eſt, ac ſol ſi ſplendet in meridie. E'gregie confirmaret explicationem noſtram origo vocis, ſi firmo ſatis niterentur talo, quæ CHRIST. KOERBERUS in *Lexico Part. Hebr.* ſcribit: את nota nominativi ac accuſativi, *eſt nomen a rad.* אתה *venit, obvenit, obtulit, quam poſteriorem ſignificationem apud Arabes potiſſimum obtinet. Propriè notat objectum, ſubjectum, ſeu id quod obvenit, adeoque rectiſſimè pro notâ accuſativi poſt verba activa, itemque pro notâ nominativi poſt vel ante verba paſſiva & neutra habetur.* את cum, apud, *idem quidem cum præcedenti eſſe videtur, aſt diverſitatem* ת *in incremento dageschatum ſatis prodit. Hoc nimirum eſt nomen a rad.* אתת *Arab.* أَثَّ multus, copioſus fuit. *Denotat igitur propriè* copiam, *item conſequenter* communionem. Non quidem in verba hæc jurare volo, id tamen certum eſt, punctorum diſcrimen, quod inter את præpoſitionem & particulam hanc, accuſativi caſûs indicem, reperimus, diverſam ſpirare utrorumque originem, & quid? ſi utrumque, cùm iisdem tamen literis conſtant, ab eodem themate derivaremus, & di-

diceremus: את deſcendit ab אתה Arabibus أَتِي nempe a *Conjug. I. venit, advenit, pervenit*, ſi nota *accuſativi* eſt, ſi verò præpoſitionis *cum* ſignificatione & naturâ gaudeat, a *Conjug V.* تَاتِي quæ *Socium præbuit, accommodavit ſe* denotat. Sed conjecturæ ſunt, quas non ad ſtabiliendam ſed ad exornandam explicationem noſtram tantùm affero Conſtabilita illa in antecedentibus tam ſolidè eſt, ut non videam, quid amplius deſiderari poſſit. Unica ſaltem nobis reſtat repellenda objectio, quâ modo laudatus *Opitius* eam denuó impugnare conatur. Ad accentus ultimo loco confugit Vir clariſſimus. *Obſtat quoque* ait loc. cit. *ipſa accentuatio, quæ arctiori vinculo conjungit* את רשעים *cum verbo* נתן, *quàm ut per* cum *exponi poſſet. Nam verbum* נתן *habet ſub ſe Mahpach ſervum τϰ paſchta, qui reperitur ſuprà vocem* את רשעים. *Nunquam autem particulæ* את *cum ſubſtantivo conjunctæ, quando* cum *denotat, jungitur, quantum mihi quidem conſtat, verbum antecedens per accentum conjunctivum ſed disjunctivum Hoc verò in loco verbum* נתן *jungitur per accentum conjunctivum Mahpach cum* את רשעים. Non quidem animus eſt, accentuum tricas hic loci enodare, aut in tædioſas illas quæſtiones

de

de eorum poteſtate & auctoritate, quam in explicandâ S. Scripturâ habent, nos demittere. Ad nauſeam usque illæ a Philologis jam ventilatæ ſunt. Verba Doctiſſimi *Opitii* tantùm paulò diligentius perpendamus, & apparebit, ea partim pro nobis potius, quàm contra nos militare, partim propius examen non ſuſtinere. Scribit, *accentuationem arctiori vinculo voces* את רשעים *conjungere cum verbo* נתן, *quàm ut per* cum *exponi poſſit* &c. Quid magis explicationi noſtræ favet, quàm effati hujus priores lineæ? Arctiſſimum inter voces את רשעים & verbum ויתן intercedit vinculum. Nonne quilibet ex eo inferre debet; ergo vocula את pro præpoſitione *cum* optimè & rectius quàm pro notâ accuſativi ſumitur, quoniam longè arctiori vinculo ſubſtantivum ſuum רשעים hoc modo cum ויתן copulet, quàm ſi quarti caſûs index ſit? Addit Vir cl. *Nam verbum* נתן *habet ſub ſe Mahpach ſervum τȢ paſchta, qui reperitur ſuprà vocem* רשעים. *Nunquam autem particulæ* את *cum ſubſtantivo conjunctæ, quando* cum *denotat, jungitur quantum mihi quidem conſtat, verbum antecedens per accentum conjunctivum, ſed disjunctivum.* Contrarium verò patet ex exemplo *Geneſ.* XLIII: 32 ſuprà adducto. Ob oculos Tibi id ponam, Lector, ut eo certius judicium ferre poſſis.

poſſis. ולמצרים הָאֹכְלִים אִתּוֹ לְבַדָּם כי לא יוכלון המצרים לֶאֱכֹל את העברים לֶחֶם Jam, ſi placet, confer cum eo dictum noſtrum וַיִּתֵּן אֶת רְשָׁעִים קִבְרוֹ & videbis eandem utrobique accentuum rationem eſſe; in priori autem nihilominus particulam את per præpoſitionem *cum* reddendam eſſe, quis negabit? Proſtratæ itaque jacent objectiones; perſtat explicatio noſtra, &, ſi illam Virorum Hebraicè doctiſſimorum auctoritate ſtipatam videre cupis? ſtant pro eâ *Oecolampadius*, *Tarnovius*, *l'Empereur*, *Cappellus*, *Leigh*, *Morus*, *Markius*, *Vitringa*; quanti propugnatores!

§. 5.

Sequitur vox רשעים. Et in ejus explicatione Interpretes in diverſa abeunt. Longius a ſcopo aberrant, qui pro abſtractâ eam habent, atque adeò non per improbos ſed improbitates, ſit venia numero plurali, exponunt. Reddunt illi dictum noſtrum: *Et dedit ſeu poſuit* (Chriſtus) את רשעים improbitates *in ſepulcro ſuo*, *& divitias in mortibus ſuis*. Præcipui horum ſunt WELLERUS in *Explicat. Cap. LIII. Jeſaiæ*, & SAL. GLAS-

GLASSIUS in *Grammat. S. Lib. III. Tract. I. Can. II.* ubi in verſionem hanc ita commentatur: *Peccata hominum, quæ portaverat in corpore ſuo ſuper lignum, intulit quaſi ſecum in ſepulchrum, ut a facie Dei ſint abſcondita, & remiſſa omnibus, qui in Chriſtum credunt. Et mors Chriſti pretioſiſſima inſtar coeleſtis gazophylacii proponitur, in quo omnis divitiarum ſpiritualium ſufficientia repoſita eſt, & exinde fide verà ac vivà deſumi poteſt.* Verùm, quis non videt, quàm coacta quamque obſcura ſit explicatio hæc, quæ ut intelligatur, commentario opus habet? Confutarunt eam idcircò jam *Opitius Differt. cit.* §. 21. VITRINGA in *Commentario ad h. locum*, & ſi id ſibi operam non dediſſent Viri clariſſimi, refutaret ſe ipſam abundè obſcuritate & παρερμηνεια ſuà. Vacillat totum cui ſuperſtructa eſt fundamentum. Vocem רשעים pro plurali ſingularis רֶשַׁע *improbitas* habent patroni ejus, ſed nullo exemplo demonſtrare poſſunt, ſingularem רֶשַׁע unquam in totà S. Scripturà pluralem ex ſe formare. Urgent hoc argumentum præcipuè Viri modo laudati, *Vitringa* & *Opitius*. Apodicticum quidem non eſt; male enim concluderemus: hic vel ille caſus aut numerus alicujus nominis in Bibliis non exſtat, ergo eum nunquam ex ſe forma-

vit, contra omnem tamen prudentiam exegeticam, ni fallor, eſſet, cum pluralis רשעים 133 vicibus in S. Codice occurrat, & ſemper a ſingulari רָשָׁע *improbus* deſcendat, hoc ſolo loco eum a רֶשַׁע *improbitas* derivare, ut textui explicationem & obſcuram & coactam inferamus. Longè majori Interpretum parti potius adſtipulamur, quæ pro concreta vocem noſtram agnoſcit, &, ut verum ejus ſignificatum eo accuratius determinemus, rem ab ovo repetamus, & originem ejus ante omnia inveſtigemus. Thema eſt רשע, quod propriè *motu turbido jactari* denotat, oppoſitumque habet שקט *ſubſedit* Job. XXXIV: 29. ut monet immortale literaturæ Orientalis decus, cujus urnam, ut Præceptoris quondam mei, piè veneror, ALB. SCHULTENSIUM puto in *Comment. ad Job. III:* 17. & ex eo CLODIUS in *Lex. Sel.* Confert hic Arabicum رشع: fortè incuriâ typographi aut correctoris ita ſcriptum eſt, debet eſſe رثع *cupiditate vehementiori jactatus fuit*, unde رثع *improbitas*, *malitia*. Optimè; eodem enim modo Hebræi a rad. רשע *motu turbido agitatus fuit*, deducunt nomen רשע, quod *maleficum*, *homi-*

hominem exquiſitè improbum ſignificare innumeris locis probare, facile eſſet; quam convenienter? Improbi enim ſunt ſicut mare tumultuoſum, quod quieſcere non poteſt, ſed cujus aquæ coenum & lutum expellunt, judice Scripturâ *Jeſ.* LVII: 20. Pulchrè itaque, huc reſpiciens, diligentiſſimus ABEN ESRA genuinum nominis hujus ſignificatum determinaturus, ſcribit: Reſchaim: *ſunt, qui non perſiſtunt in eadem diſpoſitione, ſecundum illud:* Improbi ſunt ſicut mare tumultuoſum, in *Comment. ad Pſalm I. in initio.* *In* his acquieſco; ſufficient ad veram vocis noſtræ notionem ſtabiliendam; ſufficient ad verſionem noſtram aſſerendam, quæ illam per *maleficos* tranſtulit. Ut ut certa hæc, & extrà omnem contradictionis aleam poſita ſunt, ita tamen in ſubjecto, ad quod Propheta digitum intendit, denominando, nova iterum inter Interpretes diſcordia, novum ſententiarum divortium oritur. Sunt, qui ad milites Romanos ſepulchri Servatoris cuſtodes reſpicere eum volunt, ut *Opitius Diſſert.* ſæpius jam *citatâ*, PFEIFFERUS *Dub. vex. Cent. IV. loc.* 29. CLOPPENBURGIUS in *Enarat. Cap. LIII. Jeſ.* inſertâ *Operibus ejus Theol. Tom. I. pag.* 223. *ſeqq.* & J. G. RAPHELIUS in *Diſſert. ad h. l.* ſuprà jam laudatâ. Atque hi priorem vaticinii noſtri partem reddunt; *Et dedit* (alii *&* *ſtatuet*)

improbos ad ſepulchrum ejus. Sunt, qui tum de Judæorum primoribus, Sacerdotibus ac Phariſæis, tum de militibus Romanis, utpote hominibus improbiſſimis juxta ac nequiſſimis cogitant. Viam hanc eligit clariſſimus & per breve illud temporis ſpatium, quod Hafniæ unâ cum ipſo tranſigere mihi licuit, amiciſſimus mihi factus EBERH. DAVID HAUBER in *Meditationibus Biblicis novis ad aliquot difficiles & illuſtres S. Scripturæ locos, Meditat. I.* §. 20. 21. textum vertens: *Et dedit ſive conſtituit improbos ad ſepulchrum ejus, & divitem in mortibus ejus.* Verùm, pace Viri æſtumatiſſimi dictum eſto; verſionem hanc mecum reputans, in id præſertim, ut alia taceam, offendo, quod naturalis rerum ordo per eam turbetur, & Spiritus S. prius ſepulchri & tum demum mortis meminiſſe credatur. An, & quousque tale ὕστερον πρότερον in S. Scripturâ admittendum ſit, nunc non diſcutio. Paragraphus IX. anſam nobis ſuppeditabit rem propius examinandi. Id ſaltem largietur quilibet, eò, ſi vel ullo modo aliter poſſumus, deveniendum non eſſe. Poſſumus autem aliter in textu noſtro, ſi per רשעים *maleficos*, homines exquiſitè improbos intelligamus, non quidem latrones ſolos, inter quos Servator medius in cruce pependit, ſed in genere ſceleratos, ſeu noxios illos,

illos, qui ob delicta ſupplicio e medio tollendi, aut jam ſublati erant. Hanc itaque vocis noſtræ ſignificationem arripimus & retinemus. Paragraphus ſequens mentem ulterius exponet.

§. 6.

Siſtit ille nobis ob oculos vocem קברו. Nemo neſcit compoſitam eam eſſe ex affixo ו & nomine קבר, cujus verum ſignificatum origo ipſius ſtatim pandit. Deſcendit a rad. קבר quæ primùm *tumulare*, *in tumulum congerere* denotat, (confer Arabicum قبر & Syr. ܩܒܪ) & tùm demùm in *ſepeliendi* notionem abiit. Eſt itaque nomen קבר proprie *acervus quilibet*, ſed de *ſepulchro* poſtea plerúmque & feré ſemper in Sacris uſurpatur. Eadem ejus eſt ratio ac Latinorum *tumulus*, de quo ita SERVIUS ad *Virg. Æneid. III* 22 Tumulus *dicendo, uno hoc ſermone & collem & ſepulchrum fuiſſe ſignificat, poteſt enim tumulus & ſine ſepulchro, interpretatione collis interdum accipi, & terræ congeſtio ſuper oſſa* tumulus *dicitur* Tantum de ſignificatione vocis. Quæ hactenus diſputavimus in ſummam nunc collige, Lector, &, ſi mecum antiquitatem Judaicam in ſubſidium vocaveris, videbis, prio-

rem hanc vaticinii noſtri partem ſenſum fundere & facillimum & nervoſiſſimum. Non ſolebant Judæi, nec religio ipſorum iis permittebat, eos, qui ſupplicio interierant, inſepultos abjicere, ſed terræ ſemper mandabant. De ſuſpenſis ad lignum Legislator id diſerté præceperat. Deut. XXI: 22. 23. & populus præceptum hoc conſtanter obſervabat. vid. *Joſ.* VIII: 29. X: 26. 27. Unde JOSEPHUS de *B. J. Lib. IV. Cap.* 5. §. 2. *edit. Haverk.*: Προηλθον δε εις τοσουτον ασεβειας, ὡςε και αταφους ῥιψαι, καιτοι τοσαυτην Ιουδαιων περι τας ταφας προνοιαν ποιουμενων, ὡςε και τους εκ καταδικης ανεσταυρωμενους προ δυντος ἡλιου καθελειν τε και θαπτειν. *Eò autem impietatis proceſſerunt, ut etiam inſepultos eos abjecerint, quanquam tanta Judæis erat cura ſepulturæ, ut etiam ex damnatione cruci affixos, ante ſolis occaſum tollerent & humarent.* Non autem tales lugebant, aut magnâ cum pompâ in majorum ſepulchra inferebant. Præſtabatur iis quod Joſephus de blasphemo ſcribit, *Antiq. Lib. IV. Cap. VIII.* §. 6. Ο δε βλασφημησας Θεον καταλευσθεις κρεμασθω δι ἡμερας, και ατιμως και αφανως θαπτεσθω. *Qui autem Deo maledixerit per diem lapidatus pendeat, ac ſine honore & obſcure ſepeliatur.* conf. Joſuæ loca modo citata. Rem ulterius narrant Talmudici in *Sanhedrin* Cap. VI. m. 6. & ex iis

Mai-

Maimon in *H. Sanhedrin* Cap. XIV. §. 9. cujus verba hæc ſunt: *interfecti a domo judicii nequaquam ſepeliuntur in ſepulchris majorum ſuorum, ſed duo ſepulchreta a domo judicii ordinata ſunt pro iisdem, unum pro lapidatis & combuſtis, alterum pro decollatis atque ſtrangulatis. Atque hoc inſtitutum ex auditu, ſive per traditionem accepimus.* Jam conferamus hæc cum verbis Jeſaiæ de quibus agimus; & emerget ex iis ſenſus planus & egregius. In eo erat, ut fata Servatoris mundi decantaret. vid. *Proleg.* §. 5. Eum ut maleficum & ſceleſtum, violentâ morte periturum prædicit, *vſ.* 8. Per ſupplicium crucis illud in ſpecie futurum eſſe, ex religione patrum non ſolum noverat, ſed plus unâ vice in hoc Capite ad illud alludit. Ad ſepulturam ejus ducitur, ſtupet hic veſanam hoſtium Meſſiæ rabiem. Quem, ut maleficum latrones inter in crucem egerant, illi commune quoque, cum iis, reliquisque, qui ſupplicio e medio ſublati erant, ſepulchrum deſtinarant. Nec deſtinarunt tantùm apud animum: Videt Propheta, ſpiritu agitatus, eos, quibus cura hæc incumbebat omni niſu jam occupatos, ut cuncta pararent mortuumque Servatorem inhoneſtè ſepelirent, & quod videt, lectoribus ſuis enarraturus ait: Pararant cum maleficis ſepulchrum ejus. Quam vivè, quam perſpicuè!

§. 7.

Ad membrum ſecundum pergo. Siſtit ſe ſtatim in limine ejus particula ו. In antecedentibus de eâ jam actum eſt. Quod ad officium, reſpondet origini ſuæ, verbaque & phraſes inter ſe connectit, atque diſponit, ita ut concinna & continua oratio ex illis emergat, unde, quod ad ſenſum, varios ſignificatûs induit, omniumque ferè particularum vicarius eſt. Elegi ex iis, in explicatione oraculi noſtri, conjunctionem adverſativam, uti Grammatici loquuntur, *ſed*, ut mentem Prophetæ eo vividius & ſignificantius exprimerem. Ejus autem loco particulam noſtram ſæpiſſimè venire, periti norunt, & tirones ex *Noldii Concord. Particul.* & *Glaſſii Grammat. S.* diſcere poſſunt. Quòd ſi quis cum *Raphelio Diſſert. cit. Sect. I.* § 7. pro ſignificatione copulativâ anxiè pugnare, eamque pervicaciter *Et* vertere velit, ego facile patior. Senſus idem eſt ſi vel maximè verba reddamus: *Pararant eum maleficis ſepulchrum ipſius, & apud divitem mauſoleum ejus (fuit).* Tantum de particula Vau ו

§. 8.

§. 8.

Quæ ſequitur, præpoſitionem את hîc non moramur. Per *cum* eam rectè transferri poſſe, §. 4. abundè jam oſtenſum eſt, & nemo, niſi hoſpes in Hebraicis, negabit. Ad vocem עשר verò ut paululum ſubſiſtamus, neceſſe erit. Deſcendere eam a rad. עשר apud omnes in confeſſo eſt, *divitemque* denotare ex locis *Ruth*. III: 10. *Pſalm*. XLIX: 3. & *Proverb*. XXII: 2. patet. Quænam autem primaria verbi עשר notio ſit, inveſtigare nondum potui. *Pertinet fortaſſe*, ſcribit *Amicus quidam*, ad עשר decem, *quaſi dicas talem, qui omnes decem partes accepit, adeoque dives factus eſt, quoniam veteres pleraque in decem partes dividebant, uti ex decimis, antiquiſſimi uſûs, patet. Quemadmodum Latinis hæres ex aſſe dicitur, qui duodecim portionibus ditatus eſt. Sed hæc per conjecturam.* Quod, ſi conjecturæ conjecturam addere licet, primarium verbo עשר ſignificatum, in *cumulandi*, ſeu *congregandi* notione quærerem. Habet lingua Arabica, non modò radicem ei ſimillimam حَشَرَ, quæ *congregavit* disertè denotat, ſed & ipſum verbum عَشَرَ in Conjug. III. *conſortio junctus fuit*, Ara-

bibus eſt, atque hinc nomen مَعْشَرٌ *cœtus*, *congregatio*, *agmen*; ut adeo עשיר proprie talem, *qui pecuniam congeſſit*, ſeu *opes congregavit*, ſignificet. Elige, cui faves, Lector, & ſi quid habes melius iſtis, edoce. Sufficit nobis עשיר noſtrum, eâ, quam in verſione noſtrâ ipſi aſſignavimus, ſignificatione gaudere, divitemque denotare.

Ad explicationem ejus realem pedem cum maximè promovemus. Diverſæ iterum circa illam eruditorum exſtant ſententiæ, ſub examen paulò propius revocandæ. Miram illam *Glaſſii* & *Welleri*, qui vocem hanc, eodem modo uti רשעים, non pro concretâ, ſed abſtractâ habent, atque adeó per *divitias* reddunt, §. 5. jam confutatam dedimus. Prætereundus autem nobis non eſt cl. LAKEMACHERUS, qui in peculiari *Diſſertatione*, quâ oraculum hoc Jeſaianum ſibi illuſtrandum ſumſit, voces רשעים & עשר ſynonima, ſe invicem illuſtrantia, credit, *ſic*, *ut qui ante vocati erant impii*, *ſive improbi*, *poſteà dicantur divites*. Legitur illa in *Obſervationibus ejus Part. VIII. Obſ. V.* & in quinto illius commate hæc loci noſtri paraphraſis; *Voluit Deus ſepulchro eum condi tali*, *quale eſſe ſolet hominum impiorum*, *eorum ſcilicet*, *qui opibus abundant. Voluit inquam collocari corpus ejus in ſpeluncâ*, *monumento quodam*

 ornatâ,

ornatâ, atque divitis alicujus corpori recipiendo deſtinatâ. atque iterum § 6. *Conceſſit ei Deus ſepulchrum cum illo hominum genere, quod impium eſt ut plurimum commune: Conceſſit ei inquam monumentum cum divite, ſeu idem; quod diviti cuidam erat exſtructum.* Nec ſolus eſt qui voci עשיר *improbitatis* maculam inuſit. Jam ante ipſum id fecerunt *R. Jona*, citante eum *Sal. ben Melech* in *Miklol Jophi ad h. l.* CALVINUS *ad h. l.* & LUTHERUS in *gloſſa marginali*, ſcribens: Reicher / der ſein thun auf reichtum ſezt / das iſt ein Gottloſer. Sed ad *Lakemacherum* ejusque expoſitionem redeo. Optarem, eam Viro Eruditiſſimo, cujus manes veneror, non excidiſſe. Quo diutius enim illam meditor, eo plures, ad quos impingit, lapides offendo. Supponit, voces רשעים & עשיר ſynonyma, ſe invicem illuſtrantia, eſſe. Verum, hoc ut credam, a me jam impetrare non poſſum. Licèt enim divitiarum ſarcinæ magno mortalibus, in viâ ad ſummam felicitatem ducente, impedimento ſint, & ſub primis Chriſtianiſmi auſpiciis præcipuè multos detinebant, quò minus, relictis omnibus hujus mundi prærogativis, Chriſto nomen darent, atque ita in regnum cœlorum introirent, quò ſpectant propriè verba *Matth.* XIX: 23, 24. non tamen impietas tam perpetuus & neceſſarius earum comes eſt, ut unius idea

etiam

bibus eſt

congregati
talem, *q*
gregavit,
Lector, d
Sufficit n
verſione n
tione gaud
Ad expli
maximè p
circa illam
ſub examen
ram illam *G*
eodem modo
ſed abſtractâ
reddunt, §.
Prætereundus
MACHERUS, qu
oraculum ho
voc
em i
ati e
divit
Pari
comm
it Deus
ſolet ho
opibus e

...INGA in *Comment. ad h. l.* mul-
...erum, licet regula ipſa ſatis
...i in ſtudio exegetico uſûs ſit,
...lis מותים *mortes* in loco
...derivetur, id eſt, de quo
...ntur quidem eo Græci,
...tini, ſed, quòd ſcripto-
...exempla deſiderantur.
...iri laudati ad *Ezech.*
...s elatæ Tyro inter-
מותי ערלים תמות
...orieris per manum
...on videt, quam
...um hoc? Non
...b excellentiam,
...quæ præputiati
...obituri eſſent,
...dhibet. Nec
...co noſtro Je-
..., temporalem
...rnam fortean
...ſermonis &
...tionem injece-
...& Meſſiam etiam
...m mortuum eſſe,
...rius hæc non urgeo.
Ad

...enſive & *κρυπτικ...*? Hoc vero
...eſto ad labefactandum egregiam
...pothesin. N. B.

nem eſſe? Nonnè itaque membrum primum ſuperfluum plane eſſet? Nonnè mentem divini Vatis magis obſcuraret, quam declararet? Fecerunt hæc & alia, quo minus ſententiæ Cl. *Lakemacheri* ſubſcribere, vocesque רשעים & עשיר pro ſynonymis, unum idemque ſubjectum denotantibus, agnoſcere queam. Uſitatas potius earum notiones retineo, ſed de hoc, cum eo, plurimisque Interpretibus, conſentio, per עשיר ſuum, Prophetam digitum intendere in virum illum, quem ipſe Spiritus S. ἄνθρωπον πλούσιον nominat *Matth.* XXVII: 57. Ex implemento nobis propius innoteſcet.

§. 9.

Jam ad arcem cauſæ venio. Latet ea in voce במתיו quæ maximos cruciatûs oraculorum divinorum Antiſtitibus creavit, maximasque inter illos excitavit diſcordias. In duo agmina ſcinduntur. Plures, quam ut nomina eorum enumerare poſſim, compoſitam eam volunt ex affixo ו, nomine plurali מותים, conſtructo מותי a ſing. מות, & præfixo ב, atque adeo: *In mortibus ejus*, vel: *poſt mortes ejus*, reddunt. Sufficiat ex iis nominaſſe Cl. VITRINGAM in *Comment. ad h. l.* PFEIFFERUM *Dub. vex. loc* XXIX & EBERH. DAV. HAUBERS in *Meditat. Bibl.*

Med. I. apud quos reliquos citatos invenies. Sunt iterum, qui ב initiale pro radicali habent atque במתיו noſtrum, ex affixo ו & plurali conſtructo במתי tantùm conſtare volunt. His: *Excelſa ejus*, ſignificat. Primus, qui hanc viam calcavit, Judæorum doctiſſimus, ABEN ESRA eſt, in *Comment. ad h. l.* Secuti eum ſunt, ex Chriſtianis, OECOLAMPADIUS in *Comment ad h. l.* GOMARUS in *Annotat. ad Bibl. Belg.* ZWINGLIUS ad *h. l.* FORSTERUS in *Diction.* FORERIUS in *Bibl. Crit.* SCHINDLERUS in *Lex. Pent.* WASMUTHUS in *Diſput. Inaug. Kiloni* 1666. habitâ. DRUSIUS in *Levit. cap.* LXXX. HELVICUS in *Vind. loc. Vet. Teſt.* BYNÆUS in *Chriſto cruci affixo cap. XX.* §. 20. RIVETUS in *Comment. ad h. l.* MORUS in *Annot. ad h. l.* CHRIST. BENJAMIN OTTO in *Diſſert. de ſepulchro Chriſti cum divite Lipſiæ* 1700. ventilatâ, LAKEMACHERUS in *Obſerv. Philol. Part. VIII. Obſ. V.* & Auctor verſionis Bibliorum German. quæ ſub Tit. Myſtiſche und Prophetiſche Bibel. *Marp.* 1712. prodiit, quos omnes cito, ne ſententia, quæ במתי pro unâ voce tantùm habet, ob novitatis ſuſpicionem, diſpliceat. Quod ad ſignificationem ejus, in diverſa iterum abeunt Viri modò laudati, Per *Excelſa* quidem omnes explicant, ſed non uno modo. Ad crucem eam refert *Waſmuthus*, verbaque Prophetæ exponit:

Et

Et adſtituit (Chriſtus) *improbos* (milites) *ſepulchro ſuo*, *& divitem* (illum de Arimathiâ) *excelſis ſuis* vel *exaltationi*, i. e. cruci ſuæ. Conſentientem habet ZWINGLIUM. Reliqui omnes de ſepulchro cogitant &, quare illud *Excelſa* nominetur? duplicem rationem afferunt. Prima eſt, quoniam Veteres ſepulchra ſua in locis eminentioribus plerùmque exſtruebant. Hanc BYNÆUS affert. *loc. cit.* Altera, quòd ſepulchra ipſa in altum erigere, aut monumentis ſublimioribus ornare ſolebant. Hanc ceteri amplectuntur. Quod ad me, veſtigiis eorum, qui vocem noſtram ex affixo ו & nomine plurali מותי & præfixo ב componunt, atque adeo: *In mortibus ejus*, vel *Poſt mortes ejus*, reddunt, quo minus inſiſtam, ſequentes faciunt rationes. Et *primò* quidem in ipſo ſtatim limine offendo ad numerum pluralem מותים *mortes*. Quærunt quidem commentatores fundamentum ejus in regulâ Hermeneuticâ: *Pluralis numerus pro ſingulari quandoque ponitur*, *ad denotandam magnitudinem & excellentiam*, atque ideò, per *mortem*, *ob cruciatûs plurimos graviſſimosque præcedentes*, *quaſi multiplicem* ſive *truculentiſſimam* explicant. Faciunt id ex Judæis RASCHI & KIMCHI ad *h. l.* ex Chriſtianis GLASSIUS *Philol. S. Lib. III. Tractat. I Cap.* 2. OPITIUS *Diſſ. cit. II.* §. 25 CLARIUS in *Bibl. Critic.*

ad

ad b. l. VITRINGA in *Comment. ad b. l.* multique alii. Verum, licet regula ipſa ſatis firma & maximi in ſtudio exegetico uſûs ſit, an tamen pluralis מותים *mortes* in loco noſtro ritè ex eâ derivetur, id eſt, de quo valde dubito. Utuntur quidem eo Græci, utuntur hoc ſenſu Latini, ſed, quòd ſcriptores ſacri id faciant, exempla deſiderantur. Provocant quidem Viri laudati ad *Ezech.* XXVIII: 10. ubi Deus elatæ Tyro interminatur: מותי ערלים תמות ביד זרים: *Mortibus præputiatorum morieris per manum extraneorum.* Sed quis non videt, quam malè huc quadret exemplum hoc? Non ob magnitudinem, nec ob excellentiam, ſed ob varia mortis genera, quæ præputiati obierant, & Tyri incolæ obituri eſſent, pluralem numerum Propheta adhibet. Nec eſt, quod dicas, etiam in loco noſtro Jeſaiam ad triplex mortis genus, temporalem ſcilicet, ſpiritualem & æternam fortean reſpicere. Contextus enim ſermonis & ſepulchrum, cujus modo mentionem injecerat, contrarium ſuadent, & Meſſiam etiam ſpiritualiter, imo æternùm mortuum eſſe, quis aſſereret? (*) Acrius hæc non urgeo. Ad

(*) Quare non intenſive & κατ' ἐξοχὴν? Hoc vero non dictum eſto ad labefactandum egregiam Viri cl. hypotheſin. N. B.

Ad *ſecundum* potius argumentum pergo. A naturali verborum ordine illud deſumtum ſit. Peculiaris boni, & accurati ſcriptoris character eſt, ut eum, tàm quod ad res, quàm quod ad tempus conſtanter obſervet. Quam miſere verò turbaretur, ſi quis prius ſepulchri & poſteà demum mortis mentionem injiceret. Faceret autem hoc Propheta, ſi ſcripſiſſet: *Pararant cum impiis ſepulchrum ejus*, ſive; *Datum erat impiis ſepulchrum ejus, ſed cum divite in morte acerbiſſimâ fuit*, ſeu; *diviti poſt mortem truculentiſſimam datus eſt.* Ut ut etiam vertas, manet ſemper verborum ordo turbatus, ſi במתיו noſtrum, a ſingulari מות *mors* derives. An hoc verò a ſcriptore circumſpecto, a viro, inſtinctu divino agitato, a Jeſaia exſpectandum? Certè, ſi nullum aliud argumentum haberem, ſufficeret hoc ſolum, quo minus iis calculum adjicerem, qui vocem, quam præ manibus habemus, ex affixo ו, nomine plurali conſtructo מותי & præpoſitione ב componi ajunt, atque adeò: *In morte* vel: *poſt mortem ejus truculentiſſimam* reddunt. Facilè quidem ſemet expedit hac difficultate JOH. CLERICUS in *Comment. ad h. l.* ſcribens: *ſuſpicabar voces* קברו & במתיו *ſedes inter ſe permutaſſe, librariorum incuriâ, & ſcripſiſſe Prophetam*, ויתן את רשעים·במתיו ואת עשיר: בקברו, *quod ex ipſa hiſtoria Chriſti interpretor,*

qui

qui cum morte damnatus fuiſſet, & *in crucem ſublatus inter nocentes*, *inter quos etiam eſt mortuus*, *tamen ſepulchro Joſephi*, *viri Arimathæenſis*, *illatus eſt*; *vid. Matth.* XXVII: 57. *Sed re magis expenſâ minor viſa eſt mutatio*, *ſi interpretarer* קברו ואת עשיר *quaſi eſſet tranſpoſita tantùm copula vav*, & *legeres*: וקברו את עשיר *Et ſepulchrum ejus cum divite* Verùm, quid eſt, ſi hoc non eſt, illotis manibus ſacra tractare, & in ſanctiſſima ſummi Numinis Oracula petulanti animo ſævire? Secatur hoc modo nodus, non autem ſolvitur. Abominantur itaque criticam Viri, cætera docti, audaciam Commentatores ad unum omnes. (*) Ut verò motâ diffi-

(*) Nimis ſevere mea opinione in *Clericum* hic animadvertit Doctiſſimus IKENIUS, Collega quondam ad cætum Stephanienſem in munere Eccleſiaſtico Amiciſſimus, cujus etiamnum amore me frui gaudeo. Menda enim aliquot, quæ analogiæ fidei haud ſunt contraria, hodierno Hebræo textui ſubeſſe aliquando, quis diffitebitur? poſtquam cl. *Kennicottus* plura detexit. Certus ſum mitius de *Clerici* conjectura judicaſſet, ſi exercitatio hæc, ante tria fere luſtra exarata, ipſi nunc ſcribenda fuiſſet. Liceat hic KENNICOTTI verba Lectori proponere, qui de *Clerico* nihil ſciviſſe videtur, & aliud aliquid ad verbum ויתן habet. Ita loquitur Diſſ. ſecunda de ratione textus Hebr. V. T. p. 359,

difficultate ſe exſolvant, aliud medium, ſed non magis validum, eorum quidam arripiunt, Prophetamque formulâ dicendi, quam ὕϛερον πρότερον Græci, Judæi vero ואחר מוקדם nominant, uſum eſſe, contendunt. Sed cautè ſtatuenda eſt hyſterologia talis. Perplacet judicium Cl. Patrui ſimul & Præceptoris mei, tenerrimo affectu, etiam poſt mortem ipſius, mihi nunquam non colendi, CONR. IKENII, quod de hoc loquendi modo dicam

p. 359, 360.: *Omnem in h. l. difficultatem ortam inde repetendam judico, quod verba* קברו *&* במתיו *(pro* במותו*) inter ſe permutata ſunt. Proximo loco hic obſervari velim, primum hujus verſus verbum ob contextum antecedentium probabiliter* paſſive *vertendam eſſe. Nonne enim, cum præceſſerunt verba* oppreſſus, adflictus, abductus, ſublatus, exciſus *eſt,* ויתן *quoque reddi debeat,* poſitus, collocatus eſt. *Verti ita poſſe certum eſt: atque hic ita vertendum mihi ſumo, cum eadem ipſa vox (plane iisdem literis) recte hodie 2 Sam.* XVIII: 9. *vertatur: Et Abſalonis caput adhæſit quercui,* (ויתן, LXX *καὶ ἐκρεμάσθη*) *&* SUSPENSUS EST *inter cælum & terram. Atque ſic planiſſime mihi perſuaſum eſt, quemvis Chriſtianorum non ſine jucunditatis ſenſu admiraturum eſſe, ſi has voces, has permutatione facta, translatas audiat, uti exſpectandum erat.*

ויתן את רשעים במותו ואת עשיר קברו

Et

dicam an vitio? fert in *Diſſert. Theol. Philol.* quæ *Lugd. Batav.* 1749. prodierunt, *Diſſert. VII.* § 8.: *Licet minimè negem, nonnunquam ſcripturam, quod vel naturali ordine, vel in ſerie narrationis videtur præcedere debuiſſe, poſtponere, ſemper tamen id exiſtimo, deliberato conſilio & ſufficiente ratione fieri. Id enim certè prudentia in ſcribendo exigit, & absque eo ſi eſſet, non niſi tumultuarium aliquod* ὕϛερον πρότερον *foret, quod planè perverſis con-*

Et ſublatus fuit (ἐκρεμάσθη, SUSPENSUS FUIT) *cum impiis in ſua morte; & cum divite erat ſepulcbrum ejus. Cum præcedentis vaticinii partes de Meſſiæ cruciatibus & morte adeo evidenter agant, clariſſime horum verborum conſilium fuiſſe videtur Meſſiam deſcribere, tanquam* morti traditum *cum* HOMINIBUS IMPROBIS. *& ſepultum* (*non cum divitibus* Viris) *ſed* UNO VIRO *divite.* cl. J. H. VERSCHUIR, ſummus Litterarum Orientalium in Academia Franequerana ſtator, in *Orat. Inaug. de Interpretatione S. S. Vet. T. Grammatica, hoc noſtro ſeculo ad magnum perfectionis gradum perducta, portoque ad majorem perducenda* 1769. *p.* 50. teſtatur ſe non ſine magna voluptate legiſſe hoc *exemplum Capitalis emendationis, ex conjectura facta, prorſus egregium,* ויתן *punctis tantum mutatis, hic valet,* ſuſpenſus fuit, pr. extenſus fuit. N. B.

conceptibus anſam præbere poſſet, neque adeò in ullo ſapiente ſcriptore, nedum Sacro, & ab ipſo Spiritu in omnem veritatem ducto, ferendum eſt. Eruditè non minus quàm verè dictum profectò! Jam, quid ſentio, eloquar. Diſtinguo, ſecundùm ductum hunc, inter hyſterologiam tumultuariam, & rationalem. Prioris, quæ non aliud fundamentum, niſi præcipitantiam ſcriptoris, vel incuriam ejus, habet, quis Jeſaiam accuſaret? Poſterioris, quæ ratione ſufficiente nititur, paſſim quidem in Sacris exemplum exſtat, ſed refugium eſt, ad quod, ſi vel rima elabendi tantùm ſuperſit, in explicatione Verbi Divini minimè feſtinandum cenſeo, præcipuè ſi ratio, quarè adhibita fuerit, in promtu non ſit. Hactenus verò nullus eorum, qui in loco, ad quem cum maximè deſudamus, ὕϛερον πρότερον ſtatuunt, rationem, quantum ſcio, indicavit ſufficientem, quarè Propheta ordinem & temporis & rei inverterit, & prius ſepulchri, poſteà verò mortis demùm mentionem fecerit. Non poſſum itaque a me impetrare, ut illud admittam, præcipuè, cùm non rima, ſed totus elabendi campus nobis pateat, ſi modò vocem במתיו non a ſingulari מות *Mors* derivemus, ſed ב radicale eſſe ſtatuamus, atque adeò eam per *Excelſa*, ſeu *Monumenta* reddamus.

Quid

Quid igitur convenientius? Suadet id *tertio* attenta verborum totius pericopæ, quam explicamus, conſideratio. Duobus illa conſtat membris, in quibus diverſa unius ejusdemque perſonæ fata deſcribuntur. Quocunque igitur modo eam vertas, antitheſin agnoſcere cogeris. Agnoſcunt etiam illam Interpretum plurimi juxtà & doctiſſimi. Elegantiorem autem ſimul & efficaciorem formulam hanc eſſe, ſi non ſolùm in rebus, ſed & in verbis obſervetur, cultioris ſtyli doctores inculcant, & res ipſa loquitur. An vero regulam hanc obſervaſſet Jeſaias, ſi in priori commatis noſtri membro vocem ultimam קִבְרוֹ absque præpoſitione בְּ adhibuiſſet, poſterioris autem voci ultimæ eam addidiſſet & בְּמֹתָיו cum præpoſitione בְּ ſcripſiſſet? Nonne potius dicendum ipſi fuiſſet את רשעים בקברו ואת עשיר במתיו: *Dederunt eum*, aut *datus eſt improbis in ſepulchro ſuo, ſed diviti in morte ejus* aut *poſt mortem ejus acerbiſſimam?* Obſervavit autem eam, & ſimul eleganter non minus, quàm emphaticè ſcripſit, ſi בְּ non pro præpoſitione, ſed pro literâ radicali vocis בָּמֹתָיו habemus, & per *Excelſa* ſeu *Mauſoleum* eam explicamus. Quis igitur expoſitionem hanc, etiam hac de cauſâ, alteri non præferret?

Quod ſi vaticinium cum complemento ſuo in anteceſſum conferre licet, *quartum*

hoc, illudque graviſſimum ad ſtabiliendam noſtram ſententiam, evertendamque alteram, nobis ſuppeditat argumentum. Dives ille, de quo Propheta ſpeciatim loquitur, ſecundum omnium Interpretum mentem, Joſephus Arimathæenſis eſt, quem Evangeliſta, ad hæc Jeſaiæ verba, ſine dubio, digitum intendens, ἄνθρωπον πλούσιον diſertè nominat. *Matth.* XXVII: 57. Quomodo verò cum hoc Servator Optimus in morte ſuâ, imprimis, ſi ea a ſepulchro ipſius diſertè diſtinguatur, fuiſſe dici potuerit? non perſpicio. Omnem quidem movet lapidem, ut id commodè fieri demonſtret plur. Rever. HAUBERS loco ſupra citato, allegatque idcirco. §. 28. & 29. *Joſephum cruci adſtitiſſe, mortis Jeſu oculatum teſtem fuiſſe, Pilatum adiiſſe, ut demortuum corpus ab ipſo peteret; illud impetraſſe, atque adeò rectius eum a Propheta cum morte, quàm quidem cum ſepulturâ Chriſti conjungi.* Verùm an has ob cauſas Servator accuratè ſatis & emphaticè, *cum eo in morte fuiſſe*, dicatur, apud Lectorem judicium eſto. Illibenter quidem, quia manes Clariſſ. *Haubers* veneror, ab ipſo diſſentirem, ſed, lectis, relectisque iis, quæ §§ cit. in medium protulit, motam difficultatem ſuperare, mihique ipſi ſatisfacere, non tamen poſſum. Quæſtio non eſt: num Meſſias cum Joſepho Arimathæenſi in morte

fuiſſe,

ſuiſſe, aptè prædicari poſſit, ſi phraſis hæc ſeorſim & extra omnem orationis nexum ſpectetur. Quæritur potius: ſi in unâ eâdemque pericopâ ſepulchri & mortis Servatoris ſimul mentio injiciatur, num in tali caſu, in ſepulchro cum nebulonibus, in morte verò cum Joſepho Arimathæenſi fuiſſe dici poſſit? Quis autem hoc aſſereret?

Conſideremus tantùm, Chriſtum in cruce, latrones inter pendentem, animam dediſſe; Conſideremus, Joſephum, veſpera demùm, ad Jeſum veniſſe, demortuum ejus corpus cruce liberatum, byſſoque involutum, ſepulchro, quod ſibi in horto erat, intuliſſe, atque hoc modo funeri ipſius operam dediſſe. Quis hominum intelligeret, ſi hæc narraturus, ſcriberem: Sepulchrum Chriſti ſceleratis traditum eſt, in morte verò cum Joſepho fuit? Nonne potius, in morte cum improbis, in ſepulchro verò cum Joſepho fuiſſe, dicendus eſſet? Faciunt hæc & alia, quæ, ut tempori & chartæ parcam, taceo, quominus ſententiæ eorum calculum adjiciam, qui במתים noſtrum ex nomine & præfixo ב componi, atque adeò de *morte Servatoris acerbiſſimâ* Prophetam loqui autumant. Supereſt, ut alteram, quam & meam feci, nunc propius adſtruam, & vocem noſtram ב illud initiale, inter radicales ſuas jure numerare, atque adeò per *Mauſo-*

leum rectiſſimè verti, demonſtrem. Quod, ut eo felicius procedat, quædam de *formâ*, quædam de *ſignificatu* ejus monenda erunt.

§. 10.

Quod ad *formam*; offendimus in ſacris duo vocabula noſtro in plerisque ſimilia. Alterum eſt בָּמֳתֵי quod occurrit *Job.* IX: 8. *Jeſ.* XIV: 15. *Amoſ.* IV: 13. &c., alterum בָּמוֹתֵי quod legitur *Deut.* XXXII: 13. *Jeſ.* LVIII: 14. *Mich.* I: 3. &c., Ambo autem a Grammaticis ut planè anomala conſiderantur. Prius explicaturus *R. Salomo ben Melech* in *Michol Jophi p.* 91. idcirco ait: בא בשני סימני הרבוי ברבוי הזכרים וברבוי הנקבות ושרשו בום: *Venit in duobus numeris pluralibus, in plurali maſculino & in plurali feminino, atque radix ejus eſt* בום. Premit veſtigia ejus BUXTORFIUS *Grammat. cap.* 8. *in fine*, dicens: *Aliquando forma maſculina & feminina in unâ voce concurrunt*, ut בָּמוֹתֵי. *Excelſa* Deut. XXXII: 13 &c. Conſentientem, ex parte ſaltem, habent SCHULTENSIUM, *Grammat. Hebr. p.* 174. *In dialecto Arabum reperio*, ſcribit ibi Vir Clariſſ. *nonnunquam pluralia exiſtere pluralium. Idem apud*

He-

Hebræos aliquando factum. Terminatio maſculina pluralis ad fœmininam pluralem acceſſiſſe videtur in רָאשׁוֹתַי *pro* רַאֲשׁוֹתִים *Cervicalia,* & בָּמֳתֵי *ex* בָּמוֹתִים *Celſa* Job. IX: 8. *&c, a ſing. fœmin.* בָּמָה, *ſed & hic* בָּמוֹת *ſingulare* pro בָּמוֹת *non careret fundamento. &c.*

Priora verba Viro in literaturâ Orientali verſatiſſimo excidiſſe miror, poſtremis gaudeo. Dicam quod res eſt. Non facile adducar, ut credam, linguam tam ritè ac Hebræa, adornatam, tantis laborare nævis, ut plurales numeri iterum alios plurales & quidem diverſi generis ex ſe gignere debeant. Lepidis potius Grammaticorum figmentis accenſeo inventum hoc, ad regulas facile reducendis, ſi modo juſtè ponderentur. Exemplo ſit noſtrum במותיו. Contra regulam eſſet, ſi cum turbâ contradicentium a radice בום derivaremus; Immobilis enim tunc fuiſſet vocalis Kametz ſub literâ ב, nec in Scheva abire potuiſſet, quoniam quieſcentem ו compenſaſſet. Notius autem nihil eſt, quàm duplex verbum ejusdem aut cognati ſignificatûs, quorum alterum mediam Vau, alterum tertiam He habebat, Hebræis, vigente adhuc ipſorum linguâ, in uſu fuiſſe. Probant id radices בון & בזה,

רוץ

רוך & רכה, שח & שחה & ſimiles. Quid igitur impedit, quominus idem de בום & במה ſtatuamus, & de priori nomina בָּמֶת in plurali בָּמְתֵי & בָּמוֹת in plurali בָּמוֹתֵי pro בָּמוֹתֵי, de poſteriori vero בָּמוֹת, quod facit in plurali בְּמוֹתֵי, cum ſchevate ſub ב, eodem modo, uti ab אָחוֹת, אָחוֹת a חָמָה, חָמוֹת &c. deſcendere credamus, præcipuè cùm neutrum horum verborum, in reliquiis linguæ, quas Sacræ nobis paginæ cum maximè aſſervant, inveniatur? Evitamus hac viâ objectionem, quam *Opitius Diſſert. cit. II.* §. 19. & cum eo alii, ex ſchevate ſub primâ vocis noſtræ literâ faciunt, cujus loco Kametz, uti quidem putant, inveniri deberet, ſi litera hæc non ſervilis, ſed radicalis eſſet. Nec opus eſt cum *Aben Eſra* in *Comment. ad h. l.* duas unius ejusdemque nominis formas fingere, atque exempli loco סְרִיסֵי *Gen.* XL: 7. & סָרִיסֵי *Eſth.* II: 21. allegare, multo minus cum FORERIO, *puncta a Rabbinis ad ſenſum ſuum in hac voce adpoſita*, ſtatuere. Sponte omnia fluunt, ſi במתיו noſtrum non a בום ſed a במה derivamus.

Eo-

Eodem enim modo uti אֲחוֹת ab אָחוֹת facit אֲחוֹתִים, עֲבוֹת a עָבָה facit עֲבוֹתִים, format etiam בָּמוֹת a בָּמָה ex ſe בָּמוֹתִים & cum ſuffixo בָּמוֹתָיו. Quid regularius?

§. 11.

Ad ſignificatum propero, & quam primum veram & nativam thematis noſtri notionem indagare incipio, pandit ſeſe ſtatim idea *altitudinis*, *proceritatis*, *ſublimitatis*. Prodit eam tota propaginum ejus familia, quarum veſtigia tum in reliquis linguis Orientalibus & cognatis, tum in ipſo Sacro Codice offendimus. Cieo eum in finem cum maximè Perſarum بوم *tectum*, Syrorum ܒܐܡܐ *tribunal*, Rabbinorum בימה *ſuggeſtus*, Græcorum βωμὸς *collis*, itemque *altare*, βῆμα *thronus* ſive *ſella elevata*, & forte non immerito, ulterioris ſubſidii gratia, Germanorum boom / baum / baumen, &c. de quibus fuſius CASSELIUS noſter in *Obſervationibus de variis Elephanti denominationibus*, inſertis *Symbolis Litterariis Tom. I. Part. I.* Addo ex SCHINDLERO Arabum بومة cujus tamen radicem me nullibi reperiſſe fateri cogor cum KROMAYERO de *Uſu*

Uſu Ling. Arab. Lib. II. Cap. IX. p. 122. Et in Sacris ſi invenimus, quod *montes* ornatè non minus, quam ſignificanter, במותי ארץ *ſublimitates terræ* Deut. XXXII: 13. Jeſ. LVIII: 14. Mich. I: 3. nominentur; & *fluctus maris*, deductâ a montibus metaphorâ, במתי ים *ſublimitates maris* audiant *Job.* IX: 8. novum nobis exempla hæc, pro eâ, quam radici בום & במה aſſignavi, *proceritatis*, *altitudinis*, *ſublimitatis*, notione argumentum ſuppeditant. Atque inde eſt, quòd ædificium quodcunque in altum evectum, aut in loco excelſiori ædificatum, nomine במה non immeritò inſigniatur. De altari legitur 1 Reg. III: 4. Jerem. XLVIII: 25. Ezech. XVI: 16. quoniam aræ antiquitûs non ſolùm in locis eminentioribus exſtrui, ſed & ipſæ in ſublimè evehi ſolebant, atque idcirco Latinis etiam *altaria* ab *altus* & *arâ* dicantur. Imo, quod in rem noſtram maximè conducit, exſtat locus, in quo de ſepulchro honoratiori, ſepulchro nimirum regum diſertè uſurpatur. Legitur ille *Ezech.* XLIII: 7.: ולא יטמאו עוד בית ישראל שם קדשי המה ומלכיהם בזנותם ובפגרי מלכיהם במותם: Rectius ſaltem ibi vocem במותם cum *Chaldæo*, *Abarbanele*, *Kimchi*, *Salomone ben Melech*, aliisque

que per *ſepulchra*, quàm cum aliis per *Delubra*, aut, per *mortes eorum* explicamus, cum פגרי *cadaveribus* jungatur, nec ſchevate ſed Kametz notetur, & ratio, quare *ſepulchra* במותי appellentur, in promptu ſit? Quid enim notius, quàm quod Veteres Orientis populi, interque illos Judæi præcipuè, honoratioribus ſplendidiſſima & in altum longè evecta ſepulchra erigere ſoliti fuerint? Teſtantur id decantatæ apud Ægyptios Pyramides, de quibus HORATIUS Lib. III. Od. 30.

Exegi monumentum ære perennius
Regalique ſitu Pyramidum altius;

Teſtantur exempla in ſacris paſſim occurrentia, & fuſius morem hunc exponunt, multisque auctorum teſtimoniis comprobant LE MOYNE in *Var. Sacris p. 516. & ſeqq.* SALMASIUS *ad Solinum p.* 1208. GEIERUS de *Luctu Hebr cap. XII.* MULLERUS de *Sepulchris Hebr. Vet.* NICOLAI de *Sepulchris Hebr. Lib. IV.* HOTTINGERUS de *Cippis Hebr.* & M. C. T. ARNOLDI in Diſp. *de Sepulchris Hebræorum, Witteb.* 1695. habita, ad quos Lectores ablego Quæ diſputata hactenus ſunt, jam in ſummam colligamus. Minus convenienter vox, quam cum maximè illuſtramus, *In morte* ſeu *poſt mortem* in loco noſtro

noſtro redditur (§. IX.) Uſitatiſſimus intereà, imo nativus illius ſignificatus eſt, ut ædificium quodcunque excelſius denotet, uti ex exemplis modò allatis patet; imo de monumento ſepulchrali ſpeciatim legitur *Ezech.* XLIII: 7. Atque hæc ſignificatio, ob rationes (§. IX.) allegatas, & diſertam inter קברו & במותיו oppoſitionem, in explicatione textûs noſtri aliis præferenda eſt. Meritò itaque eam elegi, cumque a ſplendidiſſimo illo monumento, quod Arteміſia quondam Mauſolo ſuo erexit, ſepulchra quævis pretioſiora Mauſolea Latinis dicantur, במותיו noſtrum, non aptius quam *Mauſoleum* verti poſſe, judicavi. Quæ *Raphelius* objicit, in *Diſſert. cit. Sect. I.* §. 6. ſcribens: *Et unde eſt pluralis numerus, qui ſuffixo pluralis numeri indicatur* במתיו Excelſa ſua? *Num plura Chriſtus habuit ſepulchra uno?* &c. refutari vix merentur. Hebræos enim loco ſingularis, pluralem numerum ſæpiſſimè adhibere, quando præſtantiam & excellentiam rei exprimere volunt, non ſolùm periti norunt, & tirones ex GLASSII *Grammat. S. Lib. III. tractat. I. can.* 24. diſcere poſſunt, ſed & contrariæ ſententiæ patroni, dum במותיו per *mortem ſuam* truculentiſſimam exponunt, ipſimet confiteri coguntur. Quid igitur impedit, quo minus Jeſaiam genium

&

& gentis & linguæ ſuæ, etiam hac in formulâ imitari ſtatuamus, præcipuè cùm illum, perquàm meditatè id egiſſe, in ſequentibus videbimus.

§. 12.

Supereſt ellipſis, quam verbis Prophetæ ſubeſſe interpretes ad unum omnes agnoſcunt, ſed non uno modo ſupplent. Sunt, qui verbum נתן quod in fronte commatis noſtri legitur, repetendum, totamque pericopam, ſi complere eam velles, exhibendam cenſent: ויתן את רשעים קברו ואת עשיר במתיו נתן: Et aſſenſum iis eo minus denegarem, quo plura talis ellipſeos in Sacris exempla exſtant, niſi objiciat RAPHELIUS *Diſſert.* ſæpius jam laudatâ *Sect. I. §. 6. Primò duplex ſtatuitur unius ejuſdemque prædicati ſubjectum; Verbum* נתן *eſt prædicatum; Quando conſtruitur cum* את רשעים קברו *ſubjectum populus tam Judaicus quam gentilis eſt ſubintelligendum. Qui imperſonaliter verbum* נתן *exponunt, eodem redeunt. Quando verò conſtruitur cum* את עשיר במתיו *eſt ſubintelligendum, Deus.* & paucis interjectis: *Quarto, verbo* נתן *tribuitur quoque duplex ſignificatus. Denotare enim ſimul deberet & futurum ponendum &*

præteritum poſitus &c. Quæ autem, ut evitem, omiſſum potius a Prophetâ verbum היה, poſterioremque commatis noſtri partem, SED CUM DIVITE MAUSOLEUM EJUS FUIT, reddendam cenſui. Nec neceſſe erit, conquiſitis anxiè multis teſtimoniis probare, Scriptoribus Sacris nihil frequentius eſſe, quàm, ut verbum ſubſtantivum reticeant. Otium mihi hac in parte fecit GLASSIUS *Lib. III. Tractat. III. Can.* 56.

§. 13.

Ex his itaque perſpicies B. L. eum, quem vaticinio noſtro aſſignavimus ſenſum, genuinæ vocum in eo occurentium ſignificationi exactiſſimè convenire, neque non ſine ratione aliis præferri, qui vel alieni, vel mutili, vel coacti ſunt & textui potius inferuntur, quàm ex eo efferuntur. Ad ſecundum itaque, quod pro ſtatuminandâ explicatione meâ §. 6to. Prologi allegavi, argumentum pergo.

A R G. I I.

Conſiderandus in explicatione dicti alicujus, ante omnia eſt nexus, in quo cum antecedentibus & conſequentibus invenitur.

nitur. Hoc enim neglecto nulla eſt hypotheſis tam incerta, tam falſa, tam impia, quæ non ex verbis ſcriptoris extorqueri poſſit. In ſubſidium autem vocatus, graviſſimum pro veritate interpretationis alicujus argumentum eſt. Comparemus itaque dictum noſtrum cum iis, quæ præcedunt & ſequuntur, & apparebit, ſenſum, quem illi aſſignavimus, cum utrisque non ſolum amiciſſimè conſpirare, ſed naturali imo neceſſario vinculo cum iis cohærere. De morte Servatoris Divinus vates modo egerat, ut violentam eam deſcripſerat, ut culpâ alienâ ipſi illatam vindicaverat, *Exciſus eſt ex terrâ viventium*, ſed *propter defectionem populi mei plaga ipſi* obvenit, narraverat *vſ.* 8. Morti ſubjungit ſepulturam, & quæ de eâ ipſi revelata erant, indicat *vſ.* noſtro. *Pararant* hoſtes *ſepulchrum ipſius cum maleficis, ſed cum divite mauſoleum ejus* fuit. Quam compoſitè! Sed quænam erat cauſa mutatæ tam ſubitò ſcenæ hujus? Latebat ea in Sanctitate & perfectâ Chriſti juſtitiâ. Integer vitæ ſceleriſque purus fuerat, idcirco, cùm paſſiones, quas populi cauſa ſubierat, morte jam obſignaverat; cùm negotium redemtionis in terris conſummaverat; cum ſummo Judici exactiſſimè ſatisfecerat; Deus permittere nec poterat, nec volebat, ut in demor-

tuum ejus corpus adhuc amplius ſæviretur. Debebat caro Sancti hujus ſecurè quieſcere. *Pſ.* XVI: 9. Falſitas in ore ejus haud reperta erat, ſed, quem ſe profeſſus erat, filius Dei & promiſſus Meſſias erat, idcirco Dives ille, ad quem Scriptor S. digitum intendit, eum in Mauſoleum ſuum recipiebat. Rebellionis falſò accuſatus erat, idcirco Judex terreſtris hoc permittebat. Hic, ſi quid video, plenus commatis noſtri ſenſus, hoc præcipuum illius argumentum eſt, quod ut Propheta explanaret, ait: *Pararant cum maleficis ſepulchrum illius, ſed cum divite Mauſoleum ejus* fuit, *eo quòd nullam violentiam feciſſet, nec dolus in ore ejus fuerit.* Quæ cohærent iterum aptius, quàm quidem enunciata hæc? Mentiatur itaque infenſiſſimus Chriſtiani nominis hoſtis *R. Lipmann*, quando in libro, cui titulum *Nizzachon* precario tribuit. p. 124. ſcribit: *Hoc eſt ſecundùm conſuetudinem eorum* (Chriſtianorum) *ut unicam arripiant literam, non conſiderantes, quæ antecedunt, & quæ ſequuntur.* Nobis ſaltem in explicatione loci noſtri illud non imputet; antequam enim noſtram de eo ſententiam ſtatuminandam ſumſimus, nexum ejus cum præcedentibus & ſequentibus ante omnia examinavimus, ipſumque illi, quem verbis aſſignavimus, ſenſui non ſolùm favere,

re, ſed & eum poſtulare, comperti ſumus.

ARG. III.

Quod ſi vaticinium, quod hactenus tractavimus obſcuritate quâdam propheticâ alicui laborare adhuc videatur, evaneſcet ut ſpero omnis nebula, ſi denique hiſtoriam in ſubſidium vocamus. Quæ, quid utilitatis in explicandis Prophetarum eloquiis habeat, eleganter docet Vir in hoc ſtudio verſatiſſimus CAMP. VITRINGA in *Typo doctrinæ proph. p.* 204. ſcribens: *Prophetia eſt narratio rerum gerendarum; hiſtoria geſtarum. Illa prænunciat quid futurum ſit; hæc demonſtrat quid factum ſit Nemo itaque non perſpicit, has res ita eſſe comparatas, ut hiſtoria quidem recte conſiſtat absque prophetiâ; ſed non perinde prophetia absque hiſtoriâ, cujus veritatis demonſtratio perfecta non eſt, absque ſubſidio hiſtoriæ, imo nulla eſt, ſi fallat eventus. Quare ſi veteres rectè dixerint hiſtoriam eſſe lumen temporum; rectè quoque ego dixerim, eſſe lumen prophetiarum.* Conferamus igitur, quæ hiſtoria N. T. de Domino noſtro Jeſu Chriſto notabilique vitæ ejus exitu, tradit, cum vaticinio noſtro, & talpâ cœcior ſit, oportet, qui non videt, ne verbum in eo prædici, quod ad unguem uſque non adim-

pletum ſit. Peccatum non commiſerat Optimus Servator, nec dolus in ore ejus inventus erat. 1 *Petr.* II: 22. Maleficis tamen annumerabatur & latrones inter in crucem rapiebatur. Excidebatur ita ex terrâ viventium non quidem ob propriam culpam, ſed juſtus pro injuſtis, ut nos ad Deum adduceret. 1 *Petr.* III: 18. Et, quam poſtea fortunam ex more ſubiturus fuiſſet, ex §. 6. diſcimus. Flagitabat Judæorum religio, ne mortuorum cadavera inſepulta abjicerent, ſed terræ condita mandarent; Nec ſupplicio interemtos inhumatos relinquebant. Habebant eum in finem duo ſepulcreta, alterum pro lapidatis & combuſtis, alterum pro decollatis & ſtrangulatis; In horum unum etiam cruci ſuffixos inferebant. Apertum illud jam erat, atque eo majorem curam gerebant, ut præter latrones etiam Servator eo conderetur, quo majus inſtans feſtum erat. Rogabant itaque Pilatum, ut fractis cruribus tollerentur, accedebantque juſſu Procuratoris hujus, quibus negotium hoc incumbebat, milites Romani, jamjam ad cruces, ut illud peragerent. *Joh.* XIX: 31. ſeqq. Sed quàm mirè ludit in humanis divina potentia rebus? Videbant, quod jam mortuus ſit, propoſitoque deſiſtebant. *Veniebat* interim *Vir dives Arimathæenſis*, *Joſephus nomine*,

mine, qui & ipſe diſcipulus Jeſu fuerat, petebatque corpus Jeſu; Et præcipiebat Pilatus ut daretur ei. Accepit igitur Joſephus corpus, involvit illud ſindone purâ, poſuitque in monumento ſuo novo, quod exciderat in petrâ, & advoluto ſaxo magno, ad oſtium monumenti, abiit. Hæc *Matthæus* XXVII: 57—60. & quàm ſcitè illuſtrant dicam, an corroborant, vaticinium noſtrum? Docent nos quis ſit DIVES ILLE, ad quem Propheta reſpicit, *Joſephus* nimirum *Arimathæenſis*; Siſtunt nobis MAUSOLEUM, de quo Jeſaias canit, monumentum nempe e petrâ exciſum, quod Joſephus in horto ſuo ſibi paravi curaverat, addente hoc *Johanne* XIX: 41. Licet enim, quicquid etiam obloquantur HUETIUS in *Demonſtr. Evangel. Prop. IX. Cap.* 142. §. 4 & RABENERUS in *Amoenitat. Hiſtor. Philol. p.* 92. *ſeq.* illud, quod cum maximè in Palæſtinâ oſtenditur & a JOH. ANDR SCHMIDIO, E. POCOKIO, COTOVICIO, DAPPERO, QUARESMIO, aliiſque in effigie exhibetur, nil minus, quam priſcum & verum Servatoris ſepulchrum ſit, ut præter modo dictum *Schmidium*, aut potius THEOD. BOLLMANN in *Diſſert. de Tumbâ Servatoris*, ſub præſidio *Schmidii* habitâ, multis commonſtrant CARL. ORTLOB & GODF. THILO in *Diſſert. de ſepulchro Chriſti*, inſertis *Theſauro Theol. Philol. P. II.*; probant

tamen & nomen μνημεῖον, quo Evangeliſtæ ad unum omnes, ſepulchrum Chriſti deſignant, & Vir dives, Senatoriâque apud Judæos dignitate pollens, ad quem pertinebat, & locus in quo paratum erat, & ſpatium ejus, quod tam amplum, ut plures ſimul ingredi potuerint. *Marc.* XVI: 5. non inhoneſtum illud nec vulgare, ſed ſplendidum & Domino ſuo dignum monumentum fuiſſe, Jeſaiamque noſtrum non adeò Prophetam, quàm Evangeliſtam agere, quando admirandam circa ſepulturam Meſſiæ Summi Numinis curam decantaturus, ait. PARARANT CUM MALEFICIS SEPULCHRUM IPSIUS, SED CUM DIVITE MAUSOLEUM EJUS (fuit).

II.

II.

JO. MEDHURST,

S. S. Th. D. & V. D. M.

CONJECTURA

De verbis Vaticinii Jacobi

GENES. XLIX: 10.

§. 1.

Quicunque verba hæc ſine præconcepta inſpexit opinione, & attenta mente ponderavit, quæ ad illorum illuſtrationem ab eruditiſſimis inventa, & dicta ſunt interpretibus, haud negabit non paucas adhuc ſupereſſe difficultates, quæ illa te-

 nebras

nebrarum inſtar obſcurant. Haud mirandum eſſe puto, mentem Patriarchæ Iſraëlis in phraſi illà מבין רגליו linguis Europæ inſolita, & bis tantummodo in S. S. occurrente, aſſecutos non eſſe, qui omni linguarum Hebrææ affinium auxilio deſtituti, nihil præſtare aliud poterant, niſi ut ex reliquis vaticinii partibus conjecturam facerent: Mirum autem hoc mihi viſum eſt vel ipſos viros illos eruditiſſimos, qui in dialectis linguarum Orientis haud parum verſati ſunt, lumine ſuo minus recte uſos eſſe. Operæ pretium igitur eſt omni ſtudio & opera perſcrutari, quid ſignent verba illa, imprimis cum in vaticinio de Conciliatore noſtro maximi ponderis occurrant. Fecimus illud, ſed ultra conjecturam de virtute verborum dictorum progredi non licuit; quæ tamen ita comparata eſt, ut iis, qui difficiliora S. S. loca illuſtraturi, veris ex fontibus hauriunt, anſam præbere poſſit, ulterius in illa inquirendi, quæ ad certiorem nos veræ ſententiæ cognitionem perducere queant.

§. 2.

1 Quo autem ſuſpicionem a nobis propulſemus, novitatis nos ſtudio duci, ante omnia erit oſtendendum, quænam dubia

nobis

nobis contra notas eruditorum de phraſi illa ſententias mota ſint. Et quidem nemini incognitum eſt communiorem hujus loquendi formulæ explicationem hanc eſſe, quod ſignificet legislatorem, de quo propheta agit, ex tribu Judæ natum eſſe. Qui ita ſentiunt, allegant *Deuteron*. XXVIII: 57: ubi eadem phraſis ſimile quid ſonare exiſtimatur. Sed locus hicce, qui ad illuſtranda morientis Iſraëlis verba electus eſt, hiſce longe eſt obſcurior, & eget alieno lumine, quo recte intelligatur. Poſtea dabitur nobis de illo agendi occaſio; nunc tantummodo notamus hæc verba: היוצת מבין רגליה minus commode de illo accipi, quod partu edidit mulier. Ne dicam היוצת actionem ſæpius repetendam ſignare; notandum eſt illam היוצת a filiis, ac filiabus dictæ mulieris diſtingui, de quibus tamen imprimis dicendum fuiſſet, quod exiverint מבין רגליה, ſi verba hæcce partum ſignificarent. Et illi היוצת filii tribuuntur, ex quo manifeſtum eſt eam ſonare non poſſe *ſecundinam*, de qua heic loci eruditiſſimi interpretes cogitaverunt. Hæc igitur nullo, niſi arenoſo nititur fundamento interpretatio, eoque incommodo premitur, quod illa vati vatici-

nium

nium tribuat, cujus veritas ex hiſtoria populi Judaici non poteſt demonſtrari.

Eſſe inter defenſores communioris ſententiæ, qui pervulgatam illam explicationem argumento ex lingua Arabica petito illuſtrare & confirmare ſategerit, celeberrimus ERNESTI in *Bibliotheca theolog.* loco mox citando notavit: Sed cum ſcripta huc pertinentia nobis inſpicere non liceat, monendum tantummodo, verba vatis ob rationem modo allatam haud admittere, ut Judam tribum tanquam matrem, cujus inter pedes exiverit legislator, conſideremus; ſcil. illos inter, qui legislatoris titulo ſuperbiebant, & tales fuere, qui ab aliis præter Judam, Patriarchis genus ducebant. Si vero ſententiæ alicui aliquid ponderis addat, quod illa ex lingua Arabica poſſit illuſtrari, quod haud negamus, nos illi quoque, quam fovemus, ſententiæ ſubſidium ex lingua illa polliceri poſſumus; & quidem eo veriſimilior ac probabilior noſtra erit interpretatio, quod illa ex uſu vocum illarum in Arabum dialecto hauſta eſt. Celeberrimus KRAFTIUS, relicta illa plurium ſententia, aliam excogitavit. Exiſtimat enim Iſraelem vaticinatum eſſe, Judam, principem atque legislatorem, leonis inſtar fœtum inter pedes protegentis, tuiturum eſſe. Hanc ſuam hoc argumento confirmat

firmat opinionem, quod tribus illa commate præcedente leonis imagine repræſentata ſit. At vero minus commoda videtur eſſe imago leonis ad depingendum gentem aliquam, ut protegentem principem ſuum ac legislatorem, cum gentis haud ſit, principem aut alium defendere magiſtratum, ſed potius Regi, aut Legislatori tribuendum ſit, quod ſit populi præſidium. Et licet illud aliquo modo dici poſſet, nunquam tamen gens eſt ratione principis, inſtar leonis recubantis, & inter pedes ſervantis catulos, cum hæc imago in Regem potius & Legislatorem quadret. Accedit Judam tribum, Chriſto in mundum veniente, tantis opibus haud valuiſſe, ut leoni ſimilis fuerit, cui nemo prædam aut catulos eripere auſus ſit, cum Judæorum tunc temporis populus Romanorum imperio ſubjectus esſet, & majeſtatem, viresque leonis dudum amiſiſſet. Minus igitur apta fuiſſet allegoria, quam laudatus KRAFTIUS verbis vaticinii illius aſſignavit.

Celeberrimus ERNESTI, poſtquam recenſuiſſet, quæ vir ille doctiſſimus ad illuſtrationem dicti vaticinii ſcripſit, quod *Bibl. Theol.* V. 1. *part.* 9. *p.* 788. ſeq. factum, aliam, & quidem probabiliorem ſubjunxit ſententiam. Scil. exiſtimat *e medio pedum ejus*, eſſe a Juda. Hanc dicendi rationem

putat

putat eſſe idiotismum Hebræis haud inuſitatum, juxta quem partem corporis pro perſona ponant. Sed haud ſcio quid reſpondendum eſſet, ſi quis diceret legislatorem a ſceptro eſſe diſtinguendum, & diverſas phraſes in eodem ſermone haud idem quoad omnia ſignificare poſſe. Sed haud opus eſt hæc urgere; vir præſtantiſſimus alio modo dubiam illam dicendi rationem in *Opuſculis* interpretatus eſt. In utiliſſima *de Difficultate Interpretationis Gramat. Novi Teſtamenti, diſſertatione* §. XXII. comparare nos jubet illud סור מבין רגלים cum illo, quo Græci frequenter utuntur, εκ ποδων γεγονεναι. *Quid eſſet*, inquit, סור מבין רגלים *planiſſime intelligi, ſi cum græcorum* εκ ποδων γεγονεναι *vel* απειναι, *de cujus ſenſu nemo dubitat, & cum Latinorum e medio diſcedere, comparetur, alio loco (de veſtigiis Hebr. linguæ in lingua Græca) docui*. Antea docuerat vir egregius paucos in interpretando V. T. feliciter verſatos eſſe, quod plerique *non modo dialectos linguæ Hebr. ceteras vel neglexerint, vel admodum leviter attigerint, ſed etiam literas Græcas & Latinas*. Ratio eſt: *Nam hi toti e Lexicis ſuis pendent, & Hebraica, inde ſcil. intellecta, cum vernacula comparant, & hinc mirificas interpretationes, emphaſes maxime eruunt*. Hocce nemo facile

nega-

negaverit, niſi cui plane incognitum ſit, quidnam Interpretatio S. S. exigat; Et quidem rectius fecerit, qui expers eſt litterarum Græcarum ac Latinarum, ſi peritioribus relinquat munus explicandi libros illos Sacros, quos parum intelligit. At veró haud negari poteſt, & omnium minime inficias iverit cl. ERNESTI, faciliorem & probabiliorem eſſe difficiliorum locorum interpretationem, ſi phraſes Hebrææ cum ſimilibus, quæ in dialectis illius linguæ occurrunt, comparentur, & imprimis ſi ſingula verba, phraſin obſcuram conſtituentia, in dialectis ita occurrant ut de eorum ſenſu vix poſſit dubitari.

§. 3.

Cum hac ratione verba Jacobi illuſtranturi ſimus, haud opus erit plurium allegare, & refutare ſententias; & loco ſuo relinquimus, quæ clariſſimus TELLER in medium protulit ad elucidandam hanc materiam, imprimis cum ab aliis jam ſint examinata. Vid. ERNESTI *Bibl. Theol.* V. 9. *P*. 2. *p*. 184. Cum autem eandem nobiſcum viam ingreſſus ſit celeberrimus VRIEMOET in *Annotat. ad dicta claſſica* V. T. 2. p. 35. ponderanda ſunt, quæ Vir ille doctiſſimus ad illam dicendi rationem notavit: Et hoc eo magis

magis neceſſarium eſſe videtur, quod interpretatio, quæ ex lingua Arabica hauſta eſt, majorem præ ſe fert veritatis ſpeciem. Vir celeberrimus autem phraſin מבין רגלים æquipollere exiſtimat illi, quæ apud Arabes frequens eſt, qua dicitur aliquid بين يدين *inter manus* eſſe, quod præſens eſt alicui. Elucidata hac phraſi, addit ille, & noſtrum בין רגלים *inter pedes* in *Alcorano Sur*. LX. *v*. 12. adinveniri, & *id quod præſto eſt* ſignificare. Fatendum eſt ipſum hunc locum cum eum in *Alcorano* legeremus, anſam nobis imprimis præbuiſſe, verba Jacobi de legislatore ante adventum Meſſiæ non ceſſaturo, accuratius inſpiciendi & ponderandi. Licet autem negandum eſſe non putem illa, quæ in *Alcorano* loco citato occurrunt, illuſtrandis Iſraëlis verbis apta nata eſſe, haud tamen idem ſentio cum viro celeberrimo, ratione virtutis, quæ verbis *Alcorani* eſt aſſignanda. Verba, ut illa exhibuit, & latine reddidit laudatus VRIEMOET, ita ſe habent: لا ببهتان يفترينه بين ايديهن وارجلهن *Absque mendacio, quod fingant, inter manus, & inter pedes*. Qui hæcce, ut heic loci poſita, aut in latinum ſermonem tranſlata ſunt, conſiderat, haud facili augurabitur

con-

conjectura, quo pacto vaticinium Iſraëlis aliquam ex iis lucem fœnerari poſſit. Quid enim eſt *mendacium fingere inter manus, & pedes?* Num ENNIUM, vel CICERONEM, vel A. GELLIUM, aliumve eruditorum inter Romanos id intelligere, & interpretari potuiſſe exiſtimandum eſt? An forſitan verba hæcce ſignificant præſentem mendacii confictionem? Quis autem ita loquatur, ut dicat de ejusmodi confictione, quod præſentis illa ſit temporis? Namque dum quis mendacium fingit, id ſemper tempore facit præſenti. Et ſi dicendum, quod res eſt, laudatus vir præſtantiſſimus obſcuriuſcule locutus eſt, dum docere voluit qua ratione verba *Alcorani* vaticinio Jacobi explanando conducere poſſint. *Ipſum noſtrum*, inquit, בין רגלים *quod inter pedes, de eo quod præſto eſt* —— habes in *Alcorano*: Et ſic allegatis *Alcorani* verbis adjungit ſequentia: *Sic itaque inquiet hic Patriarcha moriturus: Non recedet poteſtas domini* שבט *a tribu Juda; neque legiſlatoria auctoritas* ומחוקק *de medio natorum e ſtirpe Juda.* An hiſce ſimilia ſunt in verbis MOHAMMEDIS? Num perſonatus hicce propheta indigitare voluit mendacium in medio natorum mulieris alicujus?

§. 4.

Si recte judicare velimus de mente MOHAMMEDIS, ante omnia ſciendum eſt, quænam ſignificatio ſit phraſium, quibus dicitur quid *eſſe* vel fieri *inter manus, ac pedes*; & dein inquirendum, quænam in ſermone MOHAMMEDIS verborum ſit conſtructio? Quod phraſes ipſas attinet primo loco monendum eſſe puto بين يديه, & من بين يديه non ſonare quod præſto, ſed potius, quod eſt ante, vel quod præceſſit. Tot exſtant in *Alcorano* loca, quibus hoc probari poteſt, ut mirum ſit hoc non obſervaſſe, virum linguæ Arabicæ peritiſſimum, de quo cogitandum eſſet, nihil in libro illo eſſe, quod ipſum fugerit, vel quod oculis ipſius ſeſe unquam ſubtraxerit. Opus igitur eſt, ut prolatis in medium nonnullis exemplis ſententiam noſtram ſtatuminemus, & illuſtremus. Conſidera quæſo ſequentia. In *Alcorano cap:* 34. *comm:* 42 (juxta edit. HINCKELMANNI, in MARACCII autem eſt 46.) de MOHAMMEDE affirmatur: *Ille non eſt niſi monitor* بين يدي عذاب شديد *ante ſupplicium terribile.* Illis, queis paradiſum promiſit MOHAMMED, fidem facit, quod luce optatiſſima ſint uſuri, & quidem hiſce

ver-

verbis نورهم بين ايديهم وبايمانهم *Lux eorum diſcurret ante eos, & a dextris eorum.* Qui bina hæcce loca vel obiter inſpicit, ſtatim intelliget, phraſin, de qua diſputamus, nullam aliam in illis habere poſſe ſignificationem, præter eam, quam illi aſſignavimus. E poſteriori autem loco manifeſtum eſt non idem ſignare ביד & בין ידים, ut opinatus eſt eruditiſſimus VRIEMOET. Sed extant alia in *Alcorano* loca a nobis inter legendum obſervata, quæ adhuc clarius docent, quam virtutem uſus illis verbis, quibus aliquid *inter manus eſſe* dicitur, tribuerit. *Sur.* LXI. *com.* 5. Divus propheta, Dominus noſter Jeſus Chriſtus loquens inducitur, & illi inter alia, & ſequentia verba aſſignantur: اني رسول الله اليكم مصدقا لما بين يدي من التورية *Ego ſum legatus Dei ad vos, confirmans id,* (quod traditum fuit) *ante me de lege* (vel Pentateucho) Hic loci illa, quæ proprie ſonant *inter manus meas* dictam obtinere vim intelligere poſſumus ex iis, quæ ſequuntur, ubi Summum vatem noſtrum falſus ille de ſeſe vaticinari facit hiſce verbis: *Annuncio legatum, qui veniet* من بعدي *poſt me.* Oppoſita igitur ſunt Arabibus illa, quæ *inter manus ſuas, & poſt ſe* dicunt eſſe.

Hiſce jungenda ſunt bina loca, & quidem imprimis hanc ob cauſam, quod ex eorum collatione manifeſtum eſt, بين يدين & من بين يدين ejusdem eſſe ſignificationis, quod & de Hebraicis בין ידים & מבין ידים affirmandum eſſe patet. Prior locus exſtat *Sur.* XLI. *com.* 13. ان جاءتهم الرسل من بين ايديهم ومن خلفهم *Cum veniſſent legati ante eos, & poſt eos.* Eodem capite *verſu* 24 adinvenitur alter locus; ubi dicitur ما بين ايديهم وما خلفهم *Quod eſt ante eos, & poſt eos.* Eadem oppoſitio occurrit multis aliis locis; vid. *Sur.* XIII. *com.* 13. & *Sur.* XXXVI. *com.* 8. Ex locis illis igitur intelligimus dictas phraſes بين يدين & من بين يدين ejusdem eſſe virtutis, & quidem illud elliptice dictum eſſe: Id quod notaſſe haud inutile erit ad intelligendum clarius illam loquendi formulam.

Sed quænam ſub his verbis, *inter pedes*, quæ etiam in loco *Alcorani* ſupra allegato occurrunt, ſubjicienda eſt ſententia? Si recte ſe habent, quæ hactenus diſputavimus, patet minus veram eſſe celeberr. VRIEMOETH interpretationem. Videtur enim ſtatuiſſe binas phraſes, *inter manus*, & *inter pedes* in loco illo idem, diverſo licet reſpectu

ſpectu, ſignificare, unamque alteram illuſtrare. Licet illud autem admittamus, quod omnino negandum eſſe ducimus, ſequeretur tamen ex dictis phraſes illas tum non *id quod præſto*, ſed potius *id quod ante eſt*, vel *evenit*, ſonare. At vero ſi conferamus phraſes illas cum iis, quæ ſupra ex Alcorano depromta & poſita ſunt, patebit nihil veriſimilius, nec probabilius eſſe quam illa, quæ *inter manus ſunt*, iis quæ *inter pedes ſunt*, apud auctores Arabum oppoſita eſſe. Et cum alibi plus ſemel iis, quæ *inter manus ſunt*, illa opponantur, quæ *poſt aliquem* conſpiciuntur, ad veritatis ſpeciem proxime accedit, phraſin *inter pedes*, idem ſignificare, ſcil. illud, quod *poſt aliquem* eſt, vel contingit. Hoc quo perſpiciatur, verba *Alcorani*, quæ præſtantiſſimus VRIEMOETIUS ita exhibuit, ut verbum, ex quo recta verborum interpretatio dependere videtur, omiſerit, inſpicienda & ponderanda ſunt. Agit autem MOHAMMED de mulieribus recipiendis, deque iis ita mentem ſuam exprimit, ut indigitet ſe velle ut a mendaciis & calumniis abhorreant. Hæc ſunt ejus verba, quæ ponenda eſſe putamus:

ولا ياتين ببهتان يفتوين بين ايديهن وارجلهن

quæ ita reddenda ducimus: *Et* (quæ mulieres) *non veniunt, cum ficto a ſe mendacio*

 ante

ante ſe & poſt ſe i. e. quæ non veniunt cinctæ mendaciis inſtar ancillarum. Mendacia igitur repræſentantur hoc loco comitum imagine, ſive ancillarum, quæ una cum mulieribus rejiciendis veniunt. Cum autem ejusmodi mulierum comites eas præcedere poſſint, patet de iis commode dici poſſe, quod illæ veniant cum hiſce ante ſe: deque aliis poteſt affirmari quod incedant poſt mulieres. Dictæ autem phraſes ita comparatæ ſunt, ut ſignificare poſſint quæ ſunt *ante aliquem*, & *poſt eum*, imprimis ſi recordemur, quod ſupra viſum, بين loco يد من بين poſitum eſſe. Sic enim plena phraſis ſonabit, quod eſt *extra medium manuum*, *& pedum*. Si animo tuo ſubjicias hominem, qui ad locum aliquem ſe recipit, manus extendens, quaſi prehenſurus occurrentem ſibi amicum, tum illud, quod eſt extra medium manuum ejus, eſt ante ipſum; dici autem poteſt eſſe poſt eum, quod extra medium eſt pedum ejus, quibus ſe e loco quodam movet.

§. 5.

Plena phraſis מבין רגלים, quæ Arabicæ reſpondet, non modo occurrit illo Geneſeos

ſeos-in loco, cui illuſtrando hæc omnia imprimis deſtinata ſunt, ſed illa quoque legitur *Deuteronom.* XXVIII: 57, & iis juncta eſt verbis, ut eorum attenta conſideratio confirmandæ ſententiæ noſtræ haud inutilis futura ſit. Moſes ibi loquitur de populi in Deum rebellantis pœna graviſſima, & *com.* 56. dixerat: *Mollis, & delicatæ in te, quæ non tentavit plantam pedis ſui ſtatuere ſuper terra, præ deliciis, & præ mollitie, invidebit oculus marito gremii, & filio ſuo, & filiæ ſuæ.* Hiſce connectuntur verba *comm.* 57. ובשליתה היוצת מבין רגליה, quæ vulgo ſecundinas a muliere editas ſignare putantur. Exiſtimant enim eruditiſſimi Interpretes id quod exire dicitur e medio pedum dictæ mulieris, accipiendum eſſe de eo, quod pariens enixa eſt. At vero, qua ratione de ſecundinis dici poteſt, quod mulier ei cibum invideat? Quo pacto ſecundinis filii, quos pariant, aſſignari poſſunt, quod tamen loco allegato factum eſt ratione τῆς שליה? Vox hæc non niſi ſemel in Scriptura ſacra occurrit, quare nimis periculoſum eſt eam vel ex nexu ſermonis, vel ſecundum fictam aliquam originem, ſine ope dialectorum orientalium velle interpretari. Experientia omnium

temporum docuit hoc nimis temerarium eſſe. Sed non opus eſt de hoc interpretandi modo vel unicum verbum addere, cum prudentioribus de ridiculo ſint, qui ita S. S. explicare conantur.

Si conſulamus dialectum Arabicam, ac Syriacam, inveniemus veram, ni fallor, obſcuræ illius vocis ſignificationem, eamque & hanc ob cauſam probabilem, quod illa cum nexu verborum, & inſtituto Moſis optime conſpirat. Si exemplis probatum eſſet ſatis claris & perſpicuis, Arabes Hebræorum ש littera ج unquam commutaſſe, quod tamen in magni SCHULTENSII *clavi dialectorum* factum haud eſſe fateor, facile in lingua Arabica vocis illius dubiæ adinvenire poſſemus ſignificationem. In ea eſt جلوة a جلا ſignans *ancillulam, quam maritus conjugi donat* Arabes autem interdum, licet rarius forſitan, illa litterarum uti permutatione maxime ſit veriſimile atque probabile, ſi conſideremus pronunciationem litteræ ج, & virtutem verbi שסע *diffidit, diſcidit*. Arabes habent شسع, quod aliquo modo reſpondet Hebraico שסע, dum ſignificat; *longius diſtitit manſio, ligaculum ruptum habuit ſolea*, &c.

Sed

Sed propius tamen ratione virtutis verbo Hebraico accedit جزع *ſecuit*, *reſecuit*. Verum ſi cui haud placet hæc noſtra conjectura, illi certiora expromere, & præbere poſſumus ex dialecto Syriaca, quæ nos dubitare non ſinit de virtute Hebraicæ vocis שליה, qua ſonat *ancillam*. In illa enim ܛܠܝܐ *puerum*, *ſervum*, & ܛܠܝܬܐ *ancillam*, & quidem utraque emphatice, ſignificant. Conſtat autem inter omnes ܛ Syrorum loco Hebraici ש ſæpius poſitum eſſe; ut ex. gr. ܩܛܪ, quemadmodum & Chaldæorum קְטַר, idem eſt cum Hebraico קשר *ligavit*, *alligavit*. Patet igitur in lingua Syriaca ab interitu vindicatam & ſervatam eſſe veram Hebraici שליה ſignificationem, ex quo manifeſtum eſt, quod celeberrimus SCHEIDIUS in *Oratione aditiali*, *de abuſu dialectorum oriental.* obſervavit, ſcil. non contemnendas eſſe alias præter linguam Arabicam, huic affines dialectos, ſi difficiliora S. S. loca cum ſucceſſu velis interpretari.

Cum itaque שליה ſonet *ſervam*, jam patet minus recte ad partum mulieris transferri

ſerri ejus deſcriptionem, quod ſit היוצת מבין רגליה: *Exiens extra medium pedum ejus*. Si autem phraſin מבין רגליה eo modo interpreteris, ut ſupra fecimus, clariſſima, & intellectu facilia verba erunt Moſis; dixit enim: Mulieris oculum & invidere *ancillæ*, *quæ poſt eam exeat*. Ancilla autem quæ poſt dominam exit, eſt pediſſequa, quæ illam in publicum progredientem comitatur, qualem Græci ἀκόλουθον διακόνιον appellaverunt, qua phraſi de ſervo uſus eſt ARISTOPHANES in *Avib. vſ.* 73. Sic omnia in vaticinio illo Moſis cohærent, diciturque fore, ut mulier mollis, & delicata mulier invideat marito, qui pretioſiſſimo cibo utitur, nec non filio ſuo, & filiæ ſuæ, quibus communiora cibaria dantur, quid? quod! vel ipſi pediſſequæ ſuæ, cui viliſſima eſculenta ſolent præberi. Et ſic patet aptiſſimam in verbis climacem eſſe, licet Moſes a marito initium capiat, & in pediſſequa deſinat. Ex dictis autem intelligitur, in locis allegatis tam *Alcorani*, quam *Pentateuchi* phraſin מבין רגלים de *ſerva dominam comitante*, vel *poſt eam exeunte* uſurpari, ita ut alter ex altero poſſit illuſtrari. Haud igitur a veritatis ſpecie longe abeſt hanc fuiſſe Patriarchæ Jacobi mentem, ut dicto in vaticinio Judæ præſagiret, quid

quid poſt ſceptrum a poſteris ipſius gerendum, ratione legislatoris eventurum ſit. Si forte optes ut dubia illa phraſis ſimili quadam, Græcorum ex lingua, illuſtretur, quam explicandi obſcura S. Scripturæ loca rationem minime ſperno, illam nobis POLYBIUS ille *Megalopolitanus* exhibebit. Utitur ille hoc dicendi modo κατα ποδας, cum Hebraica illa conſpirante, & ratione verborum, & ſenſus: Τη δε κατα ποδας ἡμερα, *Sequente die. Hiſtor. lib.* 1. *c.* 12. ὁ κατα ποδας ενιαυτος *ſequens annus*, ſive annus qui eſt poſt alium. *lib.* 2. *c.* 20.

§. 6.

Dicit igitur Jacobus, ſi valet quicquam conjectura noſtra: *Non recedet ſceptrum de Juda*, i. e. non transferetur regia poteſtas in aliam tribum, Judæ ablatum; *Nec poſt illud* (ſceptrum) *Legislator*, qualis erit poſt ſublatam regiam poteſtatem, *donec veniat Schilo.* Sic diſtinguenda puto eſſe tempora, quæ ſi non diſcernantur, vaticinium Jacobi ita obſcurum reddunt, ut nulla ratione intelligi poſſit, quomodo perſolutum ſit, quod Patriarcha filio ſuo non ſine nu-

mine

mine Dei promiſit. Priora verba tempus concernunt, quo regia poteſtas tribui Judæ inhæſit. Dum dicit Patriarcha, *Non recedet ſceptrum de Juda*, haud præſignificavit illam non ceſſaturam eſſe poteſtatem, antequam Schilo veniret; ſed potius ſceptrum Judæ non eripiendum, nec alteri tradendum eſſe tribui, quamdiu populus Dei regni formam eſſet habiturus. Quivis enim vel me nil monente facile intelligit populum illum regni formam potuiſſe retinere, licet ſceptrum a Judæ tribu receſſiſſet, & ad aliam translata eſſet. Sed ſatis clare ipſo in vaticinio indigitatur, finiendum eſſe in populo Dei regni tempus, cum adjungatur prædictio de legislatore poſt illud ſceptrum futuro, & usque ad dies Meſſiæ duraturo; & hocce eſt alterum tempus a priori probe diſtinguendum.

§. 7.

Sed ne callide reticere, vel minus ingenue tegere videar, quæ huic interpretationi opponi poſſunt, aperte dicam quæ mihi omnia cum cura conſideranti dubia oborta ſunt. Dici poteſt, nonne vaticinium de שבט, regia poteſtate a Judâ non receſſura

æque

æque pertinet ad illa, quæ de adventu Meſſiæ præſignificata ſunt, ac ſequentia, quæ de legislatore agunt? Quo pacto igitur affirmari poteſt, quod poſt regnum non receſſurus ſit Legislator, id quod indicat, non duraturum eſſe שבט usque ad Meſſiæ adventum? At vero quocunque ſenſu accipias illud שבט, ſive ſonet *ſceptrum*, i. e. regnum, ſive *tribum*, haud tamen probabilis eſt verborum Jacobi explicatio, ſi dicas eum vaticinatum eſſe שבט in Juda usque ad Meſſiæ adventum duraturum eſſe. Qui putant שבט *tribum* ſignare, illis, ſi alios in ſuam perducere velint ſententiam, erit docendum, quare de ſolo Juda affirmetur, quod ab illo non receſſura ſit tribus ante datum mundo Meſſiam? Namque idem & de aliis Jacobi filiis licet affirmare, id quod etiam neceſſarium erat, quo eo clarius cognoſci poſſet Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ex tribu Juda ortum eſſe; Ex quo manifeſtum eſt nullam reddi, nec inveniri poſſe rationem, quare ſolius Judæ tribus conſervatio, omiſſis aliis, fuerit prædicenda. Ne dicam minus apte dici, tribus non recedet a Juda, cum idem eſſe videatur ac ſi quis dicat, tribus a tribu non recedet.

Si verba Jacobi de regia explices poteſtate,

ſtate, nullo modo affirmari poteſt eam ante adventum Meſſiæ a Juda non receſſiſſe, quicquid dicant ad probabilem reddendam ſententiam hanc eruditiſſimi interpretes. Namque illa multos ante apparitionem Chriſti annos Judæ eſt ſubtracta, & evanuit, cum Nebucadnezar rempublicam Judaicam una cum regia Hieroſolymorum urbe, & templo everteret.

Sed dicis, ſi Patriarcha vaticinatus eſt Legiſlatorem poſt ſublatum a Juda ſceptrum manſurum eſſe usque ad tempora Meſſiæ, ſequi videtur illum Legiſlatorem ante regni Judaici deſtructionem non fuiſſe. Sed cogitandum eſt de eo, quod eodem tempore exiſtit cum re aliqua, affirmari poſſe, quod ſit duraturum poſt eam, ſi utraque haud eodem tempore intereant. Præterea nihil eſt probabilius, nec veriſimilius, quam Legiſlatorem poſt extinctam in Juda regiam poteſtatem, aliam formam, & majorem auctoritatem, quam antea habuerat, nactum eſſe.

Sed Legiſlator, qualis tempore Chriſti fuit, non a ſolo Juda fuit oriundus; cum Synedrio & Sacerdotes, aliique ex variis tribubus eſſent adſcripti. At vero licet id negari non poſſit, obſervandum tamen eſt pleroſque e Babylonico exilio reduces e tribu

bu Juda fuiſſe, quare & populo Dei nomen dabatur Judæorum. Et ſic affirmari poterat Judæ eſſe Legislatorem, eumque ab illo non receſſiſſe, antequam Schilo veniſſet, cui gentes ſeſe adjunxerunt, cum antea Proſelyti Legislatori adhæſiſſent Judæorum. (*) Nonne autem eodem jure dici poteſt Legislatorem e Juda natum eſſe? minime gentium! Namque non omnis magiſtratus, cui paret populus, ex hoc populo originem traxit.

Denique tacendum non eſt GELALEM, *Alcorani* interpretem, docuiſſe, MOHAMMEDEM loco ſupra poſito egiſſe de mendacio, quo mulier maritum poſſit fallere, præ ſe ferens ſpuriam prolem ſuam legitime natam eſſe, quia ſcilicet fœtus manus inter pedesque cadit, dum parit mulier. Sed quis non videt nimis longe petitam eſſe hanc illorum verborum explicationem. Quis unquam fictam prolem mendacium inter manus & pedes appellavit. *Alcoranus* tam eleganti, & perſpicuo ſcriptus eſt ſtylo, ut cogitari non

(*) Potuiſſet quoque obſervare Eruditiſſimus Auctor, Synedrii ſedem fuiſſe *Hieroſolymis* in tribu *Juda*, hinc ſemper fere conjunguntur *incolæ Hieroſolymæ* & *Viri Jehudæ*, & de *Juda* Deus dicit *Pſ.* LX: 9. CVIII: 9. יהודה מחקקי N. B.

non poſſit auctores ejus tam barbara, & obſcura dicendi ratione uſos eſſe: Et idem huic evenit libro, quod & S. Scripturæ noxium fuiſſe conſtat, ut ſcil. nactus ſit Interpretes minus peritos, nec ſatis ad interpretandum inſtructos, qui intellectum verborum multis in locis ignorantes, ſenſum iis affinxerunt a ratione abhorrentem.

III.

JO. CHRISTOPH. HARENBERGII,

MELETEMA

de ficu per Jeſum maledicta,

AD

MARC. XI: 13, 14.

§. 1.

Jeſus Bethaniam venerat, in monte olearum adverſus templum Hieroſolymitanum ſitam, quum famem ſentiret. Convertit igitur oculos eminus ad ficum, foliis abundantem. Acceſſit ad eam, quaſi ea fini aliquid fructuum in ea inventurus eſſet. At nonniſi folia in ea deprehendit. Nonne vero erat tempus maturitatis ficuum? & nonne tunc exſpectare ex ficu illa poterat fructus, fami ſedandæ aptos?

Norat certe Jeſus ea, quæ erat facturus *Jo.* VI: 6. Solebat autem diſſimulationibus uti, quoties attentionem adſtantium acuere atque fiduciam eorum augere cupiebat. *Matth.* XV: 23-28. *Luc.* XXIV: 28. *Jo.* VI: 6. Verbulum γὰρ lectoribus viſum fuit continere rationem, cur Jeſus nihil fructuum in illa ficu deprehenderit. Ipſi ſic ſubduxerunt rationes ac putarunt: *Deprehendit Jeſus in ea tantum folia, eo quod tempus, quo fructus in ficubus erant veſci, non erat.* At die XI menſis Niſan, qui tunc dilucebat, in ficubus erant fructus copioſi, ſiquidem eorum collectio peragebatur feſto Paſchali elapſo. Particulam γὰρ ſæpiſſime in Græcorum ſcriptis redundare nec ſententiæ eſſe partem, norunt univerſi, qui in illis verſandis fuerunt diligentiores. Redundat ea in *Matth.* I: 18. Redundat ea apud ARISTOPHANEM in *Pluto act.* 2. *ſc.* 3. *p.* 40. Redundat ea in ÆSCHYLI *Agamemnone vſ.* 14, ubi *Scholiaſtes* addidit περιττὸς ὁ γὰρ, *redundat* γὰρ. Præluxit hæc nobis græce doctiſſimus ELIAS PALAIRET in *Biblioth. Brem. Novæ Cl.* III. *faſc.* 3 *p.* 128. *ſ.* Plura hiſce perquam facile adjungi poſſunt. Meminiſſe in præſens juvat enuntiati *Matth.* XI: 28, in quo interpretes paſſim, & ipſe LUTHERUS, ne quidem in metaphraſibus ſuis ullam particulæ γὰρ habent rationem.

Ne

Ne tamen ulli lectoris ſuſpicioni demus locum, liberales erimus, in id facile conſenſuri, ſi quis eam eſſe hoc loco *cauſſalem*, maluerit arbitrari. Quis vero non intelligit, ὀ interrogativum (*) ſæpius copulari cum γὰρ, nec indicium eſſe ullius cauſſæ?

§. 2.

Id ipſum, quod mihi heic videtur adſenſu dignum eſſe, pateſcit ex hac ad verbum facta interpretatione:

„ *Et poſtridie ipſis* XII diſcipulis *Bethania* „ *egreſſis* Jeſus *famem ſenſit* ac eſurivit. „ *Quum itaque procul conſpicatus eſſet ficum*, „ *foliis florentem*, *acceſſit* (*a*) ad eam, in„ quirens, *an ea propter*, quod eſuriebat, „ *inventurus eſſet aliquid in ea*, quo famem „ ſedaret. *Dum proinde ad eam acceſſit*, „ *nihil*, *præterquam folia deprehendit*. ὀ γὰρ „ ἦν καιρὸς συκων, *nonne vero erat tempus* „ *ficuum?* quo ficus fructus dare maturos „ ſo-

(*) Xenophon in *Memorab. Socratis*: ὀ γὰρ οὗτος ἐτόλμησε τον υἱὸν φιλῆσαι; *nonne vero hic auſus eſt filium amare?* l. 3. §. 8, 10. confer II, 4. §. 14. &c.

(*a*) Acceſſit propius, voluit ire, ut *Act.* XXVIII: 14. *Jo.* VI: 17. RAPHELIUS *ad Jo.* VI: 17.

„ ſolebant.” Redditur ita ratio, cur Jeſus, fructus ſe in ea quærere, oſtenderit. Redditur ſic ratio, cur Judæi, quorum erat fructus emendati animi debitos ferre, cum ficu illa in comparationem fuerint adducti. Intelligitur hoc modo, quid fundamenti ſubfuerit imagini, qua pravi Judæi erant ficui illi ſimiles. Hæc præferebat ſpeciem fructuum per folia; ſed fructibus revera erat prorſus deſtituta. Simulatores cultus ſancti & divini, atque hiſtriones pietatis, Judæi, carebant genuinis Deoque probatis fructibus præſtantiſſimæ erga Deum & Meſſiam pietatis. Erant ipſi perſimiles ficui, folia oſtentantis, fructibus vero carentis, eo tempore, quo ad culturam puræ mentis exercendam per Jeſum Meſſiam & hujus Apoſtolos erant evocati & invitati. Nonne erat tempus reſipiſcendi & maturos pietatis proferendi fructus. Reſpondet huic comparationi illa interpretationis ratio: *Nonne enim erat tempus ficuum? nonne erat tempus, quo ficubus fructus debebant adeſſe?* At obmoliris, Lector, fortaſſe objectionem, contendens, illud οὐ capi non poſſe per modum interrogationis, quæ quidem ſignificetur per οὐχὶ, non tamen per οὐ. Obſtitit mihi olim idem ſcrupulus & me ſæpius fodicavit. Exemtus ille fuit animo meo, ſimulac e ſcriptoribus Græcis intellexi,

lexi, illud *οὐ* æque ſæpius more interrogantis enuntiati eſſe accipiendum. Dabo exempla haud una.

§. 3.

Incidi in illud XENOPHONTIS (*aa*), quod legitur in ejus *Hierone ſeu Tyrannico* c. 21. §. 6. Τὰς ἀγχιτέρμονας πόλεις οὐκ ἀνάγκη διὰ τοὺς ἀεὶ ἐν ὅπλοις ὄντας, καὶ εἰρήνης μάλιστα ἐπιθυμεῖν; οἱ γὰρ συντεταγμένοι καὶ σώζειν τὰ τῶν φίλων μάλιστα καὶ σφάλλειν τὰ τῶν πολεμίων δύναιντ' ἄν. *Nonne neceſſum eſt, ut circumvicinæ urbes propter eos, qui ſemper ſunt armati, etiam quam maxime pacem colant? Nam hi in conſociatum ordinem conſtituti* homines armati *& ea, quæ ſunt amicorum, optime tueri & hoſtium conſilia reddere irrita poſſunt utique.* Notiſſima ſunt illa Paulina, quorum exhibebimus enuntiata nonnulla. Paulus ita 1 *Cor.* IX: 1. Οὐκ εἰμὶ ἀπόστολος; οὐκ εἰμὶ ἐλεύθερος; —— οὐ τὸ ἔργον μου ὑμεῖς ἐστε ἐν Κυρίῳ; *Nonne ſum Apoſtolus? nonne ſum liber? nonne opus meum*, effectum, *vos eſtis per Dominum?* Idem ſic porro *vſ.* 6. Solusne *ego & Barnabas non habemus poteſtatem*

(*aa*) Adde *Memorabilia* SOCRATIS I, 3. §. 13. I, 4. §. 6. 13. &c.

tem operandi? Idem ita vſ. 12. luculente: Οὐκ οἴδατε, ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι, ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσιν; *Nonne noſtis, illos, qui ſacris rebus operantur, ex re ſacrata edere?* LXX 1 *Reg.* XXI: 5. ſic habent: Τί τὸ πνεῦμά σου; οὐκ εἶ σὺ ἐσθίων ἄρτον; Jeſabel ad Achabum: *Quis ille animus tuus? nonne panem vis edere?* Plura (*) non libet adjungere, ne lectores obtundam; quorum judicio id velim reſervatum, an locus *Jo.* XVI: 26, per interrogationem ſit interpretandus (*b*).

§. 4.

Quærendum nunc eſt, an inſtante Paſchali tempore ficubus in Judæa jam fuerint fructus veſci, an ficus maturæ tunc in arboribus hæſerint. Ante omnia nobis perſuadeamus non licet, ſolum aëremque Palæſtinorum æqualem ſimillimumve eſſe illi, quo in patria noſtra utimur, & per quem fructus arborum nobis ea tempeſtate, ſub veris initio, negantur. In Palæſtina dantur ficus maturæ & priores & poſteriores; ſeu hie-

(*) *Matth.* XVII: 24. *Marc.* VI: 4. XI: 17. XII: 24. *Jo.* VII: 42. VIII: 48.

(*b*) Sic ſenſit in. Rev. FRANC. ULRICUS WALTERUS in *Diſſ.* ad *h. l.* habita *Rintelii* 1734.

hiemales & ſerotinæ (*c*) Illarum fit mentio *Jeſ* XXVIII: 4. *Jer.* XXIV: 2. & *Hoſ.* IX: 10. ubi in LXX hæc leguntur: σῦκον ἐν συκῷ πρώϊμον. Has ficus Miſchnici doctores adpellarunt בכורות, *primum genitos.* Serotinarum maturitas incidit in menſem Sivan, Majo noſtro Junioque coæquatum, prouti MAIMONIDES & RASCHI docent ad libellum miſchnicum *Nedarim* VIII: 4. ubi illis additur nota temporis, per illud בקיץ, *in æſtate.* In Genneſaritide ad locum Tiberiadis ſingulis annis per decem menſes integros bis inveniebantur ficus maturæ, auctore JOSEPHO *de Bello Judaico* III: 10. Reſcribendum tamen heic eſt δὶς ἔτυς ὅλυ pro δι' ἔτυς ὅλυ, nam manuſcriptus *Bigoti* Codex ſic habet, & penes *Cedrenum*, qui locum ex *Joſepho* repetivit, leguntur *p* 351. hæc: δὶς τῷ ἐνιαυτῷ, *bis quovis anno.* Mons Oliveti in meridiem eſt reductior ſolo Galilææ, ad lacum adjacentis, atque eam ob cauſſam mollior & aëris amœnioris indulgentia magis imbutus Proxime ante Aequinoctium vernale ficus germinant foliisque novis induuntur, teſtibus THEOPHRASTO in *Hiſt. Plant.* III: 6, & R. SALOMONE ISAAȚ

(*c*) THOM. SHAW *Travels p. II. ſect.* 4. *Oxfurt* 1738, 4.

ISAACIDE in *Pſachim f. 52, 2. fin.* Tunc olim ibi ficus generoſiores comis erant veſtitæ & fructus in eis erant reſidui ex ſuperiori autumno, teſte JULIANO *ep. 25. ad Serapionem p. 392.* ad ortum uſque novorum ſeu ſerotinorum. *Pitton de* TOURNEFORT in libro, *Voyages au Levant. To. I. lettre 8. p. 130*, intercedere diſcrimen domeſticas inter & agreſtes ſeu ſilveſtres ficus, expertus prodidit memoriæ. Idem memoravit recenſuitque tempora duo, quo in domeſticis obvii ſint fructus veſci ſeu edules. Prioris ſpeciei fructus conſpectum ſpectatoris ſubeunt menſe Auguſto uſque ad Novembrem. Poſterioris quæ ſunt ſpeciei, fructus exhibent vergente ad finem Septembri, ac paſſim in ſede ſua morantur uſque ad menſem Majum. Hi fructus adpellantur primores; illi vero feriores, ſiquidem anni civilis rationem Judæi in fructibus arborum ſolebant ſequi. Rabbini tertium anni principium incidere in menſis Schebat diem primum, Januarii novilunium, docebant, quotquot de ſchola Schammai erant; Hilleliani autem exordium illud in diem XV menſis iſtius rejiciebant. Hoc anni primordium ad arbores, לאילן, referebatur. *Roſch haſſchanah* I: 1. De decimatione enim fructuum omnia illa tunc fuerunt dijudicata, quæ in controverſiam vene-

venerant, vel erant definienda. In Pente-coſte judicia peræque de arborum fructibus fuerunt agitata. *Ibidem* I, 2. De æſtivis fructibus ficuum ac eorum decimatione videtur intra menſem Januarium fuiſſe inquiſitum, at de primoribus tempore Pentecoſtali. Fuiſſet HENRICI HOUTINGHI, qui miſchnicum volumen, *Roſch haſſchanah* inſcriptum, Amſtelodami cum uberrimis adnotationibus 1695, 4. publicavit, hoc argumentum fuſius explicare. At levi brachio hanc pertexuit telam, nec quicquam ad argumenti noſtri evolutionem adtulit. Sufficient tamen deſtinationi noſtræ ea, quæ aliis ex fontibus hauſimus. Ficus illa erat generoſior, quam Jeſus præcipue conſpectu ſuo dignatus eſt, foliis quippe renatis conſpicua, ſymbolum pietatis Pharisaïcæ, quæ oſtentat virtutis larvam, & fœditatem nuditatemque animi infructuoſi tegit ac occultat. Nonne autem adparuerat per ſingularem Dei gratiam tempus, quo Judæi ad ferendos lucique exponendos genuinæ peccatorum pœnitentiæ fructus ſatis ſuperque erant invitati, ſtimulati atque comminationibus compulſi? Nonne præſtitutus ſalutis præſtantiſſimæ dies illuxerat, qui Meſſiam Judæis exhibuerat doctorem nationis Judaïcæ, nationibus etiam reliquis indulturum præconia, beatitudini ſuſcipien-

dæ accommodata? Id ipſum indicabatur per verba: *Nonne erat tempus ficuum?* nonne ex ficu, foliis jam veſtita, fructus edules capi poſſe oportet? Paullo poſt Jeſus, e templo rediens in montem ab oleis dictum, diſſeruit de ruina, ſtatum reipublicæ Judaïcæ mox manente, ſuosque diſcipulos eam viciſſitudinem docuit, diatypoſi haud una uſus. In præſens illud Jeſu pronuntiatum mihi ob oculos verſatur, referendum inter ea, quæ in monte oliveti ipſe ſuis prænuntiavit *Luc.* XXI: 29, 30. En id ipſum: Ἴδετε τὴν συκῆν, *Oculos animosque advertite ad ficum illam & ad omnes iſtas arbores. Quum jam* προβάλωσι *emiſerint folia, ab ipſis, experientia oculorum ducti, cognoſcite, jam æſtatem prope eſſe.* Videtur Jeſus auditoribus manu monſtraſſe ficum quamdam, quæ jam folia emiſerat ac oſtentabat. Unde fortaſſis colligi poteſt, ficum illam jam protruſis foliis excelluiſſe. De ficubus ſilveſtribus non eſt in locis memoratis ſeu indicatis ſermo, quippe quæ ſpeciatim nomine *S.b.tin* ſeu *connarorum* veniunt. *Demai* I: 1. Ficus vero, culturam nactæ, adpellantur תאנים, σῦκαι. Nec *ficus albæ*, dictæ בנות שוח, quæ in ſilvis tertio quoque anno fructus ad maturitatem venientes exhibent (*c*), hoc loco

(*c*) *Demai* I: 1. *Schebbijith* IV: 7, 8. V: 1. BUXTORFIUS in *Lexico Talmudico* p. 2344.

loco in cenſum veniunt. In ſilva enim Jeſus tunc non verſabatur, nec mons olearum ſilvas habebat. Corruit itaque JOANNIS LIGHTFOOTI ſententia, qui ad ficus illas albas confugit, verbis Jeſu lucem adlaturus, in *Horis Hebraicis ad Matth:* XXI. & *Chorographia Matthæo præmiſſa. c* 74. Fuiſſe in Palæſtina ficus maturas, quas vocabant *primitivas*, *biccurrim*, jam *ante æſtatem* edules, videtur ex *Jeſ.* XXVIII: 4. colligi poſſe. Præſtantiores tamen ficus erant munera æſtatis ſeu menſis Abh. *Jer.* XXIV: 2. *Amoſ* VIII: 1, 2 *Mich.* VII: 1. Omittendum non videtur, genera ficuum eſſe complura (*d*), ſingulisque eorum hæſiſſe nomen *ſetim*, *ficus*. Unde factum eſt, ut ſycomori & ſycamini etiam eodem nonnumquam inſignitæ fuerint nomine. Ipſæ præterea, ſi de Aegypto expoſuerunt auctores, ab his dictæ fuerunt *ficus Aegypti*. Harum mira fuit copia in Palæſtina & Aegypto, nec dum ea deſiit. Fructus hiſce ſunt juxta truncum ſeu ſtipitem, plerumque quater ſingulis annis provenientes ac edules. Sapor eorum ad nauſeam fere dulcis. Fructus tamen hi ſunt cibus pauperiorum ordinarius. De hac arbore diſſeruerunt fuſe FRIDERICUS LUDOVICUS NORDEN, in *Voyage d'E-*

(*d*) *Trumoth* II, p. 4. P. I, p. 266. *ed. Miſchnajoth Surenhuſii.* ♦.

d'Egypte & de Nubie To. I. Havniæ 1755, fol. D. FRIDERICUS HASSELQUIST in ſeine Reiſe nach Palæſtina Roſtochii 1762, 8. p 121. OLAVUS CELSIUS in *Hierobotanico*, & alii. Quum vero in libris Novi fœderis ſycamini ac ſycomori non veniunt nomine ficuum, vereor, ne lectores eam interpretationem ſint nauſeaturi, quæ eam opinionem it ſtabilitum, qua Jeſus a ſycamino aut ſycomoro levamentum famis exſpectaſſe viſus fuit.

§. 5.

Sunt, qui apud Marcum ſubſtituunt particulæ ȣ' particulam ȣ̃, ut contextus compagem retineant recte munitam. Inter eos, qui ſic ſenſere, eminent DANIEL HEINSIUS & JACOBUS FRIDERICUS REIMMANNUS Videntur hi Duumviri eum nobis tradituri fuiſſe ſenſum, cui ipſemet ſuffragor. At nolim quicquam in Marco mutare, ne dicam mihi impingant iniquam illi, qui vetuſtiſſimos codices ac priſcas interpretationes penſi faciunt alicujus. Si incidiſſent Duumviri in ſignificatum particulæ ȣ' interrogativum, ipſis id, quod quærebant, fuiſſet in expedito. Qui formulam interrogationis hoc loco non cernunt nec calculo ſuo dignantur, cruciant ſe mirum in modum. Ad manus mihi jam ſunt viri olim

maxi-

maxime eruditi ac clari JOANNIS ALBERTI *Obſervationes Philologicæ in ſacros novi Fœderis libros*, Lugduni Bat. 1725, 8, vulgatæ. In eis Auctor ille ſic diſſerit *p.* 171 : *Non convenit cum Chriſti ſapientia, ſi plane non erat tempeſtas ficuum. Quia vero tempeſtas ficuum, reſpectu hujus ſaltem arboris, inſtabat & folia præcocem fructum promittere videbantur, potuit Chriſtus ad hanc ficum accedere, ſed fruſtra acceſſit neque fructum invenit. Ita vero claudicat argumentatio de ſapientia ejusdem. Dicendum videbitur igitur, Chriſtum vidiſſe procul hanc ficum habentem folia, ac veniſſe,* εἰ ἄρα εὑρήσει τὶ ἐν αὐτῇ, *ſed inde non ſequi, Eum per ſapientiam ſuam ignoraſſe, quod nihil niſi folia inventurus eſſet. Sciebat enim, quod Marcus addit,* οὐκ εἶναι καιρὸν σύκων. *Sed ſciebat etiam jam tunc, quid facturus eſſet. Jo.* VI. *& quale ſpecimen ſeveriſſimi judicii ſui ante mortem tunc inſtantem edere adhuc vellet adverſus Judæos contemptores viſitationis ſuæ neque fructus ullos ferentes poſt tot exhibita beneficia miraculoſa.* Id inprimis ita ſentientibus videtur obeſſe, quod imago refractariorum Judæorum aliud poſtulet. Horum enim erat tunc tempus, & jam antea fuerat, ferendis fidei fructibus præſtitutum. Horum erat, ea tempeſtate fructus pietatis erga Meſſiam ferre ac in lucem effundere, quippe qui ob horum

de-

defectum fiebant ficus maledictæ imago. Idem argumentum urſit JOANNES HENRICUS MAJUS, filius, in *Obſervationum Sacrarum L.* I. *p.* 8, 9, 10. Francofurti ad Mœnum 1727, 8. Idem Auctor eam, quam tueor ſententiam, jam breviter propugnavit. Adde, quod auctoritati Jeſu male conſulitur, ſi opineris, Eum ex ficu petitum iviſſe tunc fructus, cum nulli in ea fuerint fructus. Solide hoc monuit M. HENRICUS THEOPHILUS NAZZIUS in *Diſſ. de Miraculis Chriſti typicis Sect.* II. §. 26. *p.* 63. *ſ.* Jenæ 1747, 4. Exemplorum ſatis, opinor, exhibuit *Majus*, quæ firmant interrogativam particulæ ὐ poteſtatem. Oſtendit is, particulam γὰρ illi particulæ inveniri junctam, quoties ὐ interrogandi poteſtate gaudet. Accedit quod ὐ γὰρ poſitum, continet ſæpius ſenſum, quem Latini exprimunt per *nonne vero? nonne ita?* JOANNES CHRISTOPHORUS WOLFIUS in *Curis* ad *Marc.* XI: 14, ſecutus fuit Auctorem *innocuarum Relationum*, qui *Majis* minus cupiebat, Theologorum Halenſium tunc amatoribus. *Wolfius* ipſe VAL. ERN. LOESCHERO, olim litteris Vitebergæ excultus, erat addictiſſimus. Utinam *Wolfius* ſolidas expromſiſſet rationes, cur *Maji* ſententiam ſuffragiis indignam pronuntiaret! Varias Interpretationes priſcorum Patrum & Metaphraſtarum non ubique reſpiciunt

Exe-

Exegetæ veluti cynoſuram. Et quis contendere auſit, inter illos fuiſſe neminem, qui *Majo* pollicem preſſerit? Sæpius enim in enuntiatis, per ſeſe vim interrogandi habentibus, illud εἰ ſeu *non*, ſic fuit perperam deſcriptum vel expreſſum, ut interrogationis vim eſſe omnem ſublatam videas, atque prorſus exſtinctam mireris, ubi locus ei erat relinquendus.



I V.

NICOLAI BARKEY,

OBSERVATIONES EXEGETICÆ

AD

ACT. II, III, IV.

§. I.

Res maximi momenti capitibus his enarrantur. Caput ſecundum refert hiſtoriam largiſſime effuſi die Pentecoſtis à Chriſto, gloria & honore jam coronato, in congregatos ſuos Apoſtolos Spiritus Sancti, quo ad obeundum Apoſtolatus munia graviſſima, & ad obferendum primos meſſis Evangelicæ panes apti reddebantur. Ex accuratiore contentorum hujus Capitis enucleatione eorumque cum eis, quæ capitibus tertio quartoque enarrantur, compara-

paratione enatæ ſunt aliquot obſervationes generaliores, pragmatice erutæ & conlectæ, quas Eruditorum judicio & criſi ſubjicio, ſi quod in eis notandum ſit, ut mihi candide & placide aperiant, enixe rogans.

Interpretes tantum non omnes in ea ſunt opinione, Judæos, Hieroſolymorum cives, quique Judæam incolebant cum extraneis Judæis, Pentecoſtis feſtum celebrantibus, teſtes fuiſſe illuſtriſſimi Spiritus S. doni, ad Apoſtolos conlati, & non modo teſtes, verum etiam ex hac multitudine graviſſima D. Petri oratione tria millia virorum, de veritate Evangelii convictorum, Chriſto nomen dediſſe. Sententiam hanc limitandam eſſe cenſeo. Non quidem negaverim hos inter teſtes fuiſſe Judæos indigenas, præſertim ex Karræis, de quibus infra, & ex Sacerdotibus & Levitis, qui hac die ſecundum præfixum ordinem curam Sacrorum gerebant, quique forte ſoli miraculum patratum riſu & ſannis excipiebant, ac quod non intelligebant, blaſphemabant; valde tamen mihi veriſimile fit, multitudinem congregatam *conſtitiſſe* maximam partem *ex Judæis & Proſelytis extraneis*. Inde quoque profluit, *converſos hoc ipſo die ter mille hominum* maximam partem *fuiſſe ex Judæis extraneis*. Digna mihi viſa eſt hæc vulgaris ſen-

tentiæ limitatio, quam argumentis ex totius hiſtoriæ circumſtantiis & ambitu deſumtis corroborem, præſertim quia nonnihil lucis his illisve Eccleſiæ Apoſtolicæ ritibus, & quem ſequitur Lucas, hiſtoriæ ordini conferet. Argumenta hæc enumerabo, & quæ moveri poſſent dubia ſolvere ſtudebo.

§. 2.

Donum, *primo*, linguarum huic ſententiæ non tantum convenit, verum etiam ſuadet ut ita cogitemus. Nam niſi maxima multitudinis pars conſtitiſſet ex Judæis & Proſelytis extraneis, linguas peregrinas, genti in cujus medio habitabant incognitas, loquentibus, non opus fuiſſet Apoſtolis *omnibus* hoc linguarum peregrinarum dono. Horum ſi fuiſſent pauci, & ſi Tibi dimidium populi ſumas, num credibile cuipiam eſſe poterit, adeo illuſtri & miraculi pleno dono inſtruendos fuiſſe Apoſtolos, & quidem *omnes*, *ſua quisque menſura vs.* 4. Per interpretem unum aut plures loqui potuiſſent, aut alio modo uti potuiſſet Deus ad excitandam Judæorum indigenarum adtentionem & convictionem. Entia autem ſine neceſſitate multiplicata eſſe diceres, dum omnes Apoſtolos peregrinis linguis ſtatuis loquutos fuiſſe, ut dicitur *v.* 7. 8.

ſi

ſi unus & alter aut ſi vel dimidia Apoſtolorum concio hoc die ſuffecerit ad perorandum magnalia Dei coram extraneis τῃ ἰδιᾳ διαλεκτῳ.

§. 3.

Secundum argumentum deſumimus ex diſtincta recenſione *quindecim populorum* vel provinciarum aut regnorum, ex quibus Judæi hi aut proſelyti confluxerant *v.* 8–11. quorum in gratiam Apoſtoli dono linguarum inſtructi erant, ἀπο παντος ἐθνους των ὑπο τον οὐρανον, quod accipe ac ſi ſcriptum eſſet: ἀπο παντος ἐθνους των ὑπο τον οὐρανον κατοικουντων Ἰουδαιων. Admodum enim veriſimile eſt, ex quo fama Jeſu Nazareni, Hieroſolymis & in Judæa & Galilæa docentis, ac tot ſtupenda miracula per triennium patrantis, apud diſſitas quoque Orientis gentes & in patria Magorum eorum, qui Eum infantem præſentes adoraverant, increbuit, multos & plures quam antea, novitate auditarum & mirandarum rerum adlectos, ex his regionibus ad celebranda feſta concurriſſe. Vides jam *ante* Paſchatis *feſtum Græcos aliquot, ut feſtis intereſſent, Hieroſolymæ commorantes, cupientes videre Jeſum*, & ut Diſcipuli ſibi adceſſum ad Eum pararent, flagitantes *Joh.* XII. 20. 21.; ta-

lisque fuiſſe videtur *Simon Cyrenaicus Luc.* XXIII. 26. conf. *Act.* II. 10. Neque minus eſt veriſimile, poſtquam tragica mors Chriſti & fabula de prætenſo furto corporis Jeſu e ſepulchro, a Diſcipulis commiſſo, vel per literas Synedrii Judaici, undique divulgata fuit, confluentium Judæorum extraneorum ſolito multo majorem fuiſſe turbam in feſto Pentecoſtis, ut rem momentoſiſſimam ipſi cognoſcerent, adcuratiusque inquirerent in Jeſu doctrinam, resque Ejus geſtas, & hiſtoriam proceſſus criminalis contra Eum inſtituti; præcipue quid veri ineſſet rumori indies percrebeſcenti, Eum reſurrexiſſe ex mortuis. Recenſentur autem inter alios aliquot populi, de quibus facile præſumi poteſt, non ſolum omnium, quæ dixi, rumorem & famam eorum ad aures perveniſſe, verum etiam ipſis quadraginta dies, quos Servator poſt reſurrectionem ſuam his in terris tranſegit, & ſi diebus his plus quam dimidium demas, brevius temporis ſpatium ſuffeciſſe ad adeundam Hieroſolymam, feſtumque Pentecoſtis ibidem celebrandum.

§. 4.

Tertium argumentum ſubpeditant aliquot *Orationis Petrinæ* momenta, quæ huc tendere

dere videntur. *Adloquitur* Petrus 1) *Concionem vs.* 14. nomine quidem generaliori, indigenas ſimul & extraneos complectente, Ἄνδρες Ἰουδαῖοι, ſed addit, καὶ οἱ κατοικοῦντες Ἱερουσαλὴμ ἅπαντες, quæ adpellatio utique convenit cum *vs.* 5. ubi extranei dicuntur οἱ ἐν Ἱερουσαλὴμ κατοικοῦντες Ἰουδαῖοι. 2) Motivum, quo auditores ſuos ad reſipiſcentiam hortatur & compellit *v.* 39. ſententiæ noſtræ velificare videtur: Ὑμῖν γάρ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία καὶ τοῖς τέκνοις ὑμῶν, καὶ πᾶσι τοῖς εἰς μακρὰν, ὅσους ἂν προσκαλέσηται Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν. Nemo Interpretum hæc verba melius explicuit, remque magis acu tetigit quam eruditiſſimus VENEMA *Diſſ. S. l. III. c. IV.* §. 8. quem oſcitanter legit, fortiſſimumque ejus argumentum prætereundo inepte refutatum ivit cl. HEUMANNUS in *Explic. h. l. vernacula.* Docet cl. VENEMA Petrum hic denuo reſpicere ad vaticinium *Joëlis* jam citatum, & quidem ad ultima verba *c.* III. 5, ubi Deus promittit *omnibus, qui nomen Jehovæ invocabunt, liberationem, in monte Sionis & Hieroſolymæ* paratam, quin *omnibus, qui in longinquas oras diſperſi erant, quos Jehova vocaturus eſſet,* ובשרידים אשר יהוה קרא. Et recte, nam ipſiſſima fere *Petri* verba ſunt, ita ut dicit: *Vobis non ſolum facta eſt promiſſio & filiis & filiabus veſtris,* ſc. ſenibus & juvenibus,

ſervis & ancillis, *qui Hieroſolymæ commoramini, ſed Judæis etiam in longinquas oras diſperſis*, ſc. *quotquot Dominus Deus noſter vocaturus eſt*. Sic οἱ ἐκ μακρῶν *Petro* ſunt, qui *Joëli* audiunt שרידים, exules diſperſi, uti *Obad.* 14. Ἐκ μακρῶν igitur hoc modo ſupplendum eſt: καὶ πᾶσι, τοῖς ἐκ μακρῶν χωρῶν οὖσι. Quam vero ob rationem Petrus hæc præciſe verba adlegaſſet, niſi plerique ejus Auditores fuiſſent Judæi *extranei*, in longinquas oras diſperſi? Eodem motivo utitur *c.* III. 25.; de diſperſis vero in longinquas oras tacet, quia Auditores ejus tunc erant Judæi indigenæ, uti mox videbimus. Hoc modo explicita verba fortiſſimum argumentum exhibent, argumentum ad hominem, & motivum, ut vera ducti reſipiſcentia per baptiſmum nomen Jeſu Nazareni ut unici & veri Meſſiæ profiterentur.

§. 5.

Objici quidem poteſt, multa in oratione Petri occurrere, quæ ſuadent eum adlocutum præſertim fuiſſe Judæos indigenas. Dici poteſt: *non poterat adcuſare exteros*, quod Jeſum Nazarenum poſthabitis Ejus miraculis, quibus Deus coram omni populo demonſtraverat, verum Eum eſſe Prophetam & Meſſiam, infami crucis ſupplicio inter-

interfecerint & occiderint v. 22. 23. 36. Hi enim maximam partem Jeſum vix viderant, nec miraculorum ejus teſtes fuerant, neque criminis homicidii in Eum commiſſi rei erant. Aſt licet ſpeciem habeat hæc objectio, meam tamen ſententiam minime infringit, cum haud negaverim huic congregationi quoque interfuiſſe Judæos indigenas, & expreſſe ſtatuerim, miraculi irriſores ex horum & quidem e Seniorum, Sacerdotum ac Levitarum aliorumque fuiſſe numero. Hos itaque redarguit & adcuſat Petrus, & nemini mirum eſſe poteſt, Oratorem, qui ad Concionem mixtam verba facit, nunc hos nunc illos, pro rerum ordine & circumſtantiis adloqui. Minus adhuc mirum, ſi conſideramus *toti Iſraelis domui* ſcelus commiſſum imputari poſſe, quando ejus Synedrium aut Patres, qui totam domum repræſentant, ſe crimine aliquo contaminarunt, quia populus in crimen *conſenſiſſe reputatur*, uſque dum illud inprobat. *Univerſæ* quoque Iſraelis domus præcipue ratio habenda eſt, quia eidem univerſæ domui Petrus v. 36. adnunciat atque declarat, Deum conſtituiſſe Ipſum illum Jeſum, quem crucifixerant, in Dominum & Chriſtum. Et notandum eſt Apoſtolum, poſtquam plurimi Auditorum, & quidem circiter ter mille, com-

punċti erant corde, facinuſque inprobaverant & deteſtati fuerant, ipſis ita conſuluiſſe *v.* 40. Σωθητε ἀπο της γενεας της σκολιας ταυτης: *Servate vos, ſecedendo & ſeparando vos moribus & conſortio ab hac incredulorum & irriſorum perverſa & tortuoſa propagine, quam coram cernitis, ne pereatis cum illa.* Præterea quis exteros Judæos, qui Paſchatis feſtum celebraverant, criminis hujus plane inſontes habere poteſt? Præſumendum potius eſt, hos, qui res geſtas non ſatis adcurate examinare potuerunt, Synedrio & indigenis Judæis adſtipulatos fuiſſe, ut fit, cœca fide, & cum illis Prætori Romano adclamaſſe: Crucifige illum, Crucifige illum. Poterat itaque & *hos* adcuſare Petrus, quod Jeſum Nazarenum interfecerint.

§. 6.

Quartum argumentum ex *conlatione capitis Secundi cum capitibus Tertio & Quarto* conficimus. Qui capita hæc debita cum adtentione legit relegitque, inſigne inter ea *diſcrimen* deprehendet, & id quidem, quatenus ad rem noſtram facit, duplex; quin immo deprehendet pericoparum quarundam capitum Secundi & Quarti *convenientiam.* Liceat autem ex hoc diſcrimine ſimul

&

& ex hac convenientia ſingulare aliquod nectere argumentum, cujus varia membra enumerabimus.

§. 7.

Differunt res geſtæ, his capitibus memoratæ, vario modo. Caput *Secundum uſque ad v.* 41. recenſet quæ *mane diei Pentecoſtis* evenerunt & geſta fuerunt ab omnibus XII Apoſtolis. Hoc extra controverſiam poſitum eſt ex *v.* 15. Ἐϛι γαρ ὡρα τριτη της ἡμερας. Actus matutinus baptiſmo credentium & regenitorum abſolvebatur. *Tertium* & *Quartum* ea narrant, quæ poſtea a Petro & Joanne præſertim acta fuerunt, *eodem*, vel *ſequenti* aliquo poſt feſtum Pentecoſtis die. Et hoc quoque nemo infitias iverit. Patebit autem ex ſequentibus, nihil obſtare, quo minus *ipſum hunc* Pentecoſtis diem deſignemus, immo ad hunc diem omnia quadrare. Huc facit, quod narrata contigerint in Sacris *veſpertinis*; nam Lucas expreſſe teſtatur, quod Primores Judæorum & Sacerdotes & Præfectus Templi & Sadducæi in cuſtodiam tradiderint Petrum & Joannem, comprehenſos in Templo, uſque ad αυριον, & rationem ſubjungit; ἠν γαρ ἑσπερα ἠδη, *c.* IV. 3. *Ipſius* vero *hujus diei veſperam* minime præ-

terire licet, quia hiſtoria *c.* III. & IV. 1–31. arcte connectitur cum *commate* 41. *capitis ſecundi*, ita ut *nullus dies intermedius* memoretur, aut ſtatui neceſſe ſit: Dicitur enim *c.* III. 1. Petrum & Joannem adſcendiſſe in Templum ἐπι την ὡραν της προσευχης την ἐννατην (*). Subponit itaque omnes

(*) Vidi poſtea hoc quoque ſuboluiſſe LIGHTFOOTO, *Comment. in Act.* III. 1. *Opp. T.* II. *p.* 768. quem ſequitur LINDHAMMERUS, *ad eundem l.* Operæ pretium eſt audire *Lightfootum*, qui & alio argumento utitur: *Fortean*, inquit, *eodem die Pentecoſtis, & ſic* ἐπι το αὐτο *identitatem temporis hic notat, prout apud* 2 *Sam.* XXI. 9. *& Chald. Jonath in Deut* XXV 5. *ubi &* hora nona *hic dicta, eundem reſpectum ad* horam tertiam *ſupra memoratam habere poſſit: ad horam ſc. tertiam mane convertebantur hominum ter mille, ad horam nonam poſtmeridianam quinquies mille. Quicquid ſit, ſive eodem die Pentecoſtes, ſive non; indubium tamen eſt diem illum feſtum fuiſſe, ſive Sabbathum quoddam. Id probat ingens ille populi conventus ad templum actus, quorum tot nomina fidei addebantur. Plerumque enim in diebus profeſtis, vix quiſquam Templo adfuit, præterquam Sacerdotes & viros ſtationarios* אנשי מעמד, *viros ad id muneris ex profeſſo deſignatos, quibus ſemper ſacris intereſſe incubuit, utpote qui univerſam congregationem repræſentarent, eorum nomine & vice manibus in victimarum capita impoſitis &c.* Sunt autem in

omnes Apoſtolos circa meridiem exiiſſe ex templo, & baptiſmum ter mille credentibus adminiſtraſſe, eoſque ſalutari doctrina foviſſe, cui actui procul dubio uſque ad veſperam omnes & poſtea X Apoſtoli pares erant, multumque operæ & temporis impen-

in hoc ratiocinio non omnia rite compoſita. Nam non procedit, quia in diebus profeſtis ex populo vix quisquam Templo adfuit, ergo, ubi ingens fuit populi conventus, neceſſe eſt fuerit dies ille feſtus, ſive Sabbathum quoddam. Extraordinarius enim populi conventus miraculo, mane Pentecoſtes patrato, ad Templum ſequentibus diebus profeſtis adactus & adductus eſſe potuit, nec aliud feſtum aut Sabbathum præſtolari debuiſſet populus. Salva tamen res eſt, eamque ex eadem cauſſa conficimus. Feſtum enim Pentecoſtes *unico tantum die* abſolvebatur. Erant *matutina*, erant eodem die *veſpertina* Sacra: *matutina* vero cum miraculo inſigniori facta fuiſſent admodum celebria, & miraculum hoc per omnium ora volitaverit, inſtarentque *Sacra veſpertina*, facili quisque augurabitur conjectura dicam, an certitudine, ad veſpertina confluxiſſe *omnes*, qui quicquam de miraculo illo reſciverant, neque diem aliquem ſequentem, feſtum, aut Sabbathum quoddam exſpectaſſe. Admodum igitur veriſimile eſt Pentecoſtis μονημερον die geſta eſſe, quæ cap. 2 & 3 narrantur. Aliam præterea rationem in ſeqq. adducam, quæ ſi quid video, alicujus momenti eſt.

pendebatur. Divinó autem Numine adflati, & forſan a ceteris Apoſtolis ablegati, *Petrus* & *Joannes*, ſub *horam precum*, Templum iterum ingreſſi fuerunt, heroica virtute in conſpectum Judæorum prodierunt, & res ſuas ſtrenue egerunt. Sequentia autem dilucidius rationes exponent, quare *matutinis Sacris Judæos* præcipue *exteros*, & *veſpertinis Judæos indigenas* interfuiſſe cenſeamus.

§. 8.

Aliud autem animadverte *diſcrimen* in *miraculis* mane & veſpera hujus diei conſpicuis, quæ congregato utraque vice populo omnium optime *congruebant*. Quomodo *donum linguarum peregrinarum* conveniret populo Judaico, ex omni ſub cœlo gente congregato, magis quam indigenis §§. 2. 5. vidimus; & notandum eſt, Apoſtolos ſermones ſuos ad peregrinos Judæos direxiſſe *linguis peregrinis*, licet hi, ſaltim plerique, linguam Hebraicam aliquatenus & Græcam plurimi intellexiſſe cenſendi ſint.(*) *Mi-*

(*) Conferri hic meretur Eruditiſſimus J. S. SEMLERUS in den Beyträgen bei Sieg. Jacob Baumgartens Erklärung des brieſes an die Hebræer/ Halæ 1763. 4. ubi quæſtionem, quanam in lingua Epiſtola ad Hebræos ſcripta ſit, diſcutit *pag*. 37. *ſqq*. & DIODATI in libro ante biennium *Neapoli* edito, *de Chriſto græce loquente*, qui liber in Belgio recudi meretur.

Miraculum autem *ſanationis claudi* indigenis Judæis magis conveniebat quam exteris, quia *claudus ille*, *quotidie ante fores Templi mendicans*, *iis probe cognitus erat c.* III. 2. 11. *c.* IV. 14. 16. 21. 22. neque Petro ac Joanni opus fuit, ut alia quam vernacula lingua cauſſam Jeſu Nazareni perorarent. Et congregatos *veſpera*, *alios* fuiſſe quam *mane congregatos*, ex eo confici poterit, quod *Petrus* & *Joannes* ipſis parum cogniti fuiſſe videntur, quodque Apoſtolos ſua ipſius virtute miraculum ſanationis claudi patraſſe judicaret turba congregata. Hoc vero neutiquam veriſimile videtur, ſi concioni matutinæ interfuiſſent, & Petrum ceterosque Apoſtolos audiviſſent magnalia Dei eloquentes, & ter mille hominum, obedientiam fidei verbis Petrinis præſtantium, conſpexiſſent.

§. 9.

Addo diſcriminis in *ipſis ſermonibus Petrinis* indicia. Ad *matutinum ſermonem* congregatos ex omni cœli regione *Lucas* laudat ut Ἄνδρες εὐλαβεῖς, viros religioſos. *Petrus* quidem in *matutino ſermone* Iſraelem adcuſat criminis homicidii in Jeſum Nazarenum commiſſi, ſed *generalioribus verbis c.* II. 23.; verum *gravius* Auditores ſuos in *veſpertino ſermone* hujus criminis adcuſat, dum eis ob oculos ponit, quam injuſte a

Pi-

νου, και εβαπτιζοντο ἐν τω Ἰορδανη ὑπ' ἀυτου, εξομολογουμενοι τας αμαρτιας αυτων κ. τ. λ. Quotquot vero baptismate Joannis tincti erant, *rebaptizati non videntur ab Apoſtolis.* Saltim nullibi occurrit mentio baptismi, credentibus Judæis indigenis ab Apoſtolis adminiſtrati, licet multi eorum ex numero & ex ipſis Sacerdotibus in Chriſtum crederent *Act.* VI: 7. Apoſtoli nullibi compunctos corde ita adhortantur ut Petrus *Act.* II: 38. *Μετανοησατε και βαπτισθητω ἑκαστος ὑμων ἐπι τω ὀνοματι Ἰησου χριστου ἐις ἀφεσιν ἁμαρτιων.* Quos baptizabant aut baptizari curabant, erant Samaritanorum aut Ethnicorum ex numero, aut qui à Joanne non erant baptizati *Act.* VIII, IX, X, XVI. &c. *Quid autem inde?* quæris? nihil aliud, ſi obſervatio hæc, ut opinor, ſolido fulcita ſit tibicine, quam quod *baptismus credentium, mane feſti Pentecoſtis adminiſtratus, haud contemnendum præſtet argumentum, credentes hos non fuiſſe ex Judæis indigenis, baptismo Joannis initiatis, ſed ex Judæis extraneis.*

§. 11.

Denique alias *diſcriminis* notas animadverto, quæ tamen ad aliquas tantum hujus diei *mane* & *veſperæ* circumſtantias reſpiciunt. *Numeri converſorum differunt*, tria millia *mane*, & *veſpera* quinquies millia Jeſu

Na-

Nazareno nomen ſuum dederunt. Convenit horum numerorum proportio Judæis & peregrinis & indigenis. Fateor quidem, effectus ſermonum Petrinorum Divinæ gratiæ omnino tribuendos eſſe, & nihil unquam gratiæ Divinæ contrarium inveniri poſſe, ſi ſumma Dei ſapientia, cujus viæ nobis ſunt imperveſtigabiles, vel plures ex exteris Judæis quam ex indigenis ad ſui in Chriſto communionem perduxiſſet; verum firmiter tenemus, gratiam Divinam ſumma adminiſtrari ſapientia, atque adeo ſecundum rerum convenientias operari. Jam plures procul dubio in Templo congregati erant indigenæ, tum cives Hieroſolymitani, tum incolæ Judææ, Galilææ & Decapolis, quam exteri Judæi. Illis enim templum erat proximum, nec itineris moleſtiis ita detinebantur ut exteri. Difficile autem eſt conjectura conligere, qualem produxerit effectum res miraculi plena, mane hujus diei geſta, apud indigenas, quibus ea non potuit non innoteſcere: num illi ſolito plures comparuerint in Templo, ut viderent ſimile aliquod miraculum, aut illud contradicendo eluderent; an vero pauciores ſolito, quia eorum forte multi exteros baptizandos ſequebantur. Utrumque enim veriſimilitudinis ſpeciem habet. Hinc huic non amplius inhæreo.

§. 12.

Alterum, quod indigito, *diſcriminis* momentum gravius eſt. Reſpicit eventum rerum mane & veſperi geſtarum, diverſum. *Judæorum Proceres mane* hujus diei nihil adverſi contra Apoſtolos tentaverunt, neque *Sacerdotes*, neque *Præfectus Templi*, neque *Sadducæi*, nullamque eisdem, licet tria animarum millia Evangelium recepiſſent & Apoſtolos ſequerentur, moleſtiam creaverunt; *veſpere* vero, ob miraculoſam claudi ſanationem, ſuarum duxerunt eſſe partium in Apoſtolos manum injicere, eosque cuſtodiæ tradere in poſterum diem, ad tribunal deducendos. Rationes ſi quærimus, quare matutinis in Sacris tale facinus non perpetraverint Judæorum Seniores, quale in veſpertinis; non crediderim, illis defuiſſe nocendi Apoſtolis voluntatem, conf. *Act.* IV: 2, nec metuendi cauſſam ipſis fuiſſe ullam, ſed exinde fuiſſe opinor, quod ſacris *non interfuiſſent matutinis*, utpote exterorum præſertim in uſum deſtinatis. Sacra autem *veſpertina* cum Judæis indigenis priva fuerint, uti ex ſequentibus adparebit, mirum non eſt, quod præſentes fuerint Seniores, & ſine mora doctrinæ Apoſtolorum & Evangelio reſurrectionis Jeſu e mortuis ſe obpoſuerint, obturando

ſi

ſi pote Apoſtolorum ora, & quidquam gravius in eos ſtatuendo, ne quod pertimeſcebant, malum, longius latiusque inter indigenas & exteros ſerperet.

§. 13.

Ubi vero dicta Lucæ *conveniunt*, ibi etiam præſidium cauſſæ meæ mihi videor inveniſſe. Conveniunt in recenſione converſionis ingentis Judæorum multitudinis, & ſtatus Eccleſiæ primitivæ. Lege modo *c. II.* 41–47. *&* *c. IV.* 32–37. Evangeliſtæ rationes ſonticas fuiſſe auguror, quare, quæ jam narraverat *de vinculo amoris fraterni & communione bonorum inter primos Chriſtianos* *c.* II. repetierit *c.* IV. Has vix alibi reperies quam in Auditorum Petri, quod ſtatuimus ad utrumque ſermonem, diſcrimine. Si verba *c.* II. ſpectaſſent ad Judæos indigenas, eorum pericopam commodius tranſtuliſſet *Lucas* ad *c.* IV: 32. ubi eadem fere repetiit, quod ab ejus more prorſus alienum, qui nunquam in inutilis repetitionis vitium incurrit. Abſolvamus eum hic quoque ab hoc vitio, & verba *c.* II. cenſeamus ſpectare ad Judæos extraneos, verba vero *c.* IV. ad Judæos indigenas pariter & exteros, quibus docet credentium indigenarum cum credentibus exteris fuiſſe *amicam*

& fraternam coalitionem, tam arctam, ut credentium utrorumque dicatur η καρδια, και η ψυχη μια *vſ*. 32. Huic phraſeos explicationi inſigne robur adcedit ex *Codice Cantabrigienſi*, qui dictioni illi immediate ſubjungit: και ουκ ην διακρισις εν αυτοις ουδεμια, quæ verba CYPRIANUS ita citat, *anima & mente una agebant, nec fuit inter illos diſcrimen ullum*, vel uti *Codex hic* habet in *Latina* verſione: *& non erat accuſatio in iis ulla*. AMBROSIUS vero ita: *& non erat ſeparatio in eis ulla*, ubi *ſeparatio* eſt χωρισμος Codicis *Laudiani*. Hanc conlationem aliasque, utiliſſima & laudanda omnino opera, inſtituit & adnotavit cl. Halenſium Theologus JOA. SAL. SEMLERUS in der Hermeneutiſchen Vorbereitung *Part*. III. *p*. 118. conf. Ill. J. D. MICHAELIS, Einleitung in die Göttliche Schriften des Neuen Bundes *T*. I. *p*. 446. Verba hæc quamvis procul dubio non ſint niſi *expoſitiones* quorundam Eccleſiæ *Patrum*, conf. DAN. WHITBY *Obſerv. Philol. Crit. ad varias Lectiones* JOA. MILLII *in N. T. p*. 201.; innuunt tamen, Patres illos cognoviſſe, inter Judæos ante earum converſionem tantum fuiſſe diſcriminis, ut ſe *mutuo adcuſaverint*, ſeque à ſe invicem *ſeparaverint*; nunc vero diſcordiam, adcuſationes & contentiones quin ſeparationem illam prorſus ceſſaſſe, & concordes in una fide ritibusque ſacris coaluiſſe

luiſſe. Diſpares vero Judæos fuiſſe, ex ſectis & placitis Phariſæorum & Sadducæorum adparet, & nullibi magis Apoſtolorum & ſequentibus temporibus diſcordiam reperies quam in *Rabbanitis* & *Karræis*, qui & hodiedum magnopere inter ſe diſſident. Eorum vero, qui converſi erant feſto Pentecoſtis die & ſequentibus, concordia & amor mutuus jure merito dici meretur του πληθους των πιςευσαντων η καρδια και ἡ ψυχη μια, quia nunc arctius fide in Chriſtum, quam antea errore, utrique parti communi, uniti erant.

§. 14.

Non abs re erit, quæ *Lucas c.* II. de *converſione exterorum*, *cœtusque hujus primi ſtatu primo* habet, brevibus illuſtrare, ut pateat quam commode hæc in eos quadrent. Quod *baptismo* initiati ſint, per prolepſin nonnulli accipiunt, quia fidem fere ſuperat, tot millia hominum hoc uno die baptizatos fuiſſe; alii baptismum per adſperſionem adminiſtratum fuiſſe autumant. His illisve ſi adcedimus, nullum adhuc ſententiæ noſtræ invenimus præſidium. Mox vero proferemus conjecturam, ex qua baptismus hic commodius explicari poteſt. Nec inficias imus, cetera de converſis quoque indigenis intelligi poſſe; in multis tamen hærebit aqua,

præſertim circa *communionem bonorum*, quæ minime præceptum eſt Evangelicum, de qua ſtatim. Multo vero clarior lux huic inſtituto & toti Pericopæ & ſeqq. *capp.* V. & VI. adfulget, ſi ſtatuamus magnam primorum Chriſtianorum partem conſtitiſſe ex converſis exteris. Non enim credibile eſt, hos, qui tranſacto feſti die domum reverti ſolebant, exorta Evangelii luce patrios ilico repetiiſſe lares, ſed potius *Hieroſolymæ per aliquod tempus commoratos fuiſſe, ut Apoſtolorum inſtitutione diutius frui poſſent.* Hoc procul dubio innuit Lucas, quando eos deſcribit ut προσκαρτερουντες τη διδαχη των Ἀποστολων; διδαχην autem recte doct. STECKIUS *Symb. Litter. Brem. T. III. p.* 149. de *ipſo docendi actu* explicat, ita ut indicet Evangeliſta, Chriſtianos hos perſeveraſſe in doctrina Apoſtolorum, nunc *hunc* nunc *illum* Apoſtolum audiviſſe docentes, ac ab illorum ore pependiſſe.

§. 15.

Κοινωνια optime explicatur per *communionem colloquii*, uti GROTIUS, vel juxta CAMERARIUM rectius per *conſuetudinem* & *ſocietatem*. Dicit ergo Lucas, hos ſub diverſis licet cœli regionibus natos, in ſocietatem tamen non ſolum coaluiſſe, conjungentibus ſe cum

eis

eis, quotquot pari modo credebant, urbis civibus, ſed etiam frequenter hinc illinc, hoc vel illo Apoſtolo præſente, conveniſſe. Κλασις του ἀρτου mihi *non* eſt S. Cœna, tametſi haud negaverim, hanc à prima Chriſtianismi origine frequenter a confeſſoribus celebratam fuiſſe, ſed quemadmodum phraſis, frangere cum aliquo panem, apud Hebræos adhibetur, *convivium*, *epulæ*, quod ab aliis abunde demonſtratum eſt; conferri ex multis meretur CASAUBONUS *adverſus Baronium*, *Exerc. XVI. vſ.* 38. Indicari itaque puto primos Chriſtianos in communione ſua *hinc illinc* frequentes inſtituiſſe epulas, ut mutui amoris teſſeras & ſymbola, cum quibus conjunctæ vel ex eis poſtea ortæ fuerunt Agapæ in ſubſidium pauperum. (*) Inprimis huic ſententiæ robur

(*) Pace Doctiſſimi CAROLI SEGAAR, clar. Græcarum Litterarum apud Trajectinos Profeſſoris, Literarum ejus amiciſſimarum ad me anno præterito datarum, quas magna cum voluptate legi, excerpta dabo, quia conſtructioni Græcæ lucem adfundunt egregiam, meaque rectificant & confirmant. Ita loquitur: „ Tangis locum *Act.* II: 42. Obſtat nonnihil „ illud κοινωνια ita ſimpliciter poſitum. III. „ GROTIUS exponit *communionem colloquii*, ſed „ minus

robur adcedit ex *vſ.* 46. ubi non tantum mentio ſit κλασεως του ἀρτου κατ' οἰκον, ſed &

„ minus opportunus locus, quem ad eam
„ notionem adfirmandam adducit; *Gal.* VI: 6.
„ ipſe Vir Summus eo cum deventum eſt,
„ aliter explicat. Magis adpoſite huc fece-
„ rit *cap.* VIII: 18. libri *Sapientiæ*. Quod
„ CAMERARIUS dedit, majori veriſimilitudine
„ ſeſe non adprobat. Arcte, ſi quid video,
„ cohærent κοινωνια & κλασις του ἀρτου ac
„ προσευχαις; expunctoque altero και, legen-
„ dum puto και τῃ κοινωνιᾳ τῃ κλασει του
„ ἀρτου κ. λ. Ita certe habent præſtantiſſimi
„ *Codices*, atque ſic legit *Vulgata*. Κοινωνια
„ quoque *dandi* caſum regit. *Verbalia* nomi-
„ na eadem paſſim gaudent conſtructione,
„ qua verba ipſa, unde derivantur. Ne plura
„ hic coacervem, remitto ad Summum WES-
„ SELING. ad *Herodot. l. VII. p.* 517. Apud
„ Latinos verbalia in *io* ita præ ceteris fre-
„ quentantur. Ex uno *Plauto* varia exempla
„ in medium protulit PAREUS in *Adpendice ad*
„ *Lex. Plaut.*; alia, eaque larga manu dabit
„ cl. OUDENDORP. ad *Cæſarem B. Gal. l. V.*
„ *c.* 48. 1. Duplex ita hic memoratur
„ κοινωνια, altera *fractionis panis*, altera *pre-*
„ *cum*. Præeuntem habemus SIMPLICIUM
„ VERINUM i. e. vero nomine cl. SALMA-
„ SIUM, *Epiſt. ad Julium Pacium. p.* 227. &
„ ex parte BEZAM ad *h. l.* Ceterum, quid
„ per fractionem panis à Luca intelligatur,
„ inquirere jam non vacat."

& indicatur, quod ex eo τροφην habuerint convivæ, & quomodo epulæ hæ celebratæ fuerint, de quo ſtatim. Sæpius quoque & ſtatis procul dubio temporibus ad *preces* convenerunt. Modo dixi haud inconſulto, *hinc & hinc* conveniſſe credentes ex extraneis ad audiendos Apoſtolos, ad ſocietates & colloquia, ad amicas epulas atque preces, quia haud probabile videtur *tria* hominum *millia ſimul* conveniſſe, omnesque *ſimul eidem conventui* ſemper interfuiſſe. Rerum, in quibus verſabantur, circumſtantiæ hanc ideam pati non videntur. Epulas has vero non ita commode nobis fingimus, ſi *converſos* intelligamus *ex indigenis & civibus*, qui ipſi *ſuas ædes Hieroſolymæ* habebant aut incolebant. Sed omnia prono fluunt alveo, ſi ſtatuas *indigenas* aliquos converſos *excepiſſe convivio & epulis credentes exteros*, qualem proinde *hoſpitalitatem* Paulus credentibus Hebræis tam ſerio commendat *Hebr.* XIII: 1, 2.; exteris quippe maxime neceſſariam, qui Hieroſolymæ *nulla* habebant domicilia, & poſtea ab hoſtibus interdictione aquæ & ignis utcunque vexabantur.

§. 16.

Quæ Lucas in ſequentibus enarrat, *conveniunt* cum eis, quæ *cap.* IV: 32. *ſqq.* le-

guntur; hinc *comparanda* ſunt. Non abludere a vero opinor, ſi ſtatuam verba *v.* 43. explicata & confirmata eſſe recenſione rerum geſtarum *cap.* III. *&* IV. & præſertim *v.* 33. Ratio vero, quare *hic* jam mentio fiat *initæ & quotidie renovatæ ſocietatis & communionis v.* 44. ex ſtatu credentium exterorum mihi videtur repetenda. Το ἐπι το αὐτο juxta THEOPHYLACTUM, citatum CAMERARIO, de *conjunctione animorum*, *mutuaque benivolentia & concordia* explicandum eſſe cenſeo, quemadmodum hæc formula de *conſentientibus* exſtat apud THUCIDYDEM *l.* 1. *c.* 79. ubi dicitur, ſententiæ conveniebant vel *conſentiebant* εις το αυτο, *in unum.* Credentes hi exteri primo ſe invicem conviviis excipiebant hinc illinc amicis, & excipiebantur a credentibus indigenis. Cum vero illi *longiores* procul dubio *moras* traherent Hieroſolymis, ſeque difficulter ab Apoſtolis & à ſe invicem divelli paterentur, nec in urbe, ubi ut hoſpites verſabantur, ſibi victum & amictum ſatis cito & commode comparare poſſent, *neceſſitas dein* poſtulabat, ut vacuis advenarum, quorum curta erat ſupellex, crumenis, ne ſingulis gravamini eſſent, divitiores advenarum, imo etiam credentium indigenarum, ſuſtentarent ceteros, atque divenditis facultatibus mobilibus & immobilibus, ubi opus erat; vitæ

neceſ-

neceſſaria communicarent, menſamque pararent κατ' οἶκον ſc. ἕκαστον eorum, qui ex indigenis in Chriſtum credebant. conf. loca *Rabbinorum* de *Hieroſolymitanorum hoſpitalitate erga adventantes ad feſta*, citata a LIGHTFOOTO ad *h. l. Opp. P. II. p* 607. Hac ratione ſi pragmatice hiſtoriam hanc intueamur, nobisque ſtatum primitivæ Eccleſiæ ob oculos ponamus, omnia erunt limpida. Ita *primam communionis bonorum* in ea *originem & naturam* reperimus, quæ alias haud parum difficultatis habet; non enim ex mandato amoris erga proximum mutui directe profluit, niſi temporis circumſtantiæ eandem poſtulent. Hoc modo omnes *Anabaptiſtarum*, aliorumque *Fanaticorum* & *Separatiſtarum* errores de *communione bonorum*, ex oſcitante hujus loci lectione ortos, uno ictu profligare poſſumus, (*) quos ex aliis quo-

(*) Incredibilis inſaniæ circa communionem bonorum exemplum ex tragica *Anabaptiſtarum Monaſterienſium* hiſtoria refert JOA. SLEIDANUS, hiſtoriographorum Reformationis princeps, ex quo, quousque Apoſtolos & inprimis Petri exemplum Act. V. I. — præpoſtero zelo imitati fuerint novi Prophetæ, videre eſt, *Comment. de ſtatu relig. & reip. Carolo V. Cæſare Edit.* rariſſimæ, per librarium *Wendelinum Richelium* curatæ 1555. 8. quam poſſideo, pag 230[b]. *Ad hoc tempus*, inquit, *primi nominis apud ipſos propheta, nam hoc ſibi nomen uſurpant*,

quoque rationibus optime confudit S. R. MOSHEMIUS, *Cogitat. in N. T. locos ſelectiores c.* VI. Divitiores autem ex *extraneis* bona ſua hunc ad uſum lubentes contuliſſe fidem facit nobile *Joſes Barnabæ* facinus; erat enim *Levita ex Inſula Cypro c.* IV: 36, 37.: & ex *indigenis* divitiores idem auxilium præſtitiſſe, hiſtoria *Ananiæ c.* V. 1– Immo hiſtoria *exortarum poſtea querelarum, & expoſtulationum Græcorum contra Hebræos c.* VI. 1– docet, hanc communionem præſertim ad *alendos Græcos* votis communibus, vel potius ex beneficentia & amore fraterno introductam fuiſſe, ac quando multi extranei in patriam reverſi fuerunt, inſtitutum fundum alendis ſine diſcrimine pauperibus Chriſtianis inſerviiſſe. Nemo quoque dubitare poteſt, initia laudabilis hujus inſtituti inſignes habuiſſe progreſſus, cum juxta *cap.* III: 4. ex indigenis vel *quinquies millia* cum cre-

pant, Joannes Matthæus, mandabat, ut quod quisque haberet auri, argenti, rei mobilis, id omne deferret in medium, capitis propoſita pœna, & in hunc uſum publica fuit conſtituta domus. Hac edicti ſeveritate populus valde attonitus obtemperabat; nec integrum erat cuiquam fallere aut partem aliquam defraudare; nam puellæ quædam duæ vaticinantes, quod commiſſum eſſet fraudis, denunciabant; neque vero ſua tantum illi conferebant, ſed eorum etiam, quos ejecerant, facultates in ſuos uſus aſſumebant.

credentibus exteris unam profiterentur fidem. Quod ad rem ipſam, vel *jus communionis bonorum*, conferri meretur cl. JOA. NELANDRI Diſſ. *de communione primæva per caſum neceſſitatis reviviſcente*, *Londini Goth.* 1751.

§. 17.

Admirandam igitur hic conſpicimus primorum Chriſtianorum frugalitatem, animique rectitudinem erga ſe invicem, ex mutui amoris glutine profectam & paratam. Hinc notandæ omnino ſunt ἀγαλλιασις και ἀφελοτης καρδιας, quibus cibum quotidianum ſumebant. *Gaudium* ex conlatis Dei beneficiis & mutuo amore animorumque concordia natum, magnum erat. *Simplicitas* autem *cordis* varium ſignificatum patitur. Nonnulli eam ita interpretantur, ac ſi *nulli de tenuitate victus quererentur*, ſed contenti eſſent rebus præſentibus, quemadmodum ἀφελεια interdum ſumitur de *tenuitate victus*. Inde ETYMOLOGICON M. λεγεται δε ἀφελης και ὁ ἐυκολος, ἐν ἀν τις ἑλοι δια την ἐυκολιαν. HESYCHIUS explicat: ἀσινης, καθαρος, ὁλοκληρος, ὁ μητε πλεοναζων, μητε δεων τι του σωματος. κ. λ. Poſſet ita *puritatem cordis* denotare, qua animus non modo ab omni calliditate, ſed & ab impuris cupiditatibus præſertim ab *Avaritia* remotus eſt. Malſem tamen eam intelligere de *ſimplicitate*

animi

animi & morum, *a qua omnis abeſt calliditas*, vel de *bona utcunque fide*, plane uti talis animi ſimplicitas ſervis injungitur *Eph.* VI: 5. *Col* III: 22, ubi quidem eſt απλοτης, attamen etiam αφελοτητι convenire videtur, ita ut omnes æque libenter darent aut acciperent. Et notandum eſt, ἁπλοτην quoque adhiberi de *liberalitate* erga pauperes, ex *libero hilarique animo* profecta, illique πλουτον tribui 2 *Cor.* VIII: IX: 13. conf. JACOBI BRUCKERI, Viri præclari & erudititiſſimi *Biblia Germanica N. T. T. VII. ad h. l.* Et ſi hæc non adrideant, cogita de *ſimplicitate cordis*, *quæ omnem animi faſtum reſpuit*, & habebis quæ hic omnium optime quadrant. Saltim το αφελως ita uſurpatur apud ÆLIANUM, & quidem de epulis, *V. H. l. II. c.* 18. & *l. IV. c.* 9. E re erit poſtremum locum, quem apud Philologos ad *h. l.* haud adnotatum deprehendi, quum egregie convenit, hic infra exſcribere. (*) Convenit quoque hæc explicatio *Scholiis*, quæ ex *Codicibus MSS Coiſlinianis* Vir celeber. JOA. ALBERTI, Theologus quondam Lugdunenſis, edi curavit in *Adpendice ad Gloſſarium Græcum N. T. p.* 210. Ita ſe habent: Ἀφελοτητι, ἀντι του, ἐν ταπεινωσει και ἐυτελεια, μηδε

(*) Πλατων δ' Ἀρισιων ἐν Ὀλυμπια συνεσκηνωσεν ἀγνωτοις ἀνθρωποις, και αὐτος ἀν αὐτοις ἀγνως. Ουτως

μηδε ὑψηλον φρονουντες, ἐφ' αἱς ἐπραττον ἀγαθοεργιαις και ἐλεημοσυναις, ὁπερ μαλιςα ἠν Ἰουδαικον, ὡς ἀπο του καυχωμενου Φαρισαιου δηλον. *Cod. Coiſlin. XXVI.* Et ipſe Vir ſummus citat *Act.* II: 46. & ad mentionem Phariſæi, faſtu turgidi *Luc.* XVIII: 11, 12. Juxta hanc notionem edebant & bibebant cum

Ὀυτως δε αὐτους ἐχειρωσατο, και ἀνεδησατο τη συνουσια, συνεστιωμενος τε αὐτοις ἈΦΕΛΩΣ, και συνδιημερευων ἐν πασιν, ὡς ὑπερησθηναι τους ξενους τη του ἀνδρος συντυχια. *Plato, filius Ariſtonis, Olympiæ cum ignotis hominibus, ignotus iis & ipſe, contubernium iniit. Ita vero eos cepit & ſibi devinxit convictu illo, cibum cum eis ſumens* SIMPLICITER, *& totos dies in omnibus rebus ſimul exigens, ut peregrini majorem in modum gauderent fortuito Viri illius contubernio.* Et paullo poſt, cum dixiſſet ſe Platonem eſſe, Socratis diſcipulum, ita pergit: Ὁι δε ἐξεπλαγησαν, ει τον ἀνδρα ἐχοντες μεθ' ἑαυτων τον τοσουτον, ἠγνοησαν, ἈΤΥΦΩΣ αὐτου συγγινομενου και ΑΝΕΠΙΤΗΔΕΥΤΩΣ αὐτοις, και δειξαντος, ὁτι δυναται και ἀνευ των συνηθων λογων χειρουσθαι τους συνοντας. *Illi vero obſtupuerunt, quod penes ſe tantum virum habentes, ignorarint, quum ipſe* SINE FASTU ET OSTENTATIONE *ulla cum eis egiſſet, & ſpecimen dediſſet, poſſe ſe etiam absque conſuetis ſermonibus conciliare animos eorum, qui ſibi adeſſent.* Dilucide priora ex poſterioribus explicanda ſunt, hinc ἀφελως eſt ἀτυφως ſine faſtu, & ἀνεπιτηδευτως.

cum pauperibus, vilioris conditionis hominibus & extraneis, divitiores quoque & indigenæ, immo Seniores quidam converſi, qui licet eorum *propria bona* fuiſſent, quæ in communem uſum conceſſerant, ſibi tamen nihil magis tribuebant quam ceteris, neque ulla arrogantia pauperes deſpectui habebant. Expreſſe hoc dicitur, & hæc eorum ἀφιλοτης cordis, ex factis conſpicua, explicatur *c.* IV: 32. και ὀυδε ἑις τι των ὑπαρχοντων ἀυτω ἐλεγεν ἰδιον ἑιναι, ἀλλ᾽ ἠν ἀυτοις ἁπαντα κοινα. Et forte *Petrus* huc quoque reſpexit, quando *Ananiam* reprehendit, oſtendens omnia ejus bona in *ſua poteſtate ſuique juris* fuiſſe, verum eisdem ſemel communem in uſum conlatis, nihil ipſi amplius *juris* ſuperfuiſſe reliquum, partem aliquam retinendi, eumque præterea Spiritui S. mentitum fuiſſe *c.* V: 3, 4. Subponit igitur aſſeruiſſe *Ananiam*, ſe omnem ex vendito agro proventum ad pedes Apoſtolorum depoſuiſſe, nullumque ſibi reſervaſſe jus in minimam proventus ejus partem. Ὀυχι μενον, σοι ἐμενε και πραθεν ἐν τη ση ἐξουσια υπηρχε conf. *v.* 8. (*). Fortaſſis

(*) Ad hanc vocem ad me ſcribit laudatus SUGAAR in *Epiſt. cit. Ad priorem, quam indicas vocis ἀφιλιας ſignificationem, duo habe loca* ATHENÆI,

taſſis *Jacobus Ep. c.* II: 1–3. diſperſos converſos ex Judæis ad hanc *ſimplicitatem* revocare ſtudet; & *Paulus* huc reſpicit, quando Corinthiorum ἁπλότητα τῆς κοινωνίας εἰς πάντας laudat 1 *Cor.* IX: 11, 13. qui ſc. hoc ſenſu ad ſuſtinendam κοινωνίαν *ſine oſtentatione* bona ſua abunde conferebant. Et ſic vel ipſi Apoſtoli, qui dono miraculorum illuſtres, quam maxima pollebant auctoritate, edebant & bibebant *ſine ullo faſtu aut oſtentatione*, &, uti eos decebat, τῇ ταπεινοφροσύνῃ ſtudebant aliorum ad exemplum; quemadmodum hanc morum ſimplicitatem in communione credentium, quæ faſtu turgidorum & ſolipſorum rumpi vel maxime ingrata reddi ſolet, Pau-

…NÆI, alter eſt C. IV. p. 142. C. …… *ἀφελής, alter isque egregius l. VI. p. 274. A. ubi a Poſidonio in priſcis Romanis laudatur τῶν …ων ὑπὸ τῆς κτήσεως ἀφελὲς καὶ ἀπερίεργον χρήσεως, paulo poſt ibi etiam jungitur ἀφελῆ καὶ λιτά. Quod ad poſteriorem, quam jure merito hic præfers, notionem, ea ſpectant ultima apud* ETYMOLOG. *loco a te laudato. Apud* LUCIANUM *ita T. I. p.* 210, 30. ἀφελὴς καὶ ἀπλοϊκὸς. PLUTARCHUS *T. II. p.* 755. *D.* εἰ μὴ φύσει τὸν τρόπον ἁπλοῦς ἦν καὶ ἀφελής. *Sic &* ÆLIANUS *aliique,* CLEMENS ALEXANDR. *Pædag. l. I. p.* 107. 32. παῖδες ἐν συνήθως οἱ Θεὸν μόνον ἐγνωκότες πατέρα, ἀφελεῖς καὶ νήπιοι καὶ ἀκέραιοι. κ. λ. *atque ita ille ſæpius.*

Paulus commendat, *Phil.* II: 3, 4. Inde quoque, ceteris paribus, derivandum eſt, quod primus Chriſtianorum cœtus mutuo ſuo amore & concordia omnium fere ex omni gente animos ſibi conciliaverit, & Eccleſia quotidiano augmento adcreverit v. 47.

§. 18.

Verum redeamus ad cauſſam, quam tractamus principalem. Inſigne, fateor, nobis moveri poteſt *dubium ex ipſa feſti Pentecoſtes ſolemnitate*, ex qua *Judæi* omnino *omnes*, *exteri & indigenæ* Sacris hujus diei intereſſe debebant in templo; in templo, inquam, quia eis pollicem premimus, qui putant Apoſtolos, quando Spiritus S. ſuper ipſos effundebatur ex alto, congregatos fuiſſe in aliquo Templi conclavi. Dici poteſt: *nulla adparet ratio, quare mane feſti hujus diei ſtatuamus Judæorum exterorum plurimos Sacris Templi interfuiſſe, paucos vero indigenarum, aut multo plures exterorum ſtatuamus adcurriſſe ad auditam φωνην, ſonitum vehementem ſc. ἠχον, ὥσπερ φερομένην πνοην βιαιαν, quam indigenarum & civium*, præcipue cum ſonitus ille aures *omnium, etiam indigenarum*, ferire, eorumque adtentionem excitare poſſet ac deberet, quia utrorumque magni intererat.

Non

Non diffiteor haud leve ex his oriri dubium, & objectio hæc revera ſpeciem habet haud contemnendam. Videamus an eandem commode ſolvere queamus? Dari ſi poterit ratio pluralitatis Judæorum exterorum in Sacris matutinis, evictum jam erit, nihil ſententiæ noſtræ ineſſe abſoni. Si præterea probare poſſumus tempore conventus Apoſtolorum, extraneos præſertim Judæos Sacris Templi matutinis potuiſſe quin debuiſſe intereſſe & revera interfuiſſe, novum pro ſententia noſtra exinde emergit argumentum, idque *quintum*.

§. 19.

Quod ad *prius*, notamus *primo*, quam maxime probabile eſſe, Judæos extraneos conclave ipſis deſtinatum habuiſſe in Templo, unum vel plura, ubi ſe congregabant, non procul a conclavi, quo Apoſtoli cum diſcipulis congregati erant, cumque hi linguas loquerentur peregrinas, eos ad Apoſtolos adcurriſſe. Nec caret ratione probabili, Apoſtolos ſe congregaſſe in Templo, *ubi* Judæi extranei convenire ſolebant, ut ita a Judæis indigenis, quorum aliqui hos illosve cognoverant, ſeparati promiſſionem Spiritus S. exſpectarent; vel ipſo Chriſto ſuaſore & auctore, utpote qui prædixerat eos dono

linguarum peregrinarum inſtruendos eſſe conf. *Matth.* XXVIII: 19. Verum, *ſecundo*, veriſimile eſt datas fuiſſe, *ordinis ſervandi cauſſa*, tam extraneis quam indigenis Judæis, diebus feſtis, *ſingulares comparitionis in Templo vices*, ita ut *alteri ſuccederent alteris.* Hac ratione *ſcriptores* HISTORIÆ UNIVERSALIS *Anglici* occurrunt difficultati, quomodo atria Templi complecti potuerint multitunem 2, 565, 000. hominum, quam *Ceſtius* Neroni, Romanorum Imperatori, ex 256, 000. agnis paſchalibus confectam indicabat, juxta JOSEPHUM *de Bello Jud. l VI. c.* 9? ſtatuendo *catervatim alteros ſucceſſiſſe alteris*, quam rationem calculo ſuo adprobare videtur S. R. JOA. DID. WINCKLERUS, Theologus cum maxime Hamburgenſium Doctiſſimus, in Bibliſchen Exegetiſchen Unterſuchungen P. III. p. 94, 95. Qui vero huic computo adſtipulantur, hoc minus, quam protuli rationem, repudiabunt, ſi cogitant, eo ipſo omnibus, quæ inter indigenas & extraneos Judæos oriri potuiſſent, litibus & ſimultatibus obicem poſitum fuiſſe, nec id potuiſſe fieri aptius.

§. 20.

Argumentum novum, ſc. *Sextum*, ſubpeditat pro ſententia noſtra alia reſponſionis ad

ad præcedens dubium ratio. Notum eſt memorabile *Rabbanitas inter & Karræos diſcrimen*, cujus antiquitatem jam ante Joannis Hyrcani tempora probatum iverunt, ejusque rationes optime enucleaverunt JAC. TRIGLANDIUS in *Syntagmate de Sectis Judæorum P.* II. & BASNAGE *hiſt. Jud. Continuatione poſt Joſephum L.* II. *c.* XVI, XVII. Quomodo differebant in celebrando feſto Pentecoſtis laudatus *Triglandius*, JO. MEIERUS *de temporibus & feſtis S. Judæorum p.* 299, 300. CONR. IKENIUS, Præceptor & Anteceſſor meus in muneribus Bremæ obitis, cujus memoriam nunquam non venerabor, *aliique* expoſuerunt. Lubet quæ laudatus *Ikenius* in compendium redegit, hic deſcribere *Antiq. Hebr. p.* 135. „Tempus, feſto Pentecoſtis deſtinatum, „ erat dies quinquageſimus ממחרת השבת „ *a craſtino vel poſttriduano Sabbathi Lev.* „ XXIII; 15. ita ut inde ab hoc die integræ „ ſeptem hebdomades ſeu XLIX. dies nu„ merarentur, & ſequens quinquageſimus „ eſſet feſtus. Cum autem in explicatione „ vocis שבת inter Rabbanitas & Karræos „ non convenit, dum *priores* per illam *pri*„ *mum Paſchatis diem*, *poſteriores* autem „ *proprie dictum Sabbathum* intelligunt, hinc „ ſecundum hos ſemper in primum hebdo„ madis diem, ſecundum illos autem in „ eundem, quo quinquaginta diebus ante,

„ manipulus hordeaceus in templo oblatus „ erat, inciderat. Quoties autem primus „ dies Paſchatis fuiſſet Sabbathum, utrique „ in tempora feſti Pentecoſtis conveniebant, „ id quod primo a Chriſtianis celebrato & „ Sp. S. effuſione nobilitato *Act.* II: 2. „ accidiſſe exiſtimamus. Ubi tamen non„ nihil inſuper diſcriminis faciebat, quod „ Rabbanitæ more ſuo diem a veſpera præ„ cedente, Karræi a tempore matutino „ numerare inciperent" conf. EJUSDEM Viri Celeb. Diſſertat. eruditiſſimas *de tempore celebratæ a Servatore ultimæ cœnæ paſchalis, prioris p.* 53. *poſter.p.* 19, 20. Non lubet jam anxie inquirere, an utrique Traditionarii & Scripturarii, quoties primus dies Paſchatis fuiſſet Sabbathum, in tempore feſti Pentecoſtis convenirent. Credimus hoc *Viro in Antiquitatibus Sacris vere magno*, ut & *Rabbanitas* more ſuo diem a *veſpera* præcedente juxta leges diei Judaicæ inchoaſſe, *Karræos* vero computum diei *a tempore matutino* vel *a tempore oblati manipuli* inſtituiſſe. Ita enim B. ELIAHU, *Karræus*, apud TRIGLANDUM *l. c. p.* 29. *Ceterum ſapientes Iſrael eo tempore, quo numerabant* (dies Pentecoſtis,) *ſcindebantur in duas partes. Una erat opinio doctorum Kabbalæ, qui docebant eſſe conſentaneum, ut numerandi initium fieret* a veſpera; *eodem modo quo dies in lege a veſpera ad veſperam*

ram computantur: Altera erat ſapientum Scripturæ, qui ſtatuebant convenire, ut numerarent a mane; *quoniam initium erat ſumendum a die oblationis manipuli, quem offerebant* mane, *habita ratione dierum ſacrificalium, qui procedunt* a mane usque ad mane – – UTIQUE SAPIENTES NOSTRI CONSUEVERUNT NUMERARE A' MANE, EO TEMPORE QUUM OFFEREBATUR MANIPULUS. Et *Samaritani* eodem modo numerabant. Mentem ſuam hoc modo exprimunt in *Epiſt. ad Anglos*, citata a cel. RELANDO *Diſſ. Miſc. VII. p.* 92, 93. *Numeramus quidem* 50 *dies* A CRASTINO SABBATHI, *quod ſit aliquis ex ſeptem diebus feſti Azymorum ad usque craſtinum Sabbathi ſeptimi pro ſolennitate feſti meſſis, quando etiam feſtum celebratur apud montem Garizim juxta ritum feſti Azymorum. Haudquaquam vero cum Judæis* (cel. *Relandus* addit, debuiſſent excepiſſe Karæos) *Pentecoſten computamus* A CRASTINO *convocationis Paſchalis.* Ita etiam *in Epiſt. I.* ad SCALIGERUM: *Numeramus* 50 *dies poſtridie Sabbathi, quod unum eſt e ſeptem diebus azymorum. – – ſed Judæi numerant a craſtino ſolennitatis Paſchalis.* conf. IKENII *diſſ. poſt. cit. p.* 17, 18. & ED. BERNARDI notas *ad Joſephi Antiq. Jud. l. III. c. X. edit Haverc. p.* 178, 179. Jam vero *Karræi* feſtum Pentecoſtes à diluculo ejusdem diei celebrabant, cujus veſpera *Rabbanitæ* feſtum hoc inchoabant.

Adplicemus hoc Pentecoſtis primævæ Eccleſiæ feſto, *Mane* congregati erant Servatoris diſcipuli ad celebrandum feſtum Pentecoſtis, qui exemplum Magiſtri & Scripturariorum ſequi ſolebant. *Mane* Judæi exteri comparuerant eundem in finem in templo, hinc placita Karræorum recepiſſe cenſendum eſt. Hoc magis adhuc veriſimile videtur, quoniam Judæi exteri, diſperſi quaquaverſum, traditionibus haud corrupti erant, ſed ſcripturas Moſis & Prophetarum ſcrutabantur ſedulo, præſertim quum *Joannes Hyrcanus* favebat Karræis, poſtea demum a Phariſæis acerbe vexatis & ſæpius excommunicatis, uti hæc Viri laudati TRIGLANDIUS & BASNAGIUS *ll. cc.* fuſius expoſuerunt, & breviori penicillo cel. IKENIUS in *Symbolis Littar. Brem. T. I. p.* 350. *Indigenæ* vero *maximam partem Rabbanitæ erant*, quos idcirco ſtatuimus *veſpera hujus diei* ad celebrandum feſtum in templo conveniſſe. Hæc ſi firmo ſtant talo, in aprico poſitum eſt, quare exterorum plurimi, ex omni populo ſub cœlo, *matutino tempore* cum Apoſtolis in templo comparuerint, indigenarum vero pauci, non niſi qui partibus Scripturariorum addicti erant. Addo *Analogiam feſti Paſchatis* rationi huic conſentaneam eſſe, quia Servatorem feſtum hoc ex more Karræorum cum diſcipulis uno die citius celebraſſe optime evicit

lau-

laudatus IKENIUS *Diſſ. cit*. Sufficiant hæc ad demonſtrandum celebrationem feſti Pentecoſtalis μονημερον, univerſum populum obligantis, ſententiæ noſtræ haud contrariam eſſe, quin potius eandem ex diverſis ſectarum harum ritibus magis corroborari Unicus itaque cum fuerit hujus feſti dies, facile conligi poteſt, inſignem huic feſto interfuiſſe populi *multitudinem* το πληθος *c*. II. 6. quæ *tota gens* πας ὁ λαος vocatur *c* III: 9, 11. Hinc nihil jam addo niſi quod me vehementer falli putem, aut cel. *Ikenium*, ſi *Viro b.* ſuperius evicta legere contigiſſet, non niſi cum reſtrictione ſcripturum fuiſſe *Diſſ. cit. p*. 20. *In tota relatione Lucæ Act*. II. *nullum vel minimum veſtigium occurrit, unde colligas Judæos tum temporis diverſis diebus feſtum Pentecoſtis egiſſe, ſed potius omnia ſunt comparata, ut cogitari debeat totam gentem, & cum ea quoque diſcipulos in tempore feſti hujus conſpiraſſe*. Conſpiravit utique tota gens in die feſti hujus Pentecoſtis, hoc tantum diſcrimine, quod Diſcipuli cum Karræis illud egerint *mane*, ceteri autem *ejusdem diei veſpera*. Ita ſententiæ *Ikenianæ* de *tempore celebratæ a Servatore ultimæ cœnæ Paſchalis*, mea quidem opinione, non leve præſidium adtuli. Vidiſſe hic quidquam ſuſpicamur LIGHTFOOTUM, *l. c. p*. 692, 693. dum dubitat, num Sp. S. effuſus ſit in

 diſci-

diſcipulos ipſo Pentecoſtis die? & rationes dubitandi adfert, ſed in *alia omnia* abit, quæ examinare nunc non lubet, nec digna judico.

§. 21.

Sententiam meam de rebus primo Pentecoſtis Chriſtiani die geſtis dixi, eamque ex Lucæ narratione *Act.* II, III, IV. pragmatice erutam quantum pote adſtruxi. Reſtat ut oſtendam, obſervationes has haud eſſe nullius nauci, ſed ſe utilitatis pretio commendare. Originem *communionis bonorum* in primo Chriſtianorum coetu jam indicavimus §. 16. eamque ex Judæorum extraneorum diuturniore Hieroſolymis commoratione, dum illorum neceſſitatibus proſpiciendum erat, derivavimus. Aliud adhuc commodum præſtant. Lucem enim adcendimus *baptismo ter mille converſorum*, de quo quæritur, quomodo is peragi potuerit ab Apoſtolis. Notum eſt, quam mire ſe torſerint Interpretes in explicando hoc baptismo, dum alii eum in Templo per adſperſionem adminiſtratum fuiſſe contendunt, alii vero, rectius omnino, verba hæc de baptismo per prolepſin accipienda eſſe ſtatuunt. Verum admiſſa ſententia, §. 7. expoſita, nullus in verbis Evangeliſtæ de baptismo conver-

ſorum

ſorum nodus eſt. Si enim Judæi indigenæ *veſpera tantum feſto Pentecoſtis* interfuerunt, illudque feſtive celebrarunt, Apoſtolis utique, qui *mane hujus feſti* ſacra peregerant, & Evangelium Chriſti exteris Judæis adnunciaverant, volupe fuit, *hoc ipſo die & ſequentibus, nemine conſilia eorum turbante, Hieroſolyma cum credentibus exteris exeundi, eosque aquis Jordani aut aliorum rivorum immergendi.* Judicent eruditi! ſed neceſſe eſt, ſibi acta hujus diei omnesque circumſtantias coram repræſentent, neque nimium temere tribuant ſententiæ vulgari, qua gratis ſtatuitur, ter mille baptizandos aqua tantum adſperſos fuiſſe, & quidem in Templo, præſente Judæorum adverſariorum ingenti numero, quem aliquando *in feſto Pentecoſtes* congregatum JOSEPHUS *Antiq. Jud. l. XVII. c.* 10. *pag.* 855. dicit μυριαδες ανθρωπων πανυ πολλας, & *de bello Jud. l. II. cap.* 2 *pag.* 152. πληθος απειρον. Quis talia cogitaverit, niſi qui quadrata cum rotundis conciliare valet.

§. 22.

Verum enimvero maxime intereſt, ut ſummi Numinis vias in fundanda Eccleſia Novi Fœderis reverenter contemplemur. Eas nimirum reperimus in demonſtratione Sapientiæ & Juſtitiæ & Bonitatis ſuæ utcunque

que analogas. Quare, quæſo, Apoſtoli *omnium primo ad Judæos exteros* miſſi erant ad adnunciandum iisdem Evangelium reſuscitati & in cœlos evecti Servatoris, & hunc in finem donis Spiritus Sancti & præcipue dono linguarum inſtruebantur, *præteritis ad breviſſimum tempus Judæis indigenis?* In *hos* quippe aliquo modo animadvertere debuit Juſtitia Divina ut indignos, qui omnium primi illuſtrarentur luce præconii Evangelici & gratiæ ſalutaris, quia Dominum gloriæ infami crucis ſubplicio interfecerant, omniaque ejus ſigna & miracula flocci penderant; dum *illi* hujus criminis quoad ſe ipſos expertes erant, neque illud eis poterat imputari, niſi quatenus populo Judaico adſcripti erant; ſed cognito de Jeſu doctrina, paſſionibus, morte & reſurrectione rumore, ſe Hieroſolymam contulerant, ut his de rebus certiores redderentur §. 3. Chriſto modo nato eadem *illi* prærogativa gaviſi fuerant præ indigenis. Et quam ob rem? Procul dubio *ſapientes Judæorum in Oriente*, Magi dicti, ſigna temporum de oriundo Meſſia, Rege Iſraëlis, inveſtigaverant; ſignificabatur idcirco illis in ſomnio ſignum beneplaciti Divini, ſignum Orientis Divinitus ſtellæ, τῆς Ἀνατολῆς ἐξ ὕψους; dum *horum* maxima & præcipua pars, gravi & ſordido ſorpens veterno, non niſi hujus ſeculi divitiis inhiabat,

hiabat, aut multifario eoque inutili labore juſtitiam ſuam ſectabatur ex operibus legis, & hoc ipſo tempus adventus Meſſiæ inveſtigare & dijudicare neglexerat. Sic *ultimi* qui exiſtimabantur a Judæis indigenis, evaſerunt *primi*, & eis qui ſe *primos* omnium habebant, anteverterunt.

§. 23.

Aliud adhuc hæc ter Optimi Numinis conſilia in receſſu habent. Adductis ad fidem Chriſtianam Judæis exteris, qui ipſi miraculorum tam auriti quam oculati teſtes fuerant, præparabatur via ad præconium Evangelii inter omnes ſub cœlo gentes propagandum. Præciſus hac ratione erat omnis falſus de Chriſto ejusque doctrina rumor, quem pro more diſſipare minime neglexiſſent Judæi indigenæ apud exteros. Nunc enim credentes ex exteris, cum patrios denique lares repeterent, fidem Chriſtianam popularibus ſuis adnunciare poterant, ita ut Judæi, quaquaverſum diſperſi, certa hac minimeque dubia luce illuminabantur. Hoc factum fuiſſe teſtantur *Acta Apoſtolorum*, *Epiſtolæ Petrinæ*, ſaltim *prior*, & *Epiſtola Jacobi* ad *diſperſos hos Judæos converſos* directæ. Hinc poſtea facile fuit *Evangeliſtis* aliisque miniſtris, in has diſſitas oras miſſis Evan-

Evangelium adnunciare non ſolum Judæis exteris, ſed etiam gentibus. Præter Joannem autem & poſt Paulum ac fortaſſis Thomam, ullum Apoſtolorum peregrinatum fuiſſe in regiones præter Samariam exteras, difficile probatu eſt. conf. S. R. MOSHEMIUM *de rebus Chriſtianorum ante Conſtant. M. p.* 84. *ſq.*

§. 24.

Prætereo quæ de hoſpitalitate primorum Chriſtianorum, eorumque mutuo amore & animorum concordia, aliorum omnium in exemplum notari poſſent, ut ſatis nota & obvia. Ex iis tantummodo decerpo memorabile mutui amoris & concordiæ exemplum inter Rabbanitas & Karræos, ſectas Judæorum ſemper altercantes, ſeque mutuo odio proſequentes, ac viciſſim excommunicantes. Unicus hic Pentecoſtes dies diſſidentes hos amoris mutui glutine arctiſſime jungebat, ut in unum corpus coaleſcerent. Serio inimicitiis omnibus valedicebant, & fraternis ita conſtringebantur amoris vinculis, ut eorum eſſet ἡ καρδία ϗ ἡ ψυχη μια. Mira καταςροφη! Sed *unde repetenda eſt? & quousque coaluerunt diſſidentes hi Judæi, facti Chriſtiani?* Nemo ſanus crediderit, ad componenda diſſidia hoc tempore inſtitutas fuiſſe Diſpu-

Diſputationes, aut in Conloquiis quibusdam ventilatas fuiſſe quæſtiones, de quibus jam dudum magna opera rixati fuerant; nam præterquam quod Diſputationes & Colloquia huic diei Pentecoſtes neutiquam conveniant; ab omni ævo docuit experientia, hæc plerumque diſcordias alere & acerbare. Verum procul omni dubio mutuus eorum amor & concordia originem ſuam debet ſoli convictioni momentoſiſſimæ & palmariæ illius veritatis, per Evangelii præconium demonſtratæ, Jeſum Nazarenum verum eſſe Meſſiam, & unicam pro peccatoribus victimam & vadem, quodque Eum Deus conſtituerit in Dominum Univerſi & Chriſtum; in quo ſolo omnis credentium ſpes & unica ſalutis anchora reſidet. Ubi enim Chriſtiani revera in fide & amore Chriſti conſpirant, ibi etiam Spiritu amoris mutui ducantur neceſſe eſt, & primaria eorum virtus erga proximum conſiſtit in amore fraterno ΕΙΣ ΑΛΛΗΛΟΥΣ και ΕΙΣ ΠΑΝΤΑΣ 1 *Theſſ.* III: 12. V: 15. 2 *Pet.* I: 7. *Phil.* II: 1-4. Ex his vero, ut opinor, ſatis adparet, quousque coaluerunt. Non crediderim primos Chriſtianos omnes ſemper *idem in omnibus* ſenſiſſe aut locutos fuiſſe, aut mutuam animorum concordiam ſuſtuliſſe ſentiendi libertatem in eis, quæ ab Apoſtolis, Spiritu adflatis falli neſcio, nondum erant defi-

definita. Primaria, quam indicavi, veritas unionis quaſi *centrum* erat, quam ſinguli receperant, nec ab ea ſe divelli patiebantur; cetera minoris momenti habebantur, quatenus illam non labefactabant. Hanc firmiter tenebant & qui *Karræorum* & qui *Rabbanitarum* placitis innutriti fuerant, nec ſuper cetera digladiebantur amplius, quia in eis non verſabatur ſalutis cardo. Et quoad quæſtiones, ſequentibus temporibus motas, notandum eſt, quod eorum ἡ καρδια και ἡ ψυχη μια fuerit, antequam quicquam de iis reſciverant, manifeſto indicio, cardinem ſalutis in eis non eſſe poſitum, quemadmodum etiam Apoſtoli ſuam de iis ſententiam poſtea demum, quando neceſſitas id poſtulabat, dixerunt. —— Utinam concordiam fidei & animorum, mutuumque erga ſe invicem amorem, immo & erga diſſidentes ſervaſſent ab omni ævo, eamque & his temporibus magis magisque revocarent, ac mutuam tolerantiam vel primum amoris fructum eſſe reputarent Chriſtiani!

§. 25.

Quam illuſtris vero Pentecoſtis primi Chriſtiani reddebatur dies! Quam adprime conveniebant miracula populo, in cujus gratiam patrata erant! Fac enim *Joannem*

&

& *Petrum* ſanaſſe claudum coràm *extraneis*, de Veritate miraculi hi non ſine difficili examine convinci poterant; qui claudum non noverant, & ſi vel eorum aliqui eumdem jam in feſtis antecedentibus conſpexiſſent, de ipſius ſtatu tamen parum aut nihil reſciverant. Fac, *Apoſtolos* omnes coràm *indigenis* linguas peregrinas locutos fuiſſe, & in iis magnalia Dei, cui, quæſo, bono profuiſſet, dum pauciſſimi, quæ audirent, intellexiſſent. Veneremur itaque ſummam Dei *ſapientiam*, quæ ſemper convenientias rerum obſervat. —— Immo veneremur & adoremus ſummam hanc ſapientiam in adductione *octuplicatorum millium* hoc uno die hominum ex indigenis & exteris, ad fidem Chriſtianam. Hac enim ratione potiſſimum veritas Evangelica vim ſuam convincentem & divinam manifeſtabat, omniumque ſtudioſam adtentionem excitabant hæc μεγαλεια του Θεου. Et quod præcipue adtendi velim, hac ratione compeſcebatur adverſariorum immanis furor contra Chriſtum ejusque diſcipulos, qui profecto compeſci non poterat exigua credentium turba, & ſi vel duo millia converſorum ſtatuas. Aſt OCTO *hominum* MILLIA magis *circumſpectos* reddere debebant hujus ſeculi filios, magiſtratum puto Judaicum, vel nequiſſimos. Seditionem procul dubio metuebant, æque ac

Matth. XXVI: 5. Vides hinc quam circumſpecte, quamque timide egerint Seniores *c.* IV. *ſqq.* & quam cito incrementa ceperit hoc tempore Chriſtiana Eccleſia. Nullus ergo illuſtrior adparuit ab ortu Chriſtianiſmi dies! nullus major hoc veritatis Evangelicæ triumphus. Te ipſum, Lector, transferas velim in hunc diem feſtum, in Hieroſolymam, & omnes Tibi mente Tua ſiſtas circumſtantias, Apoſtolos, credentes, Seniores, populum imo Pilatum, &c. & fateberis omnino nullibi deeſſe ſapientiæ Divinæ profunditates.

§. 26.

Quæ hactenus diſputavi ſubponunt Apoſtolos primo Pentecoſtis die congregatos fuiſſe *in Templo.* Verum cum haud ignorem Apoſtolos hac die ab aliis conlocari in *domo aliqua* vel *cœnaculo particulari*, inquiſivi, num cauſſa, quam diſputavi, huic quoque ſententiæ conveniat, & deprehendi nihil omnino obſtare, quo minus eidem ſententiæ adplicari poſſit, immo æque commode id fieri, dum hac quoque ratione varia, quæ moveri poſſunt dubia, ceſſant. Verum non vacat nec lubet hunc actum agere.

T A N T U M.

CON-

CONSPECTUS DISSERTATIONIS.

Multitudo congregata cum Apoſtolis *Act.* II. *maximam partem conſtitit ex Judæis & proſelytis extraneis*, & *ex his potiſſimam tria millia fuiſſe ad Chriſtum converſos* §. I. quod oſtenditur 1) ex *dono linguarum* §. II. 2) ex *recenſitis quindecim populis* §. III. 3.) ex *Oratione Petrina*, & illuſtratur *v.* 39. §. IV. Solvitur dubium movendum ex *v.* 22, 23. 36. §. V. 4) ex *conlatione capitis ſecundi cum tertio & quarto* §. VI. Inſigne inter ea oſtenditur *diſcrimen*, quæ c II. narrantur, *mane*, quæ c. III. & IV. *veſperi* ipſius diei acta fuerunt §. VII. *differentia* inter *miracula matutinum* & *veſpertinum* indicatur, ejusque ratio §. VIII. *differentia* inter Petri ſermonem *matutinum* & *veſpertinum* §. IX. *mane* converſi *baptizati* fuerunt, *non* autem *veſpere* converſi §. X. *diſcrimen numeri converſorum* indicatur §. XI. *Diſcrimen in ſequelis & eventu* §. XII. *Convenientia* pericoparum *c.* II. 41—47. & *c.* IV. 32—37. oſtenditur, ejusque ratio, & illuſtratur *c.* IV: 32. §. XIII *Act.* II: 42. 44. illuſtratur, *communionis bonorum origo* & ratio explicatur, & *αφελοτης της καρδιας* §. XIV—XVII. *Proponitur dubium* ex obligatione omnium Judæorum celebrandi feſtum Pentecoſtis §. XVIII. *ſolvitur* ex probabili ordine Judæorum indigenarum & extraneorum Templum adeundi §. XIX. *alià dubii ſolutio ex diſcrimine Karræos inter & Rabbanitas*, quorum priores feſti celebrationem *mane* hujus diei incipiebant, & poſteriores *ſub veſpera*, §. XX. Sententia noſtra ab *utilitate* commendatur, nam communionis bonorum origo hac ratione panditur, & cognoſcitur, *quomodo baptismus proſelytorum primus conferri potuerit baptizandorum immerſione* §. XXI. *ſapientiæ juſtitiæ & bonitatis divinæ* docu-

documenta in his viis exponuntur §. XXII. *Propagationis Evangelii* modus hinc facilis & conveniens §. XXIII. *Unde concordia* Karræorum & Rabbanitarum repetenda, & *quousque coaluerint?* §. XXIV. Sapientia Dei adoranda in patratis miraculis, & octo millibus hoc uno die converſis §. XXV. Convenit expoſitio noſtra etiam ſententiæ, quæ Apoſtolos in particulari quadam domo vel coenaculo conlocat §. XXVI.

V.

STATUS COLLATIONIS HEBRÆORUM MANUSCRIPTORUM, VETERIS TESTAMENTI,

Ad finem anni, ab incepto opere Sexti

MDCCLXV,

DESCRIPTUS

à

BENJAMINE KENNICOTT, S.TH.D.

Societatis Regiæ & Collegii Exterani Oxonienſis Sodali.

ANNO hoc ob incepto opere Collationis Sacrorum Hebræorum MSS SEXTO propemodum finito me ſentio obligatiſſimum ad referendas gratias pro inſigniori adplauſu, honore & excitamentis, quibus opus meum hucusque dignatum fuit. Dum itaque teſtari cupio, quam inſolite & religioſe obſtrictus ſim omnium maxime REGI,

dein SOCIETATIBUS Inluſtribus, doctiſſimisque VIRIS, inſtituti mei promotoribus, more conſueto ad voluptatem eorum, quibus publica ſubſcriptione favorem ſuum demonſtrare adlubuit, operis progreſſum exponam.

Maxime convenit, ut, poſt experientiam unius vel duorum annorum in laborioſo & immenſo opere exactorum, ejusdem Mæcenates informarentur, quantum temporis ad abſolvendum opus requiratur. Facta ideo, qualis fieri poteſt, accurata computatione Ipſis ſignificavi, Conlationem propriorum noſtrorum Hebræorum MSS. una cum quibusdam optimorum extraneorum MSS. eodem tempore conferendorum veroſimiliter DENARIO abſolvi poſſe.

Nunc hanc computationem magna cum voluptate confirmo, augurorque, ſi Deus mihi vitam viresque conſervet, conlationem *quatuor* ſequentibus annis finiri poſſe, non tantum MSS. Hebræorum, quæ ſuperſunt, jam cognitorum in magna Britannia & Hibernia, verum etiam *quinque* aliorum – unius in Bibliotheca *Societatis Regiæ* – unius (totius V. T.) nuper emti per *Salomonem Da Coſta*, *Armigerum* – duorum *Dublinenſium*, quorum hoc eſt *Academiæ Dublinenſis*, alterum vero *Bibliothecæ Archiepiſcopalis S. Sepulchri*, quorum utrorumque notitia amiciſſime mihi communicata eſt a Doctiſſimo

Sul-

Sullivan, Profeſſore – ultimum eſt pretioſiſſimum MSS. totius V. T. in Syria ſcriptum & ære ad uſum meum redemtum Venetiis a Rev. *Mordaunt*, cujus cura illud propemodum ante duodecim menſes bene ad me delatum eſt.

Præcipuus hujus Anni labor conſtitit in conlatione *Septem* MSS. quæ *undecim* volumina continent, & additis *duobus* voluminibus in folio, quæ partem conſtituunt alius MSS, *Tredecim* efficiunt. Et ſeptem illa (præter MSS non finitum) conſtituunt QUINQUAGINTA SEPTEM MSS. ſummam totalem propriorum noſtrorum MSS. hucusque conlatorum. Septem illorum MSS. conlatorum unumquodque continet Univerſa Biblia, & eapropter ſeptem hæc comprehendere poſſunt plures verſus quam Viginti alia MSS. Liceat addere, quod verſus in MSS. hucusque conlatis ſuperant numero eos, qui in aliis MSS. adhuc conferendi ſunt, plus quam Sex anni, qui nos jam occupatos tenuerunt, ſuperant eos, qui ad abſolvendum opus deſtinati ſunt. Certi nihilominus eſſe poſſunt Mæcenates mei, nullum mortalium me magis finem operis poſſe exoptare, utpote qui longo uſu edoctus ſim, quantum laboris illud poſtulet, & de ejus utilitate intime convictus ſim; quodque hac de cauſſa nulla ratione habita com-

putationis ſupra memoratæ, ſine ullo ſtudio hoc opus temere protrahendi, quæ reſtant, quantocyus, quantum cura, operi debita, permittit, abſolventur. Totum enim fere tempus meum dicatum eſt ſolvendo promiſſo, quo memet ad dirigendum hoc opus obligavi, quo ſpectat, quod domi multas adhibeam manus, quæ multiplicem curam exigunt, & quod commercium Litterarium ad promovendas conlationes optimorum apud exteros MSS. uti ſumtuoſum, ita etiam valde diffuſum ſit.

Quum ante aliquot annos operi manum admoverem, deprehendi non ſolum multas variantes magni eſſe momenti, verum etiam ſi conlectæ eſſent, totum opus adeo fore numeroſum, ut neceſſe fuerit methodum ſuo genere ſingularem adhibere ad ordinandum Sillybum Variantium quarumcunque, ſub Capita ſua eorumque verſus. Anno præterito hac methodo uti cœptum eſt, & hoc ipſo anno abſolutus hic ſillybus & compactus conſtituit 30 volumina in folio, inſertumque eidem eſt exemplar Bibliorum Hebraicorum excuſſorum, papyro fido adglutinatum, qualibet pagina duos tantum verſus continente. Spatium ſub quocunque verſu datum eſt ſufficiens, ad inſerendum omnes verſus hujus in MSS. occurrentes Variantes, & quidem ita ut conveniant

Ordini

Ordini numerali MSS., quorum Catalogus numerice diſtinctus dabitur in Prolegomenis operi præfigendis. Verum ex notitia horum 39 Voluminum Lector non poterit inferre numerum Voluminum, quibus demum hoc opus conſtabit. Nam, licet opus poſtmodum conſtare poterit duobus vel Tribus Voluminibus in folio, & licet dimidium ſpatii variantibus & mendis notandis deſtinatum ſatis ſuperque fuerit, attamen quoniam pauci aliqui verſus requirant totum ſpatium, illis adſignatum, cognoſci autem non poſſit, quinam hi verſus ſint, neceſſe erat, pararetur ſingulis verſibus ſufficiens ſpatium.

Deſcriptio hoc anno facta ad mandatum Delegatorum Univerſitatis noſtræ in Bibliothecam Bodlejanam delata eſt. Conlationibus 44, quæ antea traditæ fuerunt, nunc additæ ſunt 17 aliæ propriorum noſtrorum MSS. Inter præcedentes 44 fuerunt 4, deſumtæ ex iis exterorum MSS., quæ huc ad conferendum miſſa fuerunt, ita ut, 17 additis 40, adpareat – *Conlationes omnes propriorum noſtrorum MSS*, hucusque ut factas ita & nunc *deſcriptas eſſe*. Ut autem hæ conlationes, quæ in favorem hujus operis formatæ & deſcriptæ ſunt in variis Europæ partibus, in tuto conlocarentur, 17 in Bibliotheca Bodlejana depoſitæ ſunt. Et MSS.

jam conlata, & quæ nunc apud exteros conferuntur, adæquant numerum aliquem SEXAGINTA & SEPTUAGINTA intermedium.

MSS. Conlatione proſpere adeo progrediente, viſum eſt multum referre, ſi optimis quoque impreſſis Editionibus uteremur. Licet autem mihi omnino impoſſibile ſit, omnes eas editiones conferre, præter ſelecta quædam in eis loca, neceſſarium tamen viſum eſt, *van der Hooghtianam* editionem, (quæ hic exemplar eſt) conferendam eſſe cum illa, quam cl. *Michaëlis Halæ Saxonum* anno 1720 prodire fecit, quoniam in ea Variantes jam conlectæ fuerunt ex cuſis Bibliis *Bombergii*, *Buxtorfii*, *Stephanorum*, *Polyglottis Antverpienſibus & Londinenſibus*, variisque aliis editionibus, uti legitur in *Præfatione Michaëlis p.* 4, 5. Ut commoda poſtremæ hujus impreſſæ editionis deriventur in hoc opus, conlatio editionum *Michaëlis & van der Hooghtianæ* facta eſt, ac deſcriptam in Bibliotheca Bodlejana depoſui.

Quoad operis mei in Anglia rationem, hoc unicum reſtat notandum. Erudito cuique Lectori cognitum ſit oportet, quod Capitum plurium initia in variis editionibus differant, multamque perplexitatem in citatione particularium verſuum pepererint. Ad evitandam hanc moleſtiam conlata ſunt initia omnium Capitum trium editionum,

Hoogh-

Hooghtianæ, *Michaëlis* & *Polyglottorum Londinenſium*, & deſcriptio hujus conlationis depoſitis jam memoratis addita eſt.

Quod adtinet conlationes hoc anno in aliis regionibus factas aut faciendas, ante omnia laudandus eſt honor inſignis, quo me iteratis literis haud dedignatus fuit Præ-Nobiliſſimus *Baro de* BERNSTORFF, REGIS DANIÆ principalis Status Secretarius. Quemadmodum literæ Excellentiſſimi hujus Viri ad me datæ præcipuum ultimæ meæ Recenſionis ornamentum erant, ita omnibus Inſtituti mei Mæcenatibus iterum gratiſſima erit, data hic ſecundarum literarum copia:

Vir Reverende!

Acceptis præterito Septembri literis Tuis ad me datis d. 14. Auguſti, paululumque poſt ad finem circiter Octobris faſciculo, cujus mentionem fecerant, qui continebat libellos philyrasque amice ad me huc miſſas, pro quibus recipias, rogo, grates, quas ſincera mente rependo, vergebat adeo tum annus ad exitum, hyemisque breviores dies quoque obſtabant, quo minus, Vir Reverende, conlatio MSS. noſtrorum a Te deſiderata initium capere potuerit. Hoc ipſo nihilominus temporis intervallo paravimus neceſſaria ad labores hos, absque ullo temporis diſpendio,

ſpendio, rite exantlandos hoc ipſo vere, quo auxiliante Deo operi manus admotæ ſunt. Omni cura adornabitur ſub ductu Reverendorum Virorum Hornii, Roſenſtand-Goiſce & Crameri, Theologiæ Profeſſorum & ſpeciatim magis ſub directione cl. Kall, Profeſſoris Linguarum Orientalium. Omnia MSS. Tibi jam indicata præterita hebdomade ad mandatum Regium tradita ſunt Viris illis clariſſimis, qui eorum unoquoque diligentes eruditos admovente, ſpem conceperunt hoc anno magnam conlationis partem videndi. Si finita eſt, abs Te dependebit, quomodo eadem absque ulla mora Tibi tranſmittenda ſit. Nullus dubito, quin conlatores omni adhibita ad cujuſque penſum cura & fidelitate, ſe demonſtrent fiducia in eos repoſita dignos. Interea honori mihi duco alteras literas Tuas d. 14. Febr. ad me datas. Narrationem Tuam annorum 1763. & 1764. coram Rege fideliter explicui. Quod Te, Vir Reverende, certiorem facere poſſim, revera gratioſiſſime eam a Rege receptam fuiſſe, mihi gratiſſimum eſt. Proſperrimum toto corde vovens Inſtituti Tui laudabilis ſucceſſum, omni, qua par eſt, fide & exiſtimatione Tibi, Vir Reverende, ad omnia officia ſum paratiſſimus.

BERNSTORFF.

Hafniæ d. 19. Martii
1765.

BERO-

BEROLINI confertur Bibliothecæ Regiæ celebre MS in folio, quatuor Voluminum, cujus conlationis partem a *Murſinna*, Viro clariſſimo, accepi. In eadem Bibliotheca Regia ſervatur exemplar Bibliorum Hebraicorum *excuſum*, in 8vo, cujus editio 20 annos & ultra antiquior eſt ullo inpreſſo Bibliorum Hebr., in *Anglia* cognito. Ex hoc exemplari famigeratiſſimus Lutherus verſionem ſuam conſtruxit. Continet aliquot Centenas Lectiones, a Bibliis Hebraicis abhinc excuſis diverſas. Rogavi SCHULZIUM, Profeſſorem Doctiſſimum, cui recenſione rariſſimi hujus libri obſtrictus ſum, ut conlationem illius inſtitueret accuratam, qui propterea orbem literatum ſibi devinciet Diſſertatione ad hanc editionem, mox publicanda. Verum beneficia Berolinenſia præſertim debeo maxime Reverendo SACKIO, primario REGIS PRUSSIÆ concionatori Aulico. Hic ex animo amicus, ſicuti me multis utiliſſimis notitiis inſtruxit, ita quoque multas ſuſtinuit expenſas, quas in gratiam Operis mei libentiſſime fudit, ideoque locum meretur inſignem inter Operis mei ſubſcriptores.

ERFORDII ſunt MSS aliquot Hebraica, jam in uſum editionis *Michaëlis* ſupra citatæ conlata. In illorum Variantes Lectiones neceſſariæ videntur obſervationes ſequen-

quentes: Admirabundus ſæpe conſideravi, quæ in Bibliis his ex MSS Erfordenſibus publici juris factæ ſunt Variantes, tùm nullius eſſe ponderis, tum, comparate cum plurimis aliis MSS. Hebraicis, pauciſſimas. Magna mihi nata fuit ſuſpicio, Variantes Erfordenſes in notis cuſorum illorum Bibliorum non ſatis accurate fuiſſe exhibitas, multaſque majoris præſertim momenti prætermiſſas. Amicus meus *Michaëlis*, Profeſſor Goettingenſis, merito ſuo celebratiſſimus, de mea ſuſpicione edoctus, & quod eandem ex duobus exemplis formaverim, examine inſtituto deprehendit, MSS hoc multas continere Variantes non indicatas, & præſertim Lectiones, quas exhibui, genuinas eſſe; in cujus rei fidem mihi amiciſſime miſit duo teſtimonia Erfordiæ ſignata & ſigillis munita. Rogavi eapropter, ut MSS hæc iterata omnium conlatione nitide & accurate magis meis expenſis publicentur. Nec dubito, quin talis inſtituenda conlatio operi meo tantum proderit, quantum prior conlatio potuerit urgeri ad creandam conlationi Hebræorum MSS. in genere ſpectatæ invidiam.

Imperialis Bibliotheca VINDOBONENSIS poſſidet completum Bibliorum MS., cujus nulla facta eſt mentio in Catalogis expreſſis. Hoc in uſum meum contulit *Aloyſius de Sonnefels.*

neſels. Conlationem hanc curate ad me miſit Excellentiſſimus STORMONT, Vice Comes & Legatus Regis ad hanc Aulam extraordinarius.

COLONIÆ Agrippinorum exſtat MS. totius ſacri Codicis, quod ad rogatum meum conlatum eſt. Rev. *Hillesheim*, Collegii hujus Rectori, grates debeo, quod conlationem hanc permiſerit, mihique, hoc MS recenſendo, Characterumque ejus exemplar communicando, faverit.

FLORENTIÆ nuper finita eſt conlatio MS totius Bibliorum Codicis per Doctiſſimos Patres *Beretta* & *Bartoli*, quam ad deſiderium HORATII MANN, Viri Excellentiſſimi deportavit in Angliam *Hamiltonius*, Vir Reverendus, cui maximas ago grates, una cum Variantibus Lectionibus ſecundi & tertii MSS. Hebr. Ambroſianæ Bibliothecæ MEDIOLANENSIS, conlatorum per doctiſſimum Profeſſorem *A. Porta*.

Romæ Profeſſor *Conſtanzi*, Vir Doctiſſimus, ad petitionem meam alteram ibidem curavit, ut conferrentur 17 MSS., quorum 12 poſſidet Bibliotheca Vaticana. Uſum horum MSS. celebratiſſimæ hujus Bibliothecæ gratiſſima mente debeo benivolentiæ Mæcenatis eminentiſſimi, Cardinalis ALBANI. Ut autem omnes Fautores mei cognoſcant, præſentem cum maxime Bibliothecæ Vaticanæ

canæ Protectorem, Cardinalem PASSIONEUM alteri non ſolum in officio, verum etiam in ſtudio opus meum promovendi ſucceſſiſſe, narrabo, quàm Viro huic Eminentiſſimo obſtrictus ſim. Primis, quibus me dignatus fuit literis, Ipſi adlubuit ſcribere — *Et vojant jusqu'ou vous avez en ſi peu de tems avancé un ouvrage ſi frajeux & penible, je ne puis ſi non feliciter de tout mon coeur de l'heureux ſuccês d'une entrepriſe, qui rendra votre nom immortel à la poſterité plus reculée, & dont la Republique des Lettres tirera tant de profit & de lumieres.* Et poſtea in reſponſione ad petitum meum, ad *alteram* Vaticanorum conlationem ſpectans, Vir Eminentiſſimus, (tunc *Cardinalis Bibliothecarius*) haud dedignatus fuit, litteras mihi mittere ſequentes, quas heic, loco exhibiti hucuſque Cardinalis PASSIONEI favorabilis teſtimonii, inſero;

Quas ad me dediſti humaniſſimas literas calendis Decembris, accepi Vir clar. & quam moleſte ab iis intellexi te gravi correptum morbo in diſcrimine fuiſſe, tantundem ex animo gratulor te plene convaluiſſe. Medicorum autem, quorum opera ereptus es, conſilium amplectaris velim, temperando nimirum a literariis laboribus, ne nimius in illis ardor valetudini tuæ officiat, quantum enim literariæ Reipublicæ ut inſignie

inſigne onus tuum vulgetur, tantundem mea intereſt ut diu vivas incolumis. Jus erit Profeſſori Conſtantio tot Codicum collationem inſtituere, quot Vaticana Bibliotheca complectitur; illique tradam codicum indicem, quem miſiſti, ut illos quantocius ſcrutetur. Quod me juſſis honeſtes tuis, idque equidem ut crebro facias, oro: Deumque O. M. enixe rogo, Te ad ſeros annos ſervet incolumem.

ALEXANDER *Cardin.* ALBANUS.

Romæ, 7 Cal. Febr.
1763.

Quæ nuper acta fuerunt LUTETIÆ PARISIORUM, nondum ſpeciatim cognovi ex obitu eximii operis hujus Promotoris, optimique mei amici, Doctiſſimi & digniſſimi *Sorbonnæ* Bibliothecarii, Profeſſoris L ADVOCAT. Verum non obſtante dolendo hoc damno nullus dubito, quin inſignia mihi ex hac urbe ſubſidia ſuppeditentur. Nam me flagranti deſiderio, ut ibidem in uſum meum conferantur aliquot optimorum Bibliothecæ Regiæ MSS., hoc anno converti ad Excellentiſſimum *Comitem* HERTFORD, nuperrime Regis ad Aulam *Gallicam* Legatum extraordinarium, qui immediate licentiam ad hanc cauſſam obtinuit, & modo honorificentiſſimo hujus rei mihi dedit notitiam, miſſis una literis *Comitis* S. FLOREN-

Bibl. Haganæ Cl. II. F. II. Cc TIN.

TIN. Gratias quoque maximas habeo Excellentiſſimo *Duci de* NIVERNOIS, qui etiam Regia MSS petiit, ultimamque operis mei Recenſionem annualem REGI obtulit. Epiſtola ſecunda, quam Vir ille Excellentiſſimus humaniſſime ad me dedit, Fautores meos docebit, quantum honoris acceperim ab hoc Litterarum Ornamento & Mæcenate, *Duce de* NIVERNOIS, ut & favorem, quo *Magnus* Galliæ MONARCHA annualem meam Recenſionem receperit:

A Paris, le 3. Mars. 1765.

Je n'ay pas manqué de remettre aujourd'huy au Roy, Monſieur, un Exemplaire du compte, que vous avés rendu cette année des progrès de votre ouvrage. S. Majeſté a reçu ce preſent avec plaiſir, & m'a chargé de vous le temoigner. J'ay remis auſſi à M. de S. Florentin l'exemplaire, que vous m'avés adreſſé pour luy. Ce Miniſtre concourera bien volontiers a tout ce qui pourra accelerer la confection d'un ſi important ouvrage. Je ſouhaite, Monſieur, avoir reuſſi par mon Zele a executer vos ordres a vous donner une nouvelle preuve de mon dévouement ſincere, & de tous les ſentiments avec le quels j'ay l'honneur d'etre tres parfaitement, Monſieur, votre tres humble & tres obeiſſant Serviteur.

LE DUC DE NIVERNOIS.

Ultima

Ultima mea Status hujus operis recenſio mentionem faciebat ſingularis favoris, recepti ab *Academia* MANHEMENSI *doctiſſima*; nunc vero ſubmiſſa mente agnoſco ELECTORIS PALATINI gratiam. Obtinui nimirum ex commendatione Sereniſſimi Principis recenſionem MS. Hebraici *Moguntini*, a *Goldhagenio*, Viro Doctiſſimo, adornatam. Illa mihi miſſa eſt per Rev. *d'Harold*, Amicum meum, Manhemii commorantem, cui quoque debeo amiciſſimas literas Nobiliſſimi *Schmidtz*, Conſiliarii MARCHIONIS *Badæ Darlacenſis*, quibus notitiam dedit duorum eximiorum MSS Sereniſſimi Principis Bibliothecæ.

Denique in enumeratione beneficiorum & inquiſitionum hujus anni gratiſſima mente deprædico favorem, quem relate ad pretioſa aliquot MSS., *Trajecti ad Rhenum* hærentia, teſtatus mihi fuit Vir Excellentiſſimus & Honoratiſſimus JOSEPHUS YORKE, Hagæ Comitum Legatus Regis extraordinarius.

Cum itaque multis adeo & ſingularibus beneficiis obſtrictus ſim, certe meum eſt omnes intendere nervos ad perfectionem hujus operis & ſatisfactionem omnium ejus Mæcenatum. Quæ vero eorum nonnulli anno præterito mihi ſignificaverunt duo momenta, horum hic dabo notitiam. Dice-

bant fore jam gratiſſimum, pluresque fortaſſis ſubſcriptores orituros, ſi *Specimen* aliquod aliquando daretur ad probandam per Variantes Lectiones ex MSS. conlectas Operis utilitatem. Verum adhuc impoſſibile eſt, ullius partis Bibliorum Specimen dare, numeris omnibus perfectum, quia aliæ cuique parti continuo adcedunt Variantes. Præterea Reipublicæ Litterariæ jam diverſis vicibus talium Variantium ultra 900 exempla communicavi, quarum multæ tanti ſunt ponderis, ut qui his nequeunt convinci, vel per 300 alia non ſint convincendi. Illi vero, ni fallor, qui de Inſtituti utilitate convicti ſunt, judicabunt operæ pretium eſſe, hoc inſtitutum *ad finem perducatur* & *publici juris fiat*.

Secundo, ſi fortaſſis quiſpiam ſuſpicabitur, ſumptus, quos opus hoc poſtulat, *non eſſe tanti*, nec ullam rationem habere cum munificentia Mæcenatum meorum, ex eo, quod nondum notitiam dederim nummorum annuatim ad hoc opus expenſorum: reſpondeo primo, ne quiſquam mihi nummos ſuos committat, qui de juſto eorum uſu dubitat! Ad omnimodam vero omnium ſubſcriptorum ſatisfactionem liceat addere, quod (præter conlationes multorum aliorum MSS. in variis Europæ regionibus jam inſtitutas) unius hujus anni expenſæ ad hoc

opus

opus in Anglia neceſſariæ SEXCENTAS Libras excedant, quæ plus minus certi & conſtantes cujusque anni ſumptus ſunt.

Finio annualem hanc Recenſionem excerpto Elogio, quod *operi* meo ejusque MÆCENATIBUS in publica Oratione *Halæ Saxonum* tribuit Reverendus & Doctiſſimus SEMLERUS, Theologiæ ibidem Profeſſor. Ita inquit:

Cum ampliſſima illa exornandi Hebraici codicis provincia, quam celeb. Kennicotum apud Anglos, primum rite, melioribus certe auſpiciis quam ante ipſum quenquam, ſuſcepiſſe ſcimus, non ſolum eorum omnium excipiatur publicis plauſibus, qui in Romana Eccleſia liberali eruditioni non obſcure favere videntur, ſed etiam dedititiſſimis ſtudiis ultro promoveatur: dubitari non poteſt, nec inter nos defuturos, qui tantæ & tam præclaræ rei ſucceſſus proſperos, votis ominibusque lætis, publice privatimque adjutum eant. — Jam vel inter eos, quibus litterarum ſacrarum diſciplina traditur, gratulari ſibi ſolet, quotusquisque eſt erectioris ingenii; quod hæc vivendo tempora attigerit, quibus Publicum quaſi ſignum erectum eſt, ad bene ſperandum de amplificanda Hebraici Codicis *dignitate. — Equidem varie affici ſoleo, cum luculentiſſima illa ſtudia cogito, quæ in* Anglia, *beata pluribus nominibus Inſula, publice privatimque ingenti contentione*

 ad

ad hanc cauſam promovendam conferuntur. REGIS *illius Auguſtiſſimi ſplendidiſſimam munificentiam facile nobis fingimus: ſcimus enim* Angliæ *Regem eſſe.* ACADEMIARUM *Britanniæ utriusque illuſtrem ac venuſtum conſenſum, in adjuvando Kennicoti propoſito, quis non admiretur?* TRES *Academiæ omnes lubentiſſime votis ejus occurrunt. Ibi Reverendiſſimi* ARCHIEPISCOPI *liberaliſſime condicunt ſumtus. Nobiliſſimi* PRINCIPES, *Honoratiſſimi* COMITES *ultro conferunt. Reverendorum* EPISCOPORUM *&* DECANORUM *exiſtit fauſta concordia.* BARONES, ARMIGERI, *privati adeo Religionis* ADMINISTRI, *numero longo in Societatem hanc coëunt.*

Fortunatos, felices ibi eruditos!

Sequitur Teſtimonium V. C. THOMÆ HUNT prioribus reſpondens, ſignatum d. 11. Dec. 1765.

Subſcriptio hujus anni habet Summam 946 : 17 : — librarum Sterlingicarum.

VI.

LITTERARIA.

GEDANI.

V.C. GODOFR. LESS, *Theol. Prof.* Goettingam vocatus fuit Theol. Prof. Extraord. & Concionator Academicus a. 1763., & abiit, edita prius *Diſſert. de cura, quam præſens textus Hebræi conditio requirit.*

Prodierunt Denkmäle der erſten Kirche zu Smyrna in Aſien / nemlich ein brief des h. Polykarpuſs / Zwey briefe des h. Ignatius und ein brief der Smyrnaiſchen Kirche von dem tode des h. Polykarpus / welche Teutſch überſetzet und mit einer beſchreibung der Stadt Smyrna und der genannten Verfaſſer begleitet werden von Hn. GOTTLIEB WERNSDORF 1764. 4. Originem Eccleſiæ Smyrnenſis demum poſt expugnatam Hieroſolymam repetit, hinc ſententiam eorum, qui Apocalypſin ſcriptam eſſe ante excidium Hieroſolymorum contendunt, ut minime probabilem explodit.

Freyherrn von BIELEFELD, freündſchaftliche Briefe 2 theile 1764. 1765.

Tragœdia ſub hoc titulo. *Le Royaume mis a l'Interdit* 1768. In ea traducitur Romanæ Eccleſiæ Tyrannis.

GENEVÆ.

Anno 1762. obiit V. C. ABRAH. TROMBLEY, V. D. M. & Prof. Theol.; cathedram hanc obtinuit pl. Rev. CLAPAREDE, V. D. M. & Prof. LL. OO.

Prodierant *Eſſai d'Education nationale, ou Plan d'Etude pour la Jeuneſſe par* LOUIS RENÉ DE CARADENE DE LA CHALOTAIS. *Nouv. Edit.* 1763. 8.

Reflexions ſur la Theorie & la Pratique de l'Education contre les principes du Mr. Rouſſeau par le P. G. B. 1764. 8. Auctor eſt Pater GERDIT, Barnabita Taurinenſis.

Traité ſur la Tolerance par Mr. DE VOLTAIRE 1764. ſunt in hoc libello mala mixta bonis.

La Verite, Ode a Mr. Voltaire, ſuivie d'une Diſſertation ſur le Gouvernement de Geneve & ſes revolutions, 1765. 8.

Examen de ce qui concerne le Chriſtianisme, la Reformation Evangelique & les miniſtres de Geneve dans les deux premieres lettres de Mr. J. J. ROUSSEAU, *ecrites de la Montagne par Mr.* J. VERNET, *Paſteur de l'Egliſe de Coligny* 1765. 8.

Conſiderations ſur les Miracles de l'Evangelie pour ſervir de reponſes aux difficultés de Mr. J. J. ROUSSEAU *dans ſa 3me Lettre, ecrite de la Montagne par Mr.* CLAPAREDE, *Paſteur & Prof. en Theol.* 1765. 8. cf. Bibl. d. Sciences & d. A. T. XXIV. p 306.

Lettres

Lettres de Mr. VOLTAIRE *a ſes amis de Parnaſſe* 1766. 8. Mores Eccleſiæ Rom. paſſim acuto ſale perſtringuntur, & genius hujus Viri ſe ubique prodit.

Memoire preſenté a Mr. le premier Sindic, par Mr. VERNET, *Prof. en Theol.* 1766. Eſt Apologia contra Voltairium.

Lettres Critiques d'un Voyageur Anglois ſur l'Article Geneve du Dictionaire Encyclopedique, & ſur la lettre de Mr. d'Alembert a Mr. J. J. Rouſſeau ſur les ſpectacles, Troiſieme Edition, augmentée de 7 Lettres & de quelques pièces, relatives aux même ſujet Vol. 2. Copenhague 1766. 8.

Lettres ſur l'Etat preſent de Chriſtianisme & la conduite des incredules par Mr. A. J. ROUSTAN 1767. 8. Laudatur Rev. Auctoris moderatio & exactum judicium.

V.C. *Horat. Bened.* DE SAUSSURE *Prof. Diſſert. Phyſica de Electriſitate* 1766. quæ valde laudatur.

GERÆ.

Herrn. DAVID GOTTF. SCHOBERS Ausfürlicher Bericht von alten Deutſchen geſchriebenen Bibeln / von erfindung der Buchdruckerey / nebſt einem alt-deutſchen Bibliſchen Wort-Regiſter / aus einer alten geſchriebenen Deutſchen Bibel und deren beſchreibung 1754. 8.

V.C. H. A. ZEIBICH, *Prof. Ill. Ruthenici,* progr. *in Inſcript. Ut annuant Dii votis arcanisque* 1764.

——— ——— *de Radiante Moſis facie a cincinnorum cornibus defenſa* 1764.

——— ——— *de Cenſibus Hebræorum, Comment. prima & altera* 1765.

GIESSÆ.

Vocatus hic fuit ad Profeſſionem LL. OO. V. C. JOA. GE. HOFMANNUS, qui prius in Academia Erlangenſi cum laude docuit.

Edidit Geſchichte der Helden Davids / oder ausführliche Erklärung der ſchweren Schriftſtellen 2 *Sam.* XXIII: 8–39. und 1 *Chron.* XII: 10. — Frankf. 1766. 8.

Prodierunt

V. C. J. H. BENNER, *Th. D. & Prof. Notitia ſalutis juſto ordine exhibita, ad prælectiones Academicas* 1764. 8.

— J. STEPH. MULLER, *Prof.* Differt. *contra aſſertum Philoſophi de Sans Souci, quod Deus non individua ſed ſpecie curet,* reſp. JOA. PHIL. WIENER 1764.

— LUD. ALEX. KREBS, *Ill. Pædag. Collegæ, Comment. Philoſoph. de fine creationis primario & ultimo, ad virtutis metam contingendam maxime neceſſario* 1768. 8.

Dr. LUD. GOTTFR. MOGEN, Grundriſſ der Geſchichte der Deutſchen, bis zur errichtung des Deutſchen Königreichs, zum gebrauch der Vorleſungen, 1765. 8.

GLASGOVIÆ.

V. C. ROBERTUS SIMSON, *Mathem. Prof.* obiit 1768 octogenario major — Prodiit.

On the End of Tragedy, according to Ariſtotle, in Two Parts, by J. MOOR, *Prof. en Greco.* 1763. 8.

GOESÆ.

GOESÆ.

Obiit ſubito Vir pl. Rev. ÆGIDIUS STOCKMANS, *V. D. M.* 1765. d. 16. May, poſtquam a. 1764. ediderat: *Afſcheid aan den Heere J. D. van Hoven P. P. te Campen, op zyn Ed. nadere beveſtiging, dat Lukas, Kap. II: 2. van het begin der Aſiatiſche en Syriſche beſchryving ten tyde van Chriſtus geboorte, en niet van de Joodſche in 't byzonder ſpreeke* 1764. 8.

Lucem videt *Verhandeling over den oorſprong en de hiſtorie der Vaderlandſche Rechten, van de vroegſte bekende tyden af tot op de XIII^de Eeuwe, inzonderheid van Holland en Zeeland door Mr.* LAURENS PIETER VAN DER SPIEGEL, *Burgermeeſter van Goes enz.* 1769. 8. Laudabili ſtudio Juris patrium origines pandit Conſultiſſimus Auctor, quem ab ephebis ob ſingularem ſtudii ardorem & propenſum in me, veritates religionis ipſi exponentem, animum, dilexi. Gratulor Nobiliſſimo Viro honores Conſulares ex animo, & quod honores hos præ aliis, qui otia ſua ſibi ſolis aliis recreationibus impendunt, eruditionis ſuæ documentis illuſtraverit.

GOETTINGÆ.

Obiit V. C. C. A. HEUMANNUS *Theol. D. & Prof. Emeritus* ab aliquo tempore, 1764. d. 30. Aprilis, fere 83. annos natus. Vir in Eccleſià Lutherana & rep. Litteraria meritiſſimus.

Memo-

GIESSÆ.

Vocatus hic fuit ad Profeſſionem LL. OO. V. C. JOA. GE. HOFMANNUS, qui prius in Academia Erlangenſi cum laude docuit.

Edidit Geſchichte der Helden Davids / oder ausführliche Erklärung der ſchweren Schriftſtellen 2 *Sam.* XXIII: 8–39. und 1 *Chron.* XII: 10. —— Frankf. 1766. 8.

Prodierunt

V. C. J. H. BENNER, *Th. D. & Prof. Notitia ſalutis juſto ordine exhibita, ad prælectiones Academicas* 1764. 8.

—— J. STEPH. MULLER, *Prof.* Differt. *contra aſſertum Philoſophi de Sans Souci, quod Deus non individua ſed ſpecies curet*, reſp. JOA. PHIL. WIENER 1764.

—— LUD. ALEX. KREBS, *Ill. Pædag. Collegæ, Comment. Philoſoph. de fine creationis primario & ultimo, ad virtutis metam contingendam maxime neceſſario* 1768. 8.

Dn. LUD. GOTTFR. MOGEN, Grundriſſ der Geſchichte der Deutſchen, / bis zur errichtung des Deutſchen Königreichs ; zum gebrauch der Vorleſungen / 1765. 8.

GLASGOVIÆ.

V. C ROBERTUS SIMSON, *Mathem. Prof.* obiit 1768 octogenario major —— Prodiit.

On the End of Tragedy, according to Ariſtotle, in Two Parts, by J. MOOR, *Prof. en Greca.* 1763. 8.

GOESÆ.

-wz von -
-nte-

,
er

:yen/
bis auf
04-68. 8.
l. 1764. 8.
c *Eccleſiæ*

gii **Theologi-**
eorgio-Auguſta
heologorum. Ei
mandati Paulini

rticula ſymboli Nicæ-
: Spiritu S., qui locu-
1765.
trinæ de donis miraculoſis
5.
terum Chriſtianorum memo-
is Chriſti conſervandi propa-

atrum ſententia de Filio Dei per
n exinanito enarratur & convelli-

V. C. præſidio conſcripſit CHRIST.
SCHENBUSCH Differt. *de lege Levira-*
atres non germanos, ſed tribules reſe-
ad Deut. XXV: 5. 1765.

Memoriam Virorum celebrium HEUMANNI & HEILMANNI pecul. prog. conſervavit V. C. C. G. HEYNE Prof. 1764.

Obiit d. 10 Maji 1766. Venerandus Senex Theologus J. P. FEUERLIN, prope octogenarius.

Et d. 20 Nov. 1768. V. C. DAVID. SIGISM. AUG. BÜTTNER *Profeſſor Botanices.* Vir eximius.

Ut & d. 26 Dec. 1768. V. C. JO. TOB. KOELER, *Hiſtor. Prof.* nondum Quinquagenarius, qui varia ſcripta edidit, hiſtoriam & Geographiam illuſtrantia.

Ediderat FEUERLINUS, progr. *exhibens vindicias myſterii magni, Deum factum fuiſſe hominem, e Cyrillo contra Julianum Apoſtatam* 1763.

Ut & progr. ſiſtens *Vindicias Obſervationis Chryſoſtomi ad Rom.* I: 4. *de Chriſto ſuæ reſurrectionis Auctore, adverſus Objectiones Wolzogenianas* 1765.

Tribuitur b. *Heilmanno* Progr. Paſchale, *de ratione, qua Jeſus ſua ex mortuis* ἀναστάσει *Meſſias demonſtratus eſt* 1763. Nomen Filii Dei non inferre characterem Deitatis, ſed cum illo Meſſiæ Synonymon eſſe probare conatur. Oppoſuerunt ſe huic ſententiæ V. V. Cll. *Carpzovius* & *Bertlingius* aliique, uti locis ſuis adnotabimus.

Prodiit V. C. C G B WALCHII progr. ſiſtens *Interpretationem loci Joh.* X: 17. *de Chriſti, vitam ponendi & reſumendi poteſtate* 1764.

— Entwurf einer vollſtändigen Hiſtorie der Römiſchen Päpſte 1758. 8.

— — einer vollſtändigen Hiſtorie der Kirchenverſamlungen 1759. 8.

— Grundſätze der Kirchengeſchichte des Neuen Teſtaments 1761. 8.

Li-

Libros hos, uti etiam Hn. JOA. LORENZ VON MOSHEIMS Algemeines Kirchenrecht der Proteſtanten / nach deſſen Tode herausgegeben / und mit anmerkungen verſehen von CHRIST. ERNST VON WINDHEIM 1760. 8. olim ſupinus omiſi & perperam, quia iisdem vix carere poſſunt, qui ſtudio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ gnaviter incumbunt, quo etiam pertinent

— Entwurf einer vollſtändigen hiſtorie der Ketzeryen / Spaltungen und Religions Streitigkeiten bis auf die zeiten der Reformation / fünf Theile 1764-68. 8.

— *Monumenta Medii avi Vol. II. F. II.* 1764. 8.

— *Breviarium Theologiæ Symbolicæ Eccleſiæ Lutheranæ* 1765. 8.

— progr. *quo auſpicia Regii Collegii Theologici repetentium, in Academia Georgio-Auguſta conditi, rite indicit Ordo Theologorum.* Ei inſerta legitur interpretatio mandati Paulini 2 *Tim.* II: 2. 1765.

— progr. *quo illuſtratur particula ſymboli Nicæno-Conſtantinopolitani de Spiritu S., qui locutus eſt per Prophetas* 1765.

— progr. *de evitando doctrinæ de donis miraculoſis abuſu exegetico* 1766.

— progr. *de cura Veterum Chriſtianorum memoriam reſurrectionis Chriſti conſervandi propagandique* 1767.

— progr. *quo Patrum ſententia de Filio Dei per incarnationem exinanito enarratur & convellitur* 1768.

Sub *Walchii* V. C. præſidio conſcripſit CHRIST. CAR. RAUSCHENBUSCH Diſſert. *de lege Leviratus ad fratres non germanos, ſed tribules referenda ad Deut.* XXV: 5. 1765.

— JO. GOTFR. WAGEMANN *Diſſ. de Chriſto, Filio Dei proprio* 1766.

— JO. CAR. SIEGFR. HADEFELD Diſſ. *de culpa Adami non felice* 1767.

V. C. JO. DAV. MICHAELIS edidit: Erklärung des Briefes aan die Hebræer / Zweiten Theil 1764. 4.

— Einleitung in die Göttliche Schriften des Neuen Bundes, 2 Theile Bremen 1765. 8. Multa cum cura hanc rem egit. Sunt vero hic quædam paradoxa, quæ ponderari merentur.

— Vermiſchte Schriften T. II, Frankf. 1766. 8.

— Abhandlung von der Syriſchen Sprache / und ihrem gebrauch / nebſt den erſten Theil der Syriſchen Chreſtomathie 1768. 8.

— programma, worinnen er von ſeinen Collegiis über die 70 Dollmätſcher nachricht gibt 1767. 8.

— Syntagmatis *Commentationum, partem ſecundam.* 1767. 4.

— Abhandlung über die Ehegeſetze Moſis / welche die Heyrathen in der nahen freundſchaft unterſagen. Neue und Vermehrte auflage 1768. 4. Hæc Commentatio, quæ adplauſum Eruditorum generalem meruit, jam in librum adcrevit.

— Commentationes *Societatis Regiæ ſcientiarum Goettingenſi per annos* 1763—1768. *oblatæ*, Bremæ 1769. 4. Materiæ, quas more ſuo eruditiſſime explicat, in his & jam *Cl. IL. Bibl. Brem. N.* indicatis Commentationibus, ſunt ſequentes: de *Theraphis*, de *cenſibus Hebræorum*, de *exſilio X tribuum, & numero exſulum Judæorum a Nabuchodonoſare deportatorum*, de *natura & origine maris mortui*, de *Nitro Plinii*, de *nitro Hebræorum, ſeu* ברית, de *Syrorum vocalibus ex Ephræmo*

mo; de *paradoxa lege Moſaica, ſeptimo quovis anno agrorum ferias indicante*, de *jure Leviratus Hebr.*, *de menſibus Hebr. & nominibus menſium Hebraicis, Chaldaicis, Arabicis & Æthiopicis*, de *Syria Sobaa, quam Davides ſub jugum miſit, Neſibi ac circumjecto tractu*, de *bellis Davidis cum Rege Neſibeno*, de *Chronologia Moſis ante Diluvium*, de *Chronologia Moſis a Diluvio ad Abrahamum*.

—— Spicilegii *Geographiæ Hebræorum exteræ poſt Bochartum, partem primam* 1769. 4. Commentatur in eo doctiſſime in *Gen.* X. 1—14.

—— Überſetzung des Alten Teſtaments / mit Anmerkungen für Ungelehrte. Erſter Theil / welcher das buch Hiobs enthält 1769. 4. Et ſudat jam ſub prelo Pars ſecunda, continens 5 libros Moſis. Dicitur opus hoc ſuſcepiſſe ex conſilio Superiorum. Quod Ipſi gratulamur.

Huc refero: Schreiben an Hn. Hofrath Michaëlis / worinn um die auflöſung gewiſſer zweifel geziemend gebeten wird 1769. 4. Dubia ſpectant ejus Paraphraſin Epiſt. ad Hebræos, quæ ſoluturum ſe indicavit P. III. libri Vermiſchte Nachrichten.

V. C. GODOFR. LESS *Prof. Theol.* in Ordinarium Ordinem Facultatis Theolog. receptus eſt 1765. Edidit.

—— Progr. ad *Joa.* XVII: 3. 1765.

—— Betrachtungen über einige neuere fehler im predigen / welche das rührende des Canzel-Vortrags hinderen. Bey übernehmung der Aufſicht über das hieſige Prediger Collegium 1765. 4.

—— Orationem Inaug. *de commodis ex curatiori adfectuum ſenſuumque humanorum notitia ad Theologiam, præſertim mores ſpectantem, redundantibus*.

—— & progr. *Quantum interſit Theologi, humanæ mentis adfectus curatius noſſe* 1765.

—— Diſſert. Inaug. *de donis miraculoſis* 1766.

—— Compendium der Theologiſchen Moral 1766. 8.

—— Beweis der Warheit der Chriſtlichen Religion / 1768 8. Valde laudatur

Sub LESSII V. C. præſidio Diſſ. ſcripſit CAR. GABR. BRAEMER, in qua *ſententia Lutherana de præſentia reali, unione & manducatione ac bibitione ſacramentali corporis & ſanguinis Chriſti in S. Cœna breviter exponitur* 1766.

Hic vocatus fuit in locum b. *Heilmanni* V. C. GOTTHELF TRAUGOTT ZACHARIÆ Prof. hactenus Theol. *Butzovienſis* 1765.

Edidit progr. ad Orat. ſuam Inaug. de *prudentia Theologica circa τρόπον παιδείας per ſingulas doctrinas Theologicas obſervanda* 1765.

—— progr continens *Comment. Exegeticam loci Rom* VIII: 23. 1766.

—— progr *de doni Prophetici variis gradibus in Eccleſia Chriſtiana* 1767.

—— Diſſ. primam *de uſu dogmatico nominis Filii Dei* 1768.

—— Paraphraſtiſche Erklärung des Briefes an die RÖMER, zum gebrauch der Exegetiſchen vorleſungen über dieſen brief 1769. 8.

—— Erklärung der beyden Briefe an die CORINTHER 1769. 8.

Sub præſidio cl. *Zachariæ* edidit CHRISTIANUS PETRUS POLCHOW Diſſ. *de Formula baptiſmali* 1766.

—— —— JOA. FRID. LUD. SCHNOBEL Diſſ. *de notione fidei Biblica* 1769.

V. C.

V. C. Jo. PETRUS MILLER, hactenus *Rector Scholæ Halenſis* b. *Heumanno* in Prof. Theol. ſuffectus eſt. Edidit

— progr. ad *Orationem ſuam Inauguralem*, quæ *Theologum amabilem* exponit, *de Chriſti Regis providentia* 1766.

— progr. de *conſecratis inde à Chriſto nato Litterarum ſtudiis* 1766.

— *Inſtitutiones Theologiæ Dogmaticæ in uſum auditorum conſcriptas* 1767. 8.

— Hn. VON MOSHEIM Sittenlehre der H. Schrift von dem Hr. Prof. verfaſſet 1767. 4.

— Grundſätze einer weiſen und Chriſtlichen Erziehungskunſt 1769. 8.

V. C. P. J. FOERTSCHIUS edidit progr. *de ratione, quam inter ſe habent teſtimonium Sp. S. & argumenta Evangelii veritatem evincentia* 1763.

— progr. quo exhibetur *Interpretatio dicti Paulini de* Ευλογια *Evangelii Chriſti ad Rom.* XV: 29. 1764.

— progr. *quo monſtratur Chriſtus* θανατοκτονος, *ad verba Hoſ.* XIII: 14. 1769.

Prodierunt V. C. c GEO. DETHARDING, *V. D. M. Roſtoch.* Diſſert. Inaug. *de Catecheſi Chriſtiana ad Hebr.* VI: 1, 2. 1765.

V. C. CAR. CHRISTOPH. REICHE, Diſſ. Inaug. *qua de miſericordia Dei nonnulla exhibet* 1767.

Prüfung der TELLERISCHEN Erklärung über 1 *Moſ.* XLIX: 10. 1768. 8. probatur per שילה non poſſe intelligi urbem Silo, nec per שבט tribum Judæ; ſed hæc datur Paraphraſis: *quando Juda ſceptro potiturus eſt*, quod non niſi Davidis tempore accidit, *tunc nunquam illud amittet, donec filius ejus* שילה *venerit.*

Externe quidam illud amittet, ſed imperium filii ejus revera in æternum durabit, omnesque gentes illi obedientiam præſtabunt.

V. C. KERN, *Philoſ. adjuncti*, Diſſ. *ad Stoicorum dogma de Deo* 1764.

— *Doctrina Symbolica Eccleſiæ Chriſtianæ Evangelicæ de Operationibus gratiæ Ordinariis* 1766.

— Epiſtola *ad Walchium V. C. ſuper Jeſ.* VII: 14—16. 1767.

Prüfung der Philoſophiſchen und Moraliſchen Predigten 1767. 8. Laudatur in Diario Gottingenſium, indicatis ſimul quibusdam defectibus.

Hn. J. F. VELDHUSEN von den CHERUBINEN, und der in der Bibliſchen Poëſie angenommenen Bilderlehre der Alten Hebræer 1764. 8.

V. C. G. C. GEBAUER J. C. Narratio *de Henr. Brenckmanno, de ſcriptis Brenkmannianis, de ſuis in Corpore Juris Civilis conatibus & laboribus; accedunt Mantiſſæ de libro longe rariſſimo, Bibliotheca Antonii Auguſtini & Vita Henr. Newtoni* 1764. 4.

— *Veſtigia Juris Germanici Antiquiſſima in C. Cornelii Taciti Germania obvia, ſive Diſſertationes XXII. in varia aurei illius libelli loca, cum nonnullis ſimilis argumenti, juſto ordine collocata* 1765. 8.

— G. L. BOEHMERI J. C. Principia *Juris feudalis, præſertim* Longobardici, *quod per Germaniam obtinet* 1765. 8.

— Obſervationes *Juris Canonici* 1766. 8.

— T. ST. PUTTERS J. C. Kurtzer Begrif des Staats-Rechts 1764. 8.

— Verſuch einer Akademiſchen Gelehrten-geſchichte von der Georg Auguſtus Univerſität zu Göttingen 1765. 8.

— Neuer Verſuch einer Juriſtiſchen ENCYCLOPÆDIE und Methodologie nebſt etlichen Zugaben &c. 1767. 8.

— Progr. continens *Commentat. de inſtauratione imperii Romani ſub Carolo M. & Ottonibus facta ejusque effectibus* 1766.

— P. L. AYRERI *J. C. Hermannus Slavicus, brevi delineatione adumbratus* 1768. 8.

ub ejus præſidio GE. FR. RICHTER. Diſſ. Inaug. *de Jure Epiſcopali Principum Evangel. pactitio* 1767.

J. C. CHRIST. HARTM. SAM. GETZERT, *J. C.* Comment. *Juris Exotici hiſtorico-Litteraria de Jure Communi Angliæ, of the Common Law a England* 1765.

— JO. JAC. ANDREÆ Diſſ. Inaug. *de juſta delictorum & poenarum quantitate* 1768.

— JOA. HENR. CHRIST. DE SELCHOW *J. C.* Elementa *Juris publici Germanici, in uſum auditorii, Tom. I. continens jus publicum ſtricte ſic dictum* 1769. 8.

— JO. JAC. SCHMAUSSII *Compendium Juris publici cum annotationibus V. C. Jo. Henr. Chr. à* SELCHOW 1766. 8.

— C. G. HEYNE Progr. in *quo diſputantur nonnulla de efficaci ad diſciplinam publicam privatamque vetuſtiſſimorum Poëtarum doctrina morali* 1764.

— progr. in quo *preluduntur nonnulla ad quæſtionem de cauſis fabularum ſeu mythorum Veterum phyſicis* 1764.

— progr. *quo delibantur nonnulla in vita humanæ initiis a primis Græciæ legumlatoribus ad morum manſuetudinem ſapienter inſtituta* 1769.

— *de publicis privatæ frugalitatis utilitatibus, inprimis ad majorem civium frequentiam* 1765.
— Diſp. *de Veterum Coloniarum jure & cauſſis* 1766.
— Allgemeine Weltgeſchichte von der Schöpfung an bis auf gegenwärtige zeit von W. Guthrie / Joa. Gray und anderen Gelehrten / aus dem Engliſchen/ berichtiget / und mit ſeinen Anmerkungen verſehen 1765. — 6 Theile 8.
— progr. 3 *de frugum ſativarum, panificiique originibus* 1768. —
— Progr. *de legum Locris a Zaleuco ſcriptarum fragmentis* 1767.
P. VIRGILII MARONIS Opera, *varietate lectionis & perpetua adnotatione illuſtrata a V. C.* C. G. HEYNE, *accedit Index uberrimus* 2 vol. 1767. 8.
V. C. J. C. GATTERER, P. P. Handbuch der Univerſalhiſtorie nach ihrem geſammten umfange / bis auf unſere zeiten 1765. 8. 2 Theile.
— *Elementa artis Diplomaticæ Univerſalis cum tabulis XII æri inciſis* 1765. —
— *Synopſis Hiſtoriæ Univerſalis ſex tabulis, quarum duæ in æs inciſæ coloribusque illuſtratæ ſunt, comprehenſa & Academiæ Hiſtoriæ Goetting. oblata* 1766. *fol.*
— Allgemeine Hiſtoriſche Bibliothek von Mitgliedern des Königl. Inſtituts der Hiſtoriſchen Wiſſenſchaften zu Göttingen 1765. 8. 4 Theile.
— G. C. HAMBERGERS, Prof. und Bibliothekarius/ Zuverläſſige Nachrichten von den vornemſten Schriftſtellern vom anfang der Welt bis 1500. vier Theile 1762. 8.
Ορφεως απαντα. ORPHEI *Argonautica, Hymni, Libellus de lapidibus & fragmenta cum n. H.*

Stephani & A. C. Eſchenbachii & JO. MATTH. GESNERI, curante V. C. HAMBERGERO.

V. C. JEREM. NIC. EYRING diſſ. *de Hiſtoria Univerſalis apud Græcos Romanosque & noſtros jam ſcriptores diverſa ratione* 1764.

— CHRIST. AD. KLOTZIUS, *P. edidit* inter alia dum *Goettingæ* commorabatur, Τυρταίου τα σωζόμενα, *Tyrtæi quæ reſtant omnia, cum notis* 1764. 8. Adcedit *Corollarium de Carminibus bellicis variorum populorum*, quæ Sacris etiam Litteris lucem fundere poſſunt.

— Vindicias *Q. Horatii Flacci & Comment. in Carmina Poëtæ* 1764. 8. Contra Harduinum directæ ſunt, & laudantur.

— *Acta Litteraria* 1763. Vol. V. 8.

— *Stratonis, aliorumque Veterum Poëtarum Græcorum Epigrammata, nunc primum edita* 1764. 8.

— *Epiſtolas Homericas* 1764. 8.

— *Hiſtoriam nummorum Contumelioſorum & Satyricorum* 1765. 8.

Sub *ejus* præſidio edidit D. H. G. VAN PILGRAM diſſ. *de vitiis Tragædiarum, quæ vulgo Senecæ tribuuntur* 1765. Editionem Senecæ & Animadverſiones in eundem parat.

V. C. J. C. WRISBERG Prof. *Anatomiæ* conſtitutus eſt. 1765.

— P. L. VOGEL, *Med. Prof.* edidit progr. *continens dubia de uſu circumciſionis Medico* 1763.

— — progr. *de verioribus balſami Meccani notis* 1764.

— progr. *de Pauli Aeginetæ meritis in Medicinam inprimis Chirurgiam* 1768.

— JOA. ANDR. MURRAY, *Ordinarius* Medicinæ Profeſſor conſtitutus eſt 1769.

V. C. AUG. GOTTL RICHTER ſcripſit Diſſ. Inaug. *de priſca Româ, in Medicos ſuos haud iniqua* 1764.

Hn. VON BLAINVILLE, Reiſe-beſchreibung durch Holland/ Oberdeutſchland/ die Schweitz/ beſonders durch Italien/ zum drukke beförderts von GE. TURNBULL und W. GUTHRIE, ins Deutſche überſezt/ erläutert und mit anmerkungen verſehen von Hn. Prof. TOBIAS KOEHLER 1764. — 8, vier Theile.

— EDUARD CLARKE, Geſandſchafts-predigers/ Briefe von dem gegenwärtigen Zuſtande des Königreichs Spanien in den jahren 1760/ 1761. überſezt und mit anmerkungen verſehen von Hn. Prof. JO. TOBIAS KOEHLER, Lemg. 1765. 8.

Hn. PETER KALMS, Profeſſors zu Abo &c. Beſchreibung der Reiſe/ die er nach den Nördlichen Amerika auf befehl und öffentliche koſten unternommen/ aus dem Schwediſchen 1762. — 3 theile.

— KRASCHENINNIKOW, Prof. Beſchreibung des landes Kamſchatka/ nach dem Engliſchen Auszuge des Doktors Grieve/ überſezt von Hn. Prof. J. T. KOEHLER 1766. 4.

V. C. N. SCHLÖZER *Memoriæ Slavicæ, in quibus origines gentis Slavicæ oſtenduntur* v. Diaria Gotting. litterata 1766.

— A. G. KÆSTNER, *Conſil. & Prof.* Oratio *de moribus eorum, qui quæſtus ſolius cauſa ſtudent* 1760.

— Erläuterung eines Beweisgrundes für die Unſterblichkeit der menſchlichen Seele 1767.

— Betrachtungen über die art/ wie die allgemeine Begriffe im Göttlichen verſtande ſind 1767.

— Einige vorleſungen in der Königlichen Deutſchen Geſellſchaft zu Goettingen 1768. 8.

Sub

Sub ejus præſidio edidit JO. CHRIST. POLYC. ERXLEBEN vindicationem *ſyſtematum animalium mammalium* 1767. Prodierunt etiam

V. C. HOLMANNI, *Prof. P. Philoſophiæ naturalis primæ lineæ, editio auctior* 1765. 8.

—— *Primæ Lineæ Philoſophiæ moralis ſeu Ethices* 1768. 8. Varia habet paradoxa.

—— JOA. GEO. HENR. FEDER, hactenus in Gymn. Coburgenſi, vocatus hic *Profeſſor Philoſophiæ ordinarius* 1767.

Prodiit Syſtem der Weſen / enthaltend die Metaphyſiſchen Principien der Natur / *proles ſine matre creata, ſine loco & nomine Auctoris* 1768. 12. Ex recenſione Goettingenſi adparet Auctorem multis ſophismatibus docere, in rerum natura nulla eſſe contingentia, &. merito ab ea vapulat.

Hn. CHRIST. FR. GOTTH. WESTFELD, die Erzeugung der Farben / eine Hypotheſe 1767.

V. C GUSTAVUS MURRAY, diſſ. Inaug. quæ inſcribitur *Poſitiones Selectæ* 1768. & dicitur momentum habere, quia critice de fontibus veteris hiſtoriæ Septentrionalis agit.

—— ABR. KÅLL, *Bibliothecarii Regii Hafnienſis*, ſpecimen *novæ editionis ſententiarum Theognidis, Megarenſis, Poëtæ antiquiſſimi* 1768. 4.

DON LOUIS JOSEPH VELASQUEZ, Geſchichte der Spaniſchen Dichtkunſt / aus dem Spaniſchen / und mit anmerkungen erläutert von Hn. Prof. JOA. ANDR. DIEZE 1768. 8.

V. C. ERNST CHRISTOPH. WALCH Comment. *de tutela impuberum Attica* 1767.

—— BERN. GEO. WALCHII Comment. *de Cyri expeditione in Maſſagetas* 1766.

— [illegible]. Epiſtola Critica [illegible] Imp. [illegible] in [illegible] & [illegible] [illegible] 1769. 8. [illegible]

[illegible] in [illegible] edita eſſe opuſcula [illegible]

THEOPHANIS PROKOPOWIZ, *Archiepiſcopi Novogrodienſis*, *hiſtoria*, *in qua de ortu & progreſſu controverſiæ Græcos inter & Latinos de proceſſione Sp. S. agitatæ narratur &c. tractatui de proceſſione Sp. S. Theologico inſerta* 8.

— — — — Epiſtola *ad Profeſſores Academiæ Kiovenſis anno* 1718. *die* 5 *Aug. Narva miſſa.*

— — Deſcriptio *Jeſuitarum*, *excerpta ex Inſtitutionibus ejus Oratoriis.*

— — doctrina *de Blaſphemia*, *ſive peccato in Sp. S.*, *ex ſyſtemate ejus Theologico excerpta.*

GOTHÆ.

Hn. J. C. ADELUNGS, Pragmatiſche Geſchichte Europens &c. fünfter und ſechſter Band 1764. 1765.

— L. C. SCHMAHLINGS, Predigers / Ruhe auf dem Lande 1767. 8. Laudatur.

GRONINGÆ.

V. C. DANIEL GERDES, cui præſertim plurimum debet *Hiſtoria Reformationis*, diem obiit ſupremum 1765. d. 2. febr.

— poſt ejus obitum adhuc prodiit *Specimen Italiæ Reformatæ, ſive obſervata quædam ad hiſtoriam renati in Italia tempore reformationis Evangelii, una cum Syllabo Reformatorum Italorum* 1765. 4. V. C. EW. HOLLEBEEKIUS, cel. Viri gener, b. Soceri vitam & ſcripta in præfatione eleganter expoſuit.

In ejus locum ſucceſſit V. C. GERARDUS KUYPERS, dicta Oratione *de Impedimentis certum in Theologicis conſtituendi, optimaque iis in magnum religionis commodum occurrendi ratione* 1766.

V. C. PETRO CHEVALIER, *Theologo*, Provincia *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Gerdeſii obitu vacua, demandata eſt.

— cujus Oratio *de Litteris humanioribus optimo Religionis Chriſtianæ præſidio* prodiit 1764.

— NICOLAUS ENGELHARD, *J. U. & Ph. D. ejusdem ut & Matheſeos Prof. &c.* fere Septuagenarius obiit 1765. d. 10. Julii. Docuit hic annos 37, Vitam & ſcripta expoſita lege in *Bibl. des Arts, & des Sciences T. XXIV. p.* 261.

In ipſius locum vocatus fuit Franekera V. C. ANTONIUS BRUGMAN, qui demandatum ſibi munus auſpicatus eſt d. 21. Maji 1766. Orat. Inaug. de *proferendis Phyſices pomoeriis, cui addita eſt Lectio Inaug. de incognitis Dei perfectionibus.* Valde laudantur & laudari merentur.

V. C. JAC. DE RHOER, *Daventria* evocatus, Cl. *Lennepio*, Franequeram delato, ſucceſſit ut *Prof. Ord. Linguæ Græcæ & Latinæ*,

RICHTER ſcripſit Diſ[illegible]

Medicos ſuos [illegible]

[illegible]ILLE, Reiſe-[illegible]

[illegible] / die [illegible]

[illegible] / zum Drucke [illegible]

[illegible] W. GUTHRIE, ins [illegible]

[illegible] mit Anmerkun[illegible]

[illegible] KOEHLER [illegible]

[illegible] Grandiſſ[illegible]

[illegible] Zuſtan[illegible]

[illegible] 176[illegible]

[illegible]

[illegible]KOEHLER. [illegible]

[illegible]

differt, tumque rectus vel rebus conveniens dici meretur, quando res juxta regulas Hermeneuticas ubique locorum eliciuntur. Styli autem Orientalis cum, vel adfirmante Doctiſſimo Auctore, in Hermeneutica quoque ratio ſit habenda, dijudicanda mihi videtur ſublimitas ſtyli Prophetici tam ex guſtu Poëſeos Orientalis, quam ex guſtu ipſarum rerum. Amiciſſime hæc dicta ſunt, eaque æque amiciſſime Vir S. Rev. excipiat enixe rogo.

— LEON OFFERHAUS, *Hiſt. Prof.* edidit *Compendium Hiſtoriæ Fœderati Belgii per modum Annalium, in uſum juventutis Academicæ* 1764. 8.

— N. G. SCHROEDERUS *LL. OO. P. Grammaticam Hebræam cum Syntaxi* 1765. 8. quæ ubique, ſi quid video, recipi meretur.

V. C. GUALTERUS V. DOEVEREN, *Med. Prof.* ſpecimen *Obſervat. Acad. ad monſtrorum hiſtoriam, Anatomen, Pathologiam & artem Obſtetriciam præcipue ſpectantium* 1765. 4. cf. Bibl. d. ſ. T. XXIV. p. 180.

— GERA HEERKENS, variarum Acad. ſocius, *Notabilium Libros II.* 1765. 8.

— ARIE DRYFHOUD, *Heerenvena Friſius* Diſſ. Inaug. *de mundo in gloriam Dei condito* 1765.

— C. M. MERKELBACH, *Haſſo Rheinſeldenſis*, Diſſ. Juris publici univerſalis, *exhibentem genuina fundamenta, quibus jura majeſtatica, inprimis vero jus puniendi & aggratiandi nituntur*, ſub præſidio V. C. FR. ADOLPH. VAN DER MARK, *J. C.* 1767.

— ——— Diſſ. Polit. Juridicam Inaug. *qua disquiritur: Num Imperator Juſtinianus perſonam*

ſonam boni prudentisque Legislatoris in omnibus ſuſtinere queat 1767.

— ——— Diſſ. Juris naturalis, *de Jure Naturæ, optimo veræ religionis Chriſtianæ præſidio* 1768. Quemadmodum tres hæ Diſſertationes ſe ſoliditate & acumine judicii commendant, ita *ultimam* Theologis gratiſſimam fore arbitror; & quam vellem illi, qui Theologiæ operam dant, ex ea diſcant, quantum Theologi interſit, ſtudio juris Naturæ incumbere.

— JOA. GERA WICHERS, *Groninganus*, Diſſ. Hiſtorico-Juridicam *de cauſſis, naturalis Jurisprudentiæ progreſſum impedientibus* 1768.

— ——— Diſſ. Hiſt. Jurid. Polit. Inauguralem *de Tribus Politicorum fundamentalibus, in omni republica caute vitandis, erroribus, Machiavellismo nimirum, Monarchomachismo ac Hierarchismo* 1768.

V. C. JOA FLOR. VAN OMPHAL, *Noviomago-Gelrus*, Differt. Juris Patrii Inaug. *de origine atque Indole reconciliationis propinquorum occiſi, quæ patria lingua* Soeninge *nuncupatur*. 1768.

— CAMPEGIUS HERM GOCKINGA, *Groninganus*, Diſſ. Jurid. Inaug. *de Mitigatione pœnarum* 1768.

— ARENT ANTHONIS ROUKENS, *Noviomago-Gelrus*, Diſſ. Politicam Inaug. *de Optima Reipublicæ forma* 1769.

— GRA JAC GER. BACOT, *Turnaco-Flandrus*, Specimen Philoſoph. Inaug. *ſingulare argumentum exhibens, quo veras hujus mundi ſubſtantias ſimplices eſſe, ac vi repræſentandi*

gau-

gaudere, ex natura Dei & mentis humanæ demonſtratur 1768.

—— Diſſert. *duas* Juris Eccleſiaſtici Univerſalis *de propaganda fide*. 1769. Materia hæc ponderoſiſſima eſt in ſcholis præſertim Proteſtantium, & revera cl. Auctor multa protulit in hanc rem optimæ frugis, & feliciter contra *Voltarium, Rouſſeau* & *Boulangerum* &c. diſputat. Capite *primo* ex univerſis Philoſophiæ moralis principiis probat obligationem proximos amandi, ac proin eos viam ſalutis docendi. Capite *ſecundo* evincit Divinæ cujusdam Revelationis probabilitatem ac neceſſitatem, vindicat ejus quam Chriſtiani profitentur, veritatem, atque probat obligationem ad hanc omnibus propagandam omnium maximam eſſe. Cap. *Tertio* promittit agere de natura civitatis atque Eccleſiæ; de vero privatorum, eccleſiarumque jure ac obligatione ad fidem propagandam per conſtitutas civitates haud tollendis; de jure ſacerdotali laicorum ſub N. T., de formis pactisque eccleſiarum; de formularum fidei neceſſitate, uſu & abuſu; de conciliis privatis; de privata educatione ac religionis inſtitutione; de Tolerantia Eccleſiaſtica &c. Cap. *Quarto* disquirendum ipſi erit, quousque Principum jus ac obligatio circa Religionem ſeſe extendat; atque quænam optima legitimaque, ad fidem intra civitatis pomoeria propagandam, videantur media, quænam vero pro minus idoneis habenda ſint, ubi quoque diſputabit de Eccleſia, publica auctoritate, privilegiis munita; de jure

jure Principum circa ſacra; de tolerantia publica; de Conciliis publica auctoritate convocatis, de doctrina atque educatione publica, inprimis de Academiis; & oſtendet veros Chriſtianos optimos eſſe cives contra quosdam Naturaliſtas. *Cap.* denique *ultimo* explorabit, qualis ſit gentium obligatio ac moralis facultas ad fidem etiam apud alias gentes propagandam; & indicabit media quædam huic fini optime accommodata, & evitandos abuſus. Arduæ hic occurrunt quæſtiones, quæ omnino in hæc litterarum optimarum & præſertim Juris Naturalis lucem excuti merentur. Ingenuus veritatis amor, quam teſtatur Doctiſſimus Auctor, & ſingularis ἐπιείκεια optima quæque ab eo ſperare jubent, optareque, ut metam hanc feliciter abſolvat. Liceat addere propter materiarum gravitatem, Feſtinet lente. Ceterum ex adjecto *Elego*:

Veraque per totum creſcat feliciter orbem
Religio, ac nullum ſuadeat illa malum!

quod omnium piorum & cordatiorum votum eſt, cognoſcimus.

V. C. Jac. de Rhoer *Vota* edidiſſe *ad Deum pro ſalute publica in auſpiciis hujus anni* 1769. ex quibus hic Elegus deſumtus eſt. Haud incongruum eſſe arbitror exoptare, Litterator aliquis eruditus, & ipſe Poëta, carmina Latina conligat ſelectumque inſtituat, publicique juris faciat, quo elegantiores Litteræ, quas pauciſſimi ea qua par eſt venera-

nerationе & cura colunt, & in hoc genere ut olim floreant, viresque reſumant pæne deperditas.

Quæſtionem Juris Politici FRID. ADOLPH. VAN DER MARK, *Anteceſſorem Groninganum celeb.* inter & alios J. C. agitatam: num & quatenus prudentiæ conveniat civili in rep. Groningana Jus recipere peregrinum, præſertim Romanum, non niſi leviter tango. Varia in utramque partem ſcripta prodierunt, ex quibus tantum ſequens hoc unicum memorandum eſſe cenſeo, quia ſtatus totius quæſtionis in eo adeo dilucide videtur expoſitus, ut diſputationis fervor ab edito hoc libello ceſſaverit:

Onderzoek van het gevoelen van den Heero Profesſor VAN DER MARK, *benevens de Tegenwerpingen tegens hetzelve ingebragt, enz. door Aletophilus Eleutherius, Gron.* 1767. 8. cf. Bibl. des Sciences T. XXIX. P. I. p. 1. ſq.

Theologis commendandæ & ab ipſis rite dijudicandæ ſunt V. C. FRED ADOLPHI VAN DER MARK *Theſes Juris Eccleſiaſtici Proteſtantium Univerſalis, cum adjectis Theſibus in Acad. Groningo-Omlandica defenſis, Gron.* 1768. editæ 8.

GRYPHISWALDI.

Vocatus fuit ut *Theologiæ Profeſſor, membrum Conſiſtorii Regii & V. D. M.* J. E. SCHUBERTUS, Vir Celeberrimus, Theologus ante hac *Helmſtadienſis* & *Abbas Coenobii ad lapidem S. Michaëlis.*

Edidit

Edidit Diſſ. *de principio Theologiæ Socinianæ* 1765.
— Geſchichte des Römiſchen Pabſts Vigilius, nebſt einigen Betrachtungen über die Päbſte, Concilien und Glaubensformeln 1758. 8. Laudatur
V. C. JOA. ERICHSON, *V. D. M. Starkomenſis* Bibliothecam *Runicam* 1766. 4.

GUELPHERBYTI.

ANT. CLEM PRUDENTII *Hymnum de Martyrio S. Laurentii ex recenſione Th. Ruinarti Ord. Bened. ex Congreg. S. Mauri denuo recenſuit, Variantes Lectiones ſuasque notas adjecit & aliorum* V. C. P. A SCHIER, *A. M.*, cui accedit Epiſtola *de Laurentio Martyre & de condito in ejus honorem monaſterio ad Schoeningam* V. C. J. C. HARENBERGII, *ejusdem Monaſterii Præpoſiti & Prof.* 1764. 8.

HAFNIÆ.

Obiit d. 10 Dec. 1763. V. C. CASP FRID MUNTHE *Prof. linguæ Græcæ*, idem ille, qui *Obſervat. Philolog.* edidit *in N. T. ex Diodoro Siculo.*
Et 1764. d. 15 Aprilis V. C. PETRUS HORREBOW Octogenario major, *Med. Philoſ. Matheſeos & Aſtronomiæ Profeſſor &c.* Vir inclytus.
— d. 31. Oct. 1764. V. C JOA BANG, *Th. D. & Prof. ut & membrum Conſiſtorii.*
— Vir S Venerabilis ERICUS PONTOPPIDANUS, *S. Th. D. & Prof. Pro-Cancellarius Academiæ Hafnienſis, Epiſcopus Bergenſis, Societatum ſcient. Hafnienſis & Petropolitanæ membrum* d. 20 Dec. 1764. Vir variis ſcriptis inclytus.

Edi-

Ediderat paulo ante obitum. Schrift und Vernunftmäſsige Abhandlung von der Unſterblichkeit menſchlicher Seelen / deren befinden in dem tode / und deren zuſtand gleich nach dem tode 1764. 8.

Poſt ejus obitum adparuit: Deſſen Däniſcher Atlas/ oder Beſchreibung des Konigreichs Dänemark nach ſeiner Politiſchen und Phyſikaliſchen Beſchaffenheit / mit landcharten und Kupferſtichen / überſezt und mit anmerkungen begleitet von Hn. JOHAN ADOLPH SCHEIBEN 1765, 1766. 4.

Obiit & 1765. d. 15 Febr. V. C. E. D. HAUBER, *V. D. M. Eccleſiæ Germanicæ Lutheranæ*, qui inſigne nomen adeptus eſt in rep. Litteraria, pulſa feliciter ſuperſtitione.

—— ſc. *Bibliotheca ſua Magica*, quæ a Theologis legi omnino meretur.

—— & ipſo anno emortuali, edito hoc libello: Gründliche Unterſuchung der ungewönlichen groſſen ſummen geldes / welche der König David zu dem bau des Tempels zu Jeruſalem geſammlet und hinterlaſſen hat 1 *Chron.* XXII: 14. 8. Laudatur

Et V. C. PETRUS ROSENSTAND SOLSKE, *S. Th. D. & Prof. Conſiſtorii Regii membrum* d. 14 Junii 1769.

Conſtitutus eſt a Rege anno 1764. *Theol Profeſſor* V. C. JOA. ANDR CRAMER, Regi a Sacris, qui *Homiliarum Sacrarum* multos jam libros edidit, maſculam ſpirantes pietatem & ſuadam, inprimis vero orbi erudito notiſſimus eſt ex Germanica elegantiſſima *Continuatione hiſtoriarum mundi & religionis* a JAC. BENIGNO BOSSUETO inceptarum, quæ, num finem jam nacta ſit, nondum reſcivi.

Itidem dictus fuit anno 1765. *Theol. Profeſſor* V. C. EVERARDUS DAVID HAUBER, *Th. D. & V. D. M.*

Prodierunt quoque: *Arabum Philoſophia popularis, ſive Sylloge nova Proverbiorum a Joanne Salomone Damaſceno dictata; excepit & interpretatus eſt perill. Vir* FRID. ROSTGRARD p. m. *edidit cum annotationibus nonnullis* V. C. J. C. KALLIUS 1764. 8.

V. C. CHRIST. GOTTH. SEYDLITZ, *Decani Communitatis Regiæ legentis,* Tractatus *de Moralitate actionum liberarum tam objectiva quam ſubjectiva, quem præmio dignum cenſuit Senatus Univerſitatis Regiæ Hafnienſis* 1765.

— JOA. LUD CHRIST. PONTOPPIDANI, *Theol. Prof. in Academia Equeſtri Sorana,* Comment. *de fulminum Synagogicorum in Sectam Schabtai Zewi Triade* 1766. 8.

Symbolæ ad interpretationem Sacri Codicis 1768. 8. Ex dedicatione Auctor adparet eſſe Vir doctiſſimus GODOFREDUS BENEDICTUS FUNK. Verſatur potiſſimum in Litteratura Orientali, ex qua ſignificatum verborum eruit, & ſatis feliciter loca quædam V. T. inluſtrat. e. g. verba עור, עיר, ערר, ערה, שקם & voces שמלה & בשנה explicat. Ita e. c. JES. IX: 4. interpretatur

Ut die Midianitico,
Cum quisque trepidans alligabat caligam,
Et amiculum nocturnum in ſanguine volutabatur,
Ignis incendio conſumendum.

& JUD. V: 13. refutatis *Lettio* & *Tellero*

Jam deſcende, ſuperſtes, ad Heroas!
Gens Dei, deſcende inter fortes!

Symbolas has ut amplificet, Virum Doctiſſimum rogamus.

Vi-

Vidimus ex eis V. C. J. C. KALLIUM edidiſſe *Obſervationes ad loca quædam Biblica* 1758.

Ad hiſtoriam præſertim Naturalem ſpectant. Der Drontheimiſchen Geſellſchaft Schriften / aus dem Däniſchen mit kupfern. Ab anno 1765. inchoatum opus & continuatum 8.

HAGÆ COMITUM.

Prodierunt *Origines Typographicæ*, GERARD MEERMAN *Auctore. Tomi Duo* 1765. 4. Opus ſplendidum, maxima cum cura elaboratum & Meermanniano nomine digniſſimum. Et ſane ubi Belgium ad ſervandum ſibi invidendum incunabulorum Typographiæ honorem opus habebat Viro Inluſtri, nemo ipſi contingere poterat major nec dignior Conſultiſſimo & Ampliſſimo MEERMANNO, qui in his litteris totus habitat, cui inſtructiſſima Bibliotheca adparatum præbet ditiſſimum, cuique nihil eruditionis aut acuminis ingenii deeſt. Hic patriæ amore ductus ſpreto improbo labore, & ſibi & genti ſuæ æternum ſtruxit munimentum.

EJUSDEM *Viri Excell. & Doctorum Virorum ad eum Epiſtolæ atque Obſervationes de Chartæ vulgaris ſeu lineæ origine. Edidit & præfatione inſtruxit* Vir Doctiſſimus JAC. VAN VAASSEN 1767. 8.

Letter- en Oudheids-kundige Verluſtigingen, of Ophelderende Aanmerkingen over verſcheide Bybelſche, Waereldlyke en Wysgeerige Keurſtoffen, door den Heere PETRUS NIEUWLAND, *Predikant in 's Gravenhage* 2 *deelen* 1765. 8.

Multa pl. Reverendus & Doctiſſimus Auctor, Collega Amantiſſimus, habet lectu jucunda & prodit lectionem multifariam.

De Spyze door het Gebed, en de Dankzegging geheiligd, door den Heere JO MARTIN HOFMAN, *Ruſtend Predikant van Maasſluis* 1765. 8. Libellus hoc tempore utiliſſimus, quo precum in prandio vel coena nulla apud quosdam habetur ratio, & utinam legant qui eas inſuper habent!

Lettres de CHARLES DRELINÇOURT *au Prince Erneſt Land-Grave de Heſſe, ſur ſon changement de religion, nouvelle Edition, retouchée & augmentée de notes par Mr.* J. COURTONNE, *Paſteur a Leuwarde* 1765. 8.

l'Indifference inexcuſable en matiére de Religion, ou Examen ſerieux & impartial de la certitude, de l'importance & de l'harmonie de la religion tant naturelle que revelée par Mr. SAM SQIRE, *Docteur en Theologie, traduit de l'Anglois par feu Mr.* ABR. PIERRE BOISNEAU, *Paſteur de l'Egliſe Wallone a la Haye* 1767. 8. Legi meretur.

Recueil d'Opuſcules, concernant les Ouvrages & les Sentimens de Mr. J. J. Rouſſeau, ſur la Religion & l'Education 1765. 12.

Oeuvres de JEAN SLEIDAN, *traduits de nouveau en François par Mr.* PIERRE FRANCOIS LE COURRAYER, *Docteur en Theologie avec des notes Vol. III.* 1767. 4. cf. Bibl. des Sc.

Trop eſt Trop, Capitulation de la France avec ſes Moines & Religieux de toutes les livrées, avec la revue generale de leurs Patriarches 1767. 8. Auctor dicitur eſſe famoſus *Maubert.* Exagitat Monachatum Eccleſiæ Romanæ

manæ ſatyrico ſale ſatis feliciter, ſed quo ſit erga Religionem revelatam animo non obſcure prodit.

Natuur en Geneeskundige Bibliotheek, waarin in 't kort voorgedragen worden alle nieuwe werken, welke in de Geneeskunde en de Natuurlyke hiſtorie buiten ons Vaderland uitkoomen; ab anno 1765. utiliſſimum hoc opus conſtruxit V. C. EDUARDUS SANDIFORT, *M. D. & variarum Societ. Scient. Sodalis.*

Grondbeginzels der Werktuigkunde enz. door den Heere J. J BLASSIERE, *Meeſter in de Matheſis* 1768. 8.

Eſſai ſur l'union de la Poëſie & de la Muſique 1765. 8.

Vies des Gouverneurs Generaux avec l'Abregé de l'Hiſtoire des etabliſſemens Hollandois aux Indes Orientales, par Mr. J. P. J. DU BOIS 1763. 4.

In *Bibliothèque des Sciences & des beaux arts,* quæ hic prodeunt, præter recenſiones librorum, inveniuntur etiam aliquoties Epiſtolæ vel Elogia &c. nondum edita. Ita legitur

T. XIX. *Eloge hiſtorique de Mr. Baulacre.*
Lettre ſur le nombre des habitans d'Amſterdam, qua oſtenditur numerum hunc adæquare numerum 300, 000. hominum, adeoque 100, 000 plures ibi dari, quam Doctiſſimus *Wagener* numeravit.

T. XX. *Epitre au Chevalier d'Oliveyra ſur le dernier Acte de Foi de Lisbonne, par Mr. de ** a Geneve* 1762. Gratias habemus doctiſſimis Diarii

rii hujus Auctoribus, quod elegantem hanc Epiſtolam Diario ſuo inſeruerint.

T. XXI. *Memoire touchant la Mer Rouge, par Mr.* DES VIGNOLES.

T. XXII. *Lettre de M. J. G. Chaufepié a Mr. J. J. Rouſſeau, pour maintenir l'honneur du Miniſtere.*

T. XXVI. *Elogium Tiberii Hemſterhuſii*, V. C. *Lettre ecrite de Geneve du* 15. *Juillet* 1766. *a l'occaſion de quelques pieces de Mr. de Voltaire.* *Declaration des Etats de Suede en faveur de Mr. d'Arkenholtz.*

La Republique Romaine, ou Plan General de l'ancien Gouvernement de Rome, ou l'on developpe les differens reſſorts de ce Gouvernement, l'influence, qu'y avoit la religion, la Souverainité du peuple &c. par Mr. DE BEAUFORT, *Membre de la Societé Royale de Londres vol.* 2. 1766. 4. Litterati Goettingenſes varios in hoc opere defectus adnotarunt.

Naamlyſt van Boeken, die in de XVII *Nederlandſche Provincien geduurende de* XV *Eeuw gedrukt zyn.* Opgeſteld door den Heere en Mr. JAKOB VIESER 1767. 4. Specimen eſt conlectionis majoris, quam Vir Doctiſſimus inſtituit. Nulli dubitamus, quin, quod amice rogat, quotquot Hiſtoriæ Litterariæ operam navant Viri eruditi, lubentiſſime Viro Conſultiſſimo ſymbolas ſuas in honorem Typographiæ Belgicæ ſint conlaturi.

Sequentes Faſciculi plura dabunt.

BIBLIOTHECA HAGANA

HISTORICO-PHILOLOGICO-THEOLOGICA,

AD

CONTINUATIONEM BIBLIOTHECÆ BREMENSIS NOVÆ CONSTRUCTA.

CLASSIS SECUNDÆ,

FASCICULUS TERTIUS & ULTIMUS.

AMSTELODAMI & LUGDUNI BATAV.
Sumptibus Bibliopolarum
HENR. VIEROOT & JOA. LE MAIR,
MDCCLXIX.

ELENCHUS
SCRIPTORUM,
FASCICULI TERTII
CLASSIS SECUNDÆ.

I. TIBERII DE BAAR, *V. D. M. Witmarſumi*, Diſſertatio *in ultima verba Davidis*, 2 SAM. *XXIII:* 1–7. pag. 439

II. JOANNIS CHRISTOPHORI BÜSING, *S. Th. D. & Profeſſoris, nec non Pædagogiarchæ Bremenſis*, Diſſertatio Exegetica *de fonte in gratiam Simſonis miraculoſe a Deo producto, ad* JUDIC. *XV:* 18, 19. pag. 505

III. JOANNIS MEDHURST, *S. Th. D. & V. D. M. Bremenſis*, Diſſertatio *de vera* ΔΙΑΘΗΚΗΣ *in Scriptura Sacra ſignificatione, & Teſtamentificatione apud Hebræos.* pag. 533

IV.

— DANIELIS WYTTENBACHII, Epiſtola Critica *ſuper nonnullis locis Juliani Imp. Accedunt Animadverſiones in Eutropium & Ariſtænetum. ad Virum celeb. Dav. Ruhnkenium* 1769. 8. Laudari meretur.

Eruditi *Goettingenſes* referunt edita eſſe opuſcula ſequentia, ſine loci notitia.

THEOPHANIS PROKOPOWIZ, *Archiepiſcopi Novogrodienſis*, hiſtoria, *in qua de ortu & profectu controverſiæ Græcos inter & Latinos de proceſſione Sp. S. agitatæ narratur &c. tractatui de proceſſione Sp. S. Theologico inſerta* 8.

— — — — Epiſtola *ad Profeſſores Academiæ Kiovenſis anno* 1718. *die* 5 *Aug. Narva miſſa.*

— — Deſcriptio *Jeſuitarum*, *excerpta ex Inſtitutionibus ejus Oratoriis.*

— — doctrina *de Blaſphemia*, *ſive peccato in Sp. S.*, *ex ſyſtemate ejus Theologico excerpta.*

GOTHÆ.

Hn. J. C. ADELUNGS, Pragmatiſche Geſchichte Europens &c. fünfter und ſechſter Band 1764. 1765.

— L. C. SCHMAHLINGS, Predigers / Ruhe auf dem Lande 1767. 8. Laudatur.

GRONINGÆ.

V. C. DANIEL GERDES, cui præſertim plurimum debet *Hiſtoria Reformationis*, diem obiit ſupremum 1765. d. 2. febr.

— poſt ejus obitum adhuc prodiit *Specimen Italiæ Reformatæ, ſive obſervata quædam ad hiſtoriam renati in Italia tempore reformationis Evangelii, una cum Syllabo Reformatorum Italorum* 1765. 4. V. C. EW. HOLLEBEEKIUS, cel. Viri gener, b. Soceri vitam & ſcripta in præfatione eleganter expoſuit. -

In ejus locum ſucceſſit V. C. GERARDUS KUYPERS, dicta Oratione *de Impedimentis certum in Theologicis conſtituendi, optimaque iis in magnum religionis commodum occurrendi ratione* 1766.

V. C. PETRO CHEVALIER, *Theologo*, Provincia *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, Gerdeſii obitu vacua, demandata eſt.

— cujus Oratio *de Litteris humanioribus optimo Religionis Chriſtianæ præſidio* prodiit 1764.

— NICOLAUS ENGELHARD, *J. U. & Ph. D. ejusdem ut & Matheſeos Prof. &c.* fere Septuagenarius obiit 1765. d. 10. Julii. Docuit hic annos 37, Vitam & ſcripta expoſita lege in *Bibl. des Arts, & des Sciences T. XXIV. p.* 261.

In ipſius locum vocatus fuit Franekera V. C. ANTONIUS BRUGMAN, qui demandatum ſibi munus auſpicatus eſt d. 21. Maji 1766. Orat. Inaug. de *proferendis Phyſices pomoeriis, cui addita eſt Lectio Inaug. de incognitis Dei perfectionibus*. Valde laudantur & laudari merentur.

V. C. JAC. DE RHOER, *Daventria* evocatus, Cl. *Lennepio*, Franequeram delato, ſucceſſit ut *Prof. Ord. Linguæ Græcæ & Latinæ*,

præberet; cujusque ſub regimine ſtatus populi foret proſperrimus, & omnis generis bonis abundans, improbi vero homines, ſocietatis & pacis turbatores, delerentur prorſus & exſcinderentur e medio: quam revelationem David ſe firma fide accipere, certis nixum fundamentis, demonſtrat. Regni itaque Divini ſpeciem præfert, quod hic delineatur, ut ex talis Regni caracteribus hic obviis liquet: quod recte obſervaſſe, ad intellectum Cantici multum facit. De *tempore* ejus compoſiti nos certiores facit Auctor hujus Libri, dum haec illi præfixit: *haec verba Davidis ultima.* Ubi ſi non ultima abſolute verba, quæ moribundus protuliſſet David, ſed ultima, quæ Spiritu prophetico locutus eſt, ſint intelligenda, quæ vulgatior eſt ſententia, licet de eo forte diſputari poſſet; inde tamen liquet, Canticum hoc a Davide non diu ante mortem ſuam compoſitum eſſe. Dantur enim nonnulli Pſalmi, ab ipſo circa finem vitæ concinnati, ut XXXII & XXXIII. XXXVII. CXXXIII. CXXXIV. CXLV.; quemadmodum magnus Pſalmorum Commentator, H. VENEMA, ad illos demonſtravit: quibus cum poſterior adhuc ſit noſter, compoſitus ſit neceſſe eſt a Davide, cum non longe a morte abeſſet. *Occaſionem* ejus componendi Davidi præbuit tum contemplatio propriæ

feli-

felicitatis & ſtatus tranquilli, qua in fine vitæ ſuæ læte frui ipſi contigit; tum inprimis certa prævifio, quæ Revelatione quoque divina nitebatur, gloriæ & dignitatis maximæ, qua domus ejus aliquando fulgeret, & feliciorum temporum, quæ inſtabant. Ex quibus *ſcopus* Cantici ſtatim etiam eluceſcit: eo ſcilicet proxime tendit, ut perpetui monumenti inſtar eſſet, unde conſtaret, de ſumma animi acquieſcentia, ſpe, & lætitia, qua David mundo valedicturus erat adfectus. De qua animi ejus adfectione clare quoque teſtatur Hiſtoria, dum inter alia habet, ipſum *mortuum eſſe bona* (i. e. valde magna) *ſenectute*, *ſaturum dierum*, (bonis & benedictionibus hujus vitæ ſaturatum, id enim phraſis *mori ſatur dierum* denotat,) *divitiarum & gloriæ*, 1 *Chron.* XXIX: 28.

§. 2.

His præmiſſis, pergo ad inveſtigandam veram, hoc Canticum interpretandi hypotheſin. Quæritur hic maxime, quisnam ſit illuſtris illa & regia perſona, quæ hic depingitur? In duas inprimis partes ſcinduntur interpretes, dum alii Davidem ipſum intelligunt, qui tamen V. S. ad Meſſiam reſpici, admittere ſolent: alii vero, &

Ff 2 longe

longe quidem plures, hic Meſſiam unice delineatum vident, & ad illius Regnum totum Canticum applicant. Prior ſententia ferri plane nequit, & ab aliis dudum eſt refutata: videatur inprimis Cl. VITRINGA in Comment. Belg. ad hoc Canticum Ei præcipue obſtant ſequentia: (1) quod David hic utatur verbis Fut. temporis, ut *vſ.* 4, 7. quod facere non potuiſſet, ſi ſemet ipſum ſuumque Regnum hic delineare voluiſſet, cum morti eſſet vicinus. Nec ſolvitur hæc difficultas dicendo, hæc antea de Davide fuiſſe prædicta, & hoc indigitari *vſ.* 2, 3. cum verba illa hunc ſenſum non ferant: (2) Depingitur hic Rex & Regnum omni parte proſperrimum & glorioſiſſimum, quod in Davidem ejusque Regnum vera ſua emphaſi non quadrat. (3) Tempore Davidis Viri Belial nondum plane e medio ſublati ſunt, ut ipſe morti proximus clare ſatis indicat 1 *Reg.* II: 5. *ſqq.* quod tamen hic *vſ.* 6, 7. tanquam criterium & adjunctum Regni hic depicti repræſentatur. Cuncta ergo poſtulant ſenſum Propheticum. Nec tamen & altera, quæ vulgata & recepta eſt, hypotheſis de Meſſia ejusque Regno hic unice & directe delineato, ſe mihi adeo approbavit, ut in illa plane acquieſcere potuerim. Meam vero hac de

quæſtione ſententiam ſequentibus theſibus diſtincte comprehendam & demonſtrabo.

§. 3.

Prima theſis habet, vaticinium hoc primo ſenſu & directe pertinere ex ſcopo Sp. S. ad tempora Salomonis, & in eo ejusque Regno primum implementum nactum eſſe. De Salomone hic nemo interpretum, quod ſciam, cogitavit: primam mihi de eo cogitandi anſam præbuit H. VENEMA, incomparabilis ille S. S. interpres, quo me gaviſum fuiſſe Doctore, pro ſumma, quæ mihi contigit, felicitate ſemper reputabo, qui in *Comm. in Gen.* XLIX. p. 327. & hic illic in *Pſ.* ut T. II. p. 518, 523, 541. T. V. p. 136. ex ſua mente Regnum Salomonis hic excludendum non eſſe, indicat, ſed verbo tantum. Quare meum erit, rationes pro hac hypotheſi demonſtranda producere, quæ præcipue ſunt ſequentes. (1) Nihil prorſus hic occurrit, quod ſe ad Salomonem ejusque tempora applicari non patiatur, cujusque aliquale ſaltem implementum in iis demonſtrari nequeat, ut ſuo loco patebit. Cum vero apud omnes cordatos S. S. Interpretes tam certum eſſe debeat quam quod certiſſimum, vaticiniorum implementum proximum, ſi demonſtrari queat,

minime eſſe negligendum, nec illo præter-miſſo, remotius ſectandum; dubitari nequit, quin Salomonis omnino habeatur ratio in hoc Oraculo, & ille ejusque Regnum hic ex intentione Spiritus delineentur. Si quis magnifica nimis & auguſta eſſe exiſtimet, quæ hic occurrunt, quam ut in alium ac Meſſiam vere quadrent; reſpondeo, me hoc quoque concedere plenæ phraſium vis & emphaſis reſpectu, ut ſuo loco oſtendetur, nec tamen hoc obſtare, quo minus initiale & levius implementum in Salomone quæratur, quod itaque primo & directe Prophetæ ob oculos fuit verſatum. Simili plane ratione ſe res habet cum vaticiniis pluribus de Meſſiæ Regno, ut *Jeſ.* II: XI. *Zach.* XIV., imo ubique occurrentibus, quorum implementum prudens interpres non rejiciet in ultima Mundi tempora, & initiis N. T. prorſus denegabit, quia perfectum implementum tunc non fuit conſpicuum, ſed poſtea demum expectandum eſt; verum omnino prima illa N. T. tempora proxime & directe Prophetis ob oculos fuiſſe verſata, judicabit, cum alias Prophetæ ingentes ſæpe ſaltus commiſiſſent, nec connexionis ullam habuiſſent rationem. Quis præterea neſcit, dari plurimis in locis S. S. inprimis apud Poëtas & Prophetas, phraſes & locutiones hyperbolicas ſecundum genium Orientis,

non

non nimis preſſe ad literam urgendas, ſed benigna interpretatione adjuvandas?. (2) David hic vaticinatur de Rege quodam & Regno valde illuſtri, proſpero & glorioſo: cum vero mox poſt mortem Davidis, quæ inſtabat proxime, talis Rex ſe in Salomone conſpiciendum præbuerit, ejusque Regnum omnis generis bonis præ aliis longe excelluerit, nec ejus ſimile hactenus unquam extiterit, nec felicia hæc tempora inſtare David ignoraret, mirum omnino videri deberet, ſi hic ad ea ne quidem reſpexiſſet, ſed illa plane præteriiſſet. Inprimis ſi advertamus, Davidem hic lætitiam ſuam teſtificari ſuper futuro domus ſuæ ſplendore & gloria, quæ nunquam ſub toto V. T. major fuit quam ſub Salomone, cujus itaque hic nullam eum habuiſſe rationem, neutiquam probabile eſt. (3) David certitudinem vaticinii de Dominatore illuſtri & glorioſo ex ſe oriundo demonſtraturus, provocat ad *fœdus ſibi a Deo poſitum*, *vſ.* 5. ubi oculos ipſum habere in promiſſo ſibi a Deo per Nathanem facto 2 *Sam.* VII. manifeſtum eſt: quum vero promiſſum illud vel maxime verſetur circa Salomonem, ut poſtea videbimus, & vaticinium hic occurrens promiſſo, cui ejus certitudo nititur, conforme eſſe eique reſpondere debeat, clare liquet, Salomonem hic omnino intendi, niſi dicere

 velis,

velis, promiſſum illud, quatenus agit de Salomone, non ut magni adeo momenti habitum fuiſſe a Davide, quod abſurdum eſt, & cujus contrarium ex 2 *Sam.* VII: 25. *ſeqq.* 1 *Chron.* XXII: 7. *ſeqq.* aliisque locis patet. (4) Ingens denique robur addit collatio tum ipſius illius promiſſi, quo quippe Salomo ejusque Regnum ſimili ratione ac hic delineatur, vid. 1 *Chron.* XXII: 9, 10. *Pſ.* LXXXIX: 26–28. tum & quorundam Pſalmorum, ut XXXIII. XXXVII. CXLV.. qui de Salomone quoque agunt, & ſimilis fere ſunt argumenti, a Davide etiam circa finem vitæ ſuæ, ut hoc noſtrum Canticum, occaſione illius ſucceſſoris deſignati compoſiti.

§. 4.

Theſis noſtra *ſecunda* eſt, Meſſiam tamen ejusque Regnum hic vere quoque ex ſcopo & intentione Spiritus delineari & depingi, adeoque implementum hujus oraculi non unice in Salomone, ſed quam maxime quoque in Meſſia quærendum eſſe. Rationes ſunt ſequentes: (1) Quia omnia non tantum in Meſſiam exacte quadrant, ſed etiam in ipſo longe majorem vim & emphaſin conſecuta ſunt, quam in Salomone. (2) Quia promiſſum 2 *Sam.* VII., cui fides

Da-

Davidis de Rege illuſtri ex ſe oriundo ſuperſtructa erat, uti modo vidimus, omnino quoque comprehendit Meſſiam, qui itaque hic non potuit non etiam a Davide intendi, quemadmodum de Salomone idem mox obſervavimus. (3) Egregie hoc exinde confirmatur, quod diſerte memoret foedus *æternum v.* 5 quo haud obſcure innuit, ſe oculos ſuos in tali Rege ex domo ſua ortum tracturo habere defixos, in quo foedus Dei ſecum contractum æternitatem & ſtabilitatem acquireret, qui nullus alius eſt ac Meſſias. (4) Cum David illud foedus æternum fidei ſuæ de ſua domo germinatura tanquam fundamentum ſubſternat, clare innuit, ſe hanc germinationem & gloriam domus ſuæ ulterius quam ad Salomonem tantum extenſam velle. Quod experientia a poſteriori quoque comprobavit, cum domus Davidis præcipue in Meſſia germinaverit, in eoque ſplendorem æternum nacta ſit. (5) Improbabile omnino eſſet, Davidem in ultimo hoc ſuo Cantico, perpetuo fidei & ſpei ejus monumento, de Meſſia prorſus non cogitaſſe, nec ejus ullam hic habuiſſe rationem; cum tam arcta ſit inter ipſum & Meſſiam relatio. (6) Pondus haud leve addunt alia vaticinia vel Pſalmi, qui directe quidem Salomonem pro objecto habent, ſed ſimul tamen & ultimo ad Meſ-

ſiam ejusve Oeconomiam delineandam tendunt: de quibus ſtatim dicam. Illud hic adhuc obſervari velim, Regnum Chriſti hoc Cantico, ut ubique in verbo Prophetico, deſcribi ut univerſale, glorioſum, pacificum, omnisque generis bonorum copia abundans; quale ſecundum rei naturam & naturalia effecta, ac primam Dei intentionem, eſſe deberet, ſeſeque aliquando ultimis mundi temporibus oſtentabit. Qua de re, quæ magni eſt momenti, fuſe diſputavit Cl. VENEMA *in Diſſ.* VIII. *ad Viſa Dan. Emblem.* §. 40 -+ *fin.* Quum vero de adplicatione hujus Cantici ad Meſſiam abunde egerint interpretes, qui conſuli poſſunt, nos in ſenſu ejus typico & umbratili, qui ad Salomonem ſpectat, illuſtrando præcipue verſabimur.

§. 5.

Tertia noſtra theſis, quæ præcedentibus innixa eſt, ſimulque illis lucem foeneratur, habet, Salomonem & Meſſiam hic ſecum permiſceri, & tanquam unum conſiderari, utriusque Regnum confundi, & uno intuitu repræſentari. Salomonis Regnum hic ex mea opinione ſenſu primo & directo omnino depingitur, ſed ita ut lineæ ſimul ducantur Regni Meſſiæ, in quo phraſes, quibus

bus Regnum Salomonis deſcribitur, omnem ſuam emphaſin nactæ ſunt. Hujus utriusque permixtionis fundamentum ſitum ſit neceſſe eſt in arctiſſima inter utrumque relatione & connexione, vi cujus ea uno adſpectu ſimul repræſentari, iisdemque lineis depingi potuerunt. Quod paucis in clariori huc collocaſſe, operæ pretium fuerit; (1) Cum Deo placuerit, Regni ſui vere & in emphaſi ſic dicti, quod proprie alligatum erat temporibus Meſſiæ, ſpecimen longe illuſtriſſimum ſub Salomone exhibere, liquet, utriusque Regnum in eo ad ſe mutuo reſpicere, quod Regnum Divinum prætulerint, illiusque qualitates & characteres in utroque conſpicuæ fuerint; ut de Regno Salomonis (nam de illo Meſſiæ nemo dubitare poteſt,) uberius demonſtrari poſſet, niſi id ab aliis jam præſtitum eſſet; vid. inprimis Cl. VENEMA *in Gen.* XLIX. §. 84. *in Pſ* LXXXIX. §. 40. Hinc antequam felicia illa ſub Salomone tempora alluxisſent, utrumque illud Regnum eodem penicillo delineari, & quaſi unum tantum eſſet, permiſceri recte potuit. (2) Cum arcta parentes inter & liberos ſit relatio, & hinc his in S. S. ſæpius tribuantur, quæ illi vel egerunt, vel iis contigerunt, & vice verſa, Meſſias vero foret filius Salomonis, & uterque filii Davidis, ſibimet mutuo valde ſimiles,

ſimiles, liquet, illos ſimul, quaſi una tantum perſona eſſent, Davidi repræſentari potuiſſe. (3) Tota illa Periodus, quæ inde a Salomone usque ad Meſſiam fluxit, uno intuitu conſiderari potuit antea, initio & fine ejus ſcilicet connexis, & intermedio tempore prætervíſo, relate nempe ad germinationem & gloriam domus Davidis, tum quod illa in Salomone maxime conſpicua eſſe coeperit, & in Meſſia conſummata fuerit; tum quod ſecundum promiſſa Divina ſub toto V. T. ſemper continuaſſet, ſi poſteri Davidis non plene a Deo defeciſſent, quod num futurum eſſet, nec ne, antea incertum erat; tum etiam, quod tempus intermedium, quam longum vel breve futurum eſſet, ignorabatur. Nec de eo ex promiſſo divino aliquid colligi poterat: e contra in illo 2 *Sam.* VII. confirmatio Regni in domo Davidis in æternum, quæ in Meſſia demum facta eſt, proponitur tanquam proxime connexa cum Regno Salomonis; de obſcuratione gloriæ illius domus tempore intermedio expreſſe ibidem nihil habetur: conf. & *Pſ.* CXXXII: 10, 11. Idem illud promiſſum 2 *Sam.* VII: 12-15. coll. 1 *Chron.* XXII: 9, 10. *Pſ.* LXXXIX: 25. *ſeqq.* egregium ſimilis permixtionis Salomonis & Meſſiæ nobis ſuppeditat exemplum: directe & primario Salomonem ibi inten-

intendi, adeo evidens eſt, ut neſciam, quo modo negari queat; qui tamen ita deſcribitur, ut colores Meſſiæ ſimul appareant; quo fundamento Apoſtolus *Hebr.* I: 5. nonnulla inde deſumta ad Meſſiam applicavit. Vid. omnino Cl. VENEMA ad *Pſ. l. c.* Idem obſervare licet *Gen.* XLIX. in vaticinio de Schilo, *Pſ.* XLV. LXXII. & alibi.

§. 6.

Nec deſunt in Verbo Prophetico alia multa permixtionis ſive confuſionis diverſorum objectorum vel temporum exempla, quorum nonnulla, licet res dubia non ſit, hic excitabo, huic noſtro magis minusvè ſimilia. *Ezech.* XXXVII: 1. *ſqq.* dubitari nequit, quin proprie & directe deſcribatur liberatio Populi Judaici ex exilio Babylonico, ejusque inſtauratio, uti *Dan.* XII: 2. ejusdem liberatio ab adflictione Syriaca: utroque tamen loco digitus ſimul intenditur ad ultimam & univerſalem Reſurrectionem. *Jeſ.* LI: 6. LXV: 17. LXVI: 22. proprie agitur de fundatione & introductione Oeconomiæ Novæ, veteri abolita; ſed ſimul inculcatur futura adhuc rerum omnium renovatio & inſtauratio, coll. 2 *Petr.* III: 10. *ſqq.* In multis locis, ubi de illuſtrioribus Dei judiciis in hac vita exercendis ſermo

eſt,

eſt, ſimul alluditur ad judicium ultimum & univerſale, ut *Jeſ.* XXXIV: 4. *Dan.* VII: 9, 10. *Matth.* XXIV. XXVI: 64. Sæpius quoque ſimul comprehenduntur judicia in alios populos hoſtiles, licet de uno proprie tantum & directe agatur, ut in prophetia de Edomo *Jeſ l. c.* & *cap.* LXIII. de Gogo *Ezech.* XXXVIII. XXXIX.; qua ratione ſtylo talium vaticiniorum emphatico ſatisfit: ſic & *Jeſ.* X: 33, 34. proprie licet agat de judicio in Aſſyrios tempore Hiskiæ, ex mente Cl. VITRINGÆ ſimul etiam pertinet ad judicia in Syro Macedones, qui Aſſuris nomine ſubinde veniunt, longe poſt exercenda. Nonnulla vaticinia, quæ directe agunt de calamitate Babylonica, ſimul deſcribunt Romanam, in qua phraſes, quibus utuntur Prophetæ, plenam ſuam emphaſin nactæ ſunt, ut *Jeſ.* VI. *Ezech.* V. *Mich.* III: 12. - *Pſ.* LXVIII: 19. Deus ſiſtitur triumphabundus in ſedem ſuam ſublimem introiviſſe, poſtquam hoſtes proſtraviſſet, & populum ſuum captivum glorioſe in ſtatum libertatis & felicitatis vindicaſſet: quod quidem omnino ad Meſſiæ exaltationem referendum eſt, non tamen directe, quod nexui quoque repugnat, ut ipſe Cl. VRIEMOET agnoſcit, ad *Dicta Claſſ. T. II. p.* 154. *ſqq.*, ſed ſenſu primo ad tempora Hiskiæ, quando Deus Majeſtatis & glo-

riæ

riæ ſuæ ſigna illuſtria dedit in populi oppreſſi liberatione: vid. Cl. VENEMA *in h. l.* *Pſ.* LXXXVII. proprie ad eadem Hiskiæ tempora referri debere, luculenter idem demonſtravit; ' ſimul tamen quoque intenduntur tempora Maccabaica, in quæ nonnulla majore longe emphaſi conveniunt: quæ iſtius Pſ. interpretatio neſcio quid abſurdi habeat, ut nuper Viro cuidam Docto viſum eſt. *Jeſ.* XVI: 4, 5. XXXII: 1. *ſeqq.* Hiskias & Meſſias, & utriusque Regnum clare ſimul delineantur. *Zeph.* II. judicia Dei in Gentes per Nebucadnezarum, & dein longe poſt per Maccabæos, eodem penicillo depinguntur, tanquam eodem tempore locum habitura. Nihil vulgatius eſt apud Prophetas, quam quod primordia rerum, licet tenuiſſima, cum earum complemento, licet longe diſſito, confundant, & longioris alicujus Periodi initium & finem ſimul ob oculos ponant, intermediis ſilentio involutis, & quæ in fine demum, perfecte ſaltem, evenient, repræſentatis, quaſi cum initio mox conjungendis. Sic quando agunt de liberatione Judæorum e captivitate Babylonica, ſtatum reducum tanquam omni parte proſperrimum deſcribere ſolent, qualis demum diu poſt fuit temporibus Maccabaicis, ut *Jeſ.* XXX: 18. *ſeqq.* (niſi potius h. l. agatur de temporibus Hiskiæ,)

kiæ,) *Jer.* XXIII: 3, 4. XXXI: 8. *ſqq* *Ezech* XXVIII: 25, 26. *Amoſ.* IX: 14, 15 *Mich.* IV: 6. *ſeqq* Imo bona & beneficia N. T. ipſum quoque Meſſiæ adventum, cum inſtauratione illa populi connectere ſolent, ut notum, & ſæpius ab aliis obſervatum eſt: liberationem ex exilio ejusque adjuncta & conſequentia ita ſæpe deſcribunt, ut ſimul phraſibus ſuis involvant liberationem ſpiritualem per Meſſiam &c. vid. inprimis Cl. VITRINGA *in Templ. Ezech. Part. II. p.* 405. *ſqq.* Quod ex mea opinione quoque obſervandum eſt *Jeſ.* XL. *ſeqq.*; ex illa enim hypotheſi nexus partium hujus Concionis ſibi rectius conſtat: permiſcetur ibi utraque liberatio, & utriusque circumſtantiæ & conſequentia. De permixtione Periodi Maccabaicæ & Regni Meſſiæ, & utriusque ſimultanea delineatione, nec non initii & finis hujuſce Regni, licet quam longiſſime diſtantium, apud Prophetas, fuſe egit Cl. VENEMA *in Diſſert. ult. ad Viſa Dan. Embl.* In multis porro Pſalmis David & Meſſias, & utriusque ſtatus, ſeu fata, ſimul delineantur, ut nemo ignorat, & paſſim admittitur: in eodem ſubinde Pſalmo alia magis & directius ad Davidem, alia ad Meſſiam, referenda ſunt; exemplum clariſſimum præbet *Pſ.* LXIX. *Dan.* VII: 8. emblemate *parvi cornu* depingitur propria

Se-

Seleucus Nicator, ſimul tamen comprehenduntur ipſius ſucceſſores, ſpec. Antiochus Epiphanes. *Ezech.* XVIII: 22, 23. emblema ramuſculi teneri de vertice ſtolonum cedri decerpendi pertinet tum ad Zerubbabelem, tum etiam ad Meſſiam. Eidem etiam permiſcentur *Hagg.* II: 24. *Pſ.* CXVIII: 22. ſenſu leviore referri debet ad domum Maccabaicam, ſumma vero emphaſi omnino ad Meſſiam. Nec longe hinc abeſt ſententia Cl. VRIEMOETII *l. c. p.* 137. *ſqq.* Deſino in *Hebr.* VII: 1. *ſqq.*, ubi Apoſtolus Melchizedecum ita deſcribit, ut eodem penicillo lineas ejus antitypi Meſſiæ ducat; uti ab aliis dudum demonſtratum eſt. Plura non addo, tum quod adducta exempla hypotheſi meæ illuſtrandæ & firmandæ abunde ſufficiant; tum quod totam hanc materiam peculiari Diſſertatione aliquando ex profeſſo pertractare conſtitui.

§. VII.

Hac jacta hypotheſi, veniamus tandem ad ipſam explicationem Cantici. Inſcriptio ejus ita ſonat *v.* 1.: *Inſpiratum Davidis, filii Iſaï, & inſpiratum Heroïs,* (ſic enim גבר hic vertendum videtur, ut גבור *Pſ.* LXXXIX: 20.) *conſtituti ſublime, uncti Dei Jacobi, & amoeni Pſalmis Iſraël.* Videtur

Bibl. Haganæ Cl. II. F. III. Gg illa

illa Davidem omnino habere auctorem, cum diſtincta plane ſit ab inſcriptione præcedente, quæ ab aliena manu profecta eſt, qualis ſi & hæc eſſet, nexus inter utramque locum habuiſſet: confirmatur quoque ex collatione *Num.* XXIV: 15., 16., ubi Bileam ſimili fere ratione vaticinium ſuum exorditur. Cum autem ab Interpretibus ſatis illuſtrata & explicata ſit; obſervo tantum, titulos illos, quibus David hic inſignitur & circumſcribitur, teſtari de felici & tranquillo, in quo nunc verſabatur, ſtatu, ipſiusque lætitia & animi acquieſcentia inde ortâ: iisque locum in hoc ultimo Davidis Cantico eſſe datum, tum quod ex illo quam clariſſime pateret, Davidem vere eſſe talem & tantum Virum, ut itaque illud ipſum eo nomine commendaretur, ejusque præſtantia ſic inſinuaretur; tum ut memoria Davidis, Viri tam præclari, tantisque a Deo donis & beneficiis mactati, qua talis deinde ſupereſſet, & a poſteritate ſemper celebraretur, nec unquam in oblivionem abiret. Ipſum nunc Canticum quod attinet, complectitur illud duas partes, *primo* revelationem Divinam Davidi factam de Regis cujusdam illuſtriſſimi, qui ſuo tempore in ſcenam prodiret, ortu, ejusque effectis ſalutaribus: *ſecundo* iſtius revelationis confirmationem & illuſtrationem.

Prius

Prius *v.* 2–4. poſterius *v.* 5–7. Cujus diviſionis antea danda eſt ratio, quam in expoſitione pergam. Verba ſcil. *v.* 2, 32. non eo tantum in genere tendunt, ut Davidem Canticum hoc ex inſpiratione Divina compoſuiſſe, ſignificarent; illud enim voci נאם v. præc. jam involutum erat, nec opus erat Prologo adeo magno uberius declarari: ſed clare innuunt, ea quæ mox ſequuntur, ſibi dicta & revelata eſſe a Deo, & argumentum ſermonis Dei ad ſe facti continere; diſerte enim dicit, *verbum* Dei *ſuper lingua mea*, ſcil. quod ſtatim proferam, & *dixit* Ille *mihi*, utique ſequentia mox verba. Cum autem David ipſe *v.* 5. in prima perſona de ſe loqui incipiat, manifeſtum eſſe puto, diſtinguenda eſſe hæc verba a præcedentibus, quae ei per Spiritum dicta erant, & ad illorum illuſtrationem & confirmationem tendere.

§. 8.

In *priori* itaque Cantici parte David N. indicat, ſe Revelationem a Deo accepiſſe, cujus argumentum mox exhiberet, *v.* 2, 3. his verbis: *Spiritus Jehovæ locutus eſt in me, & ſermo ejus ſuper lingua mea, dixit Deus Iſraëlis mihi, locutus eſt Rupes Iſraëlis;* Quæ cum ſatis expoſuerint Interpretes, nos

non detinebunt, duobus his obſervatis contentos. Alterum eſt, repetitionem, quam hic adhibet David, prodere ejus lætitiam & gloriationem ſuper tam inſigni Dei erga ſe favoris ſpecimine, in revelatione, quæ ſibi obtigerat, demonſtrato: quæ animi adfectio hac ratione exprimi ſolet. Alterum habet, ipſum Revelationem iſtam hoc ipſo tempore, vel ſaltem non diu ante, a Deo accepiſſe, adeoque circa finem vitæ ſuæ, quando via jam erat parata ad felicia illa tempora, quæ in ea delineantur, ut ipſe in ſpe de inſtante ſplendore & gloria domus ſuæ concepta ulterius & plene confirmaretur. ב. Argumentum ipſum & contentum hujus Revelationis his verbis proponitur *v.* 3, 4. *Dominator in hominem juſtus, Dominator timoris Dei, & inſtar lucis auroræ, orietur,* (inſtar) *ſolis auroræ, non nubes, ex ſplendore ex pluvia herba tenera ex terra.* Quæ Verſio, in qua ducem fere ſecutus fui Cl. VENEMA in *Comment. in Mal.* §. 195., ubi pericopam hanc ingenti perfundit lumine, ut in clariori luce collocetur, ſequentia obſervari velim: (1) vocem יזרח omnino conſtruendam eſſe cum voce מושל, cum hac ratione pericopa tota apte cohæreat, nec ellypſin hic admittere indigeamus. (2) Ante שמש ſubintelligi כ ſimili-

litudinis, quod inſolitum non eſt, & hic eo rectius omittitur, quod in præcedente ſimili emblemate *lucis matutinæ* expreſſum erat. Nec aliter hæc verba expediri poſſunt. Scandere itaque hic oratio cenſeri debet hoc modo: *inſtar lucis auroræ*, quin imo, inſtar *Solis auroræ*. (3) Ultima hujus Pericopæ verba, *ex ſplendore ex pluvia herba tenera ex terra*, per ſe ſtare, & conſequens ortus hujuſce Lucis ſplendidæ, in læta graminis ex terra germinatione vi ſplendoris ejus cum pluvia conjuncti ſitum, deſcribere. Opus itaque non eſt, vocem יזרח ex præced. hic repetere, & cum דשא conſtruere, cum, licet ellyptica, elegans tamen & pro ſtylo conciſo haud difficilis, non magis quam præced. *non nubes*, ſit hæc pericopa; quisque enim mox ſentit, qua ratione ſit ſupplenda, ſcil. per *producetur*, *germinabit*, *elicietur*, aut ſimile quid. Dixi, vocem זרח cum voce מושל eſſe connectendam: ſignificat ſcil. hic primo & proprie *ortum* illius Regis, quo ſe ut talem, qualis hic deſcribitur, conſpiciendum præberet, qua talis in publicam prodiret lucem. Eo rectius iſta vox adhibita, quia Poëta in comparatione inter hunc Regem & Solem matutinum, de cujus ortu uſurpari ſolet זרח, inſtituenda verſatur. Non

 itaque

itaque directe ortus hujus Regis cum ortu Solis & Lucis comparatur, ut videri poſſet, ſed Rex ipſe cum Luce & Sole matutino; licet illud ſimul & indirecte involvi, minime abnuam: ac ſi dixiſſet Poëta, prodibit Dominator in homines &c. qui ſimilis erit Luci & Soli matutino, quique inſtar ejus orietur & *radios ſparget*, *rutilus* erit, quæ propria magis eſt h. v. ſignificatio, & hic ſimul recte admittitur. Qua ratione ſenſus valde eſt dives.

§. 9.

In hac jam Revelatione tria nobis conſideranda veniunt: α. Rex; β. ejus ſubditi; γ. ejus qualitates, & uberior deſcriptio. α. Rex deſignatur nomine מושל; quo titulo ſæpius Reges vel ſummi Præfecti in S. S. veniunt. Uſu & vi ſua denotat talem, qui ſumma poteſtate & autoritate præditus eſt, cujus voluntas ſola Lex eſt, & vim habet irreſiſtibilem, qui adeoque αὐτοκράτωρ vere dici meretur: quam vim manifeſto exſerit, ubi adhibetur de Eliezere, ſervo Abrahami. *Gen.* XXIV: 2. de Joſepho, cui præfectura Ægypti erat commiſſa, *cap.* XLV: 8, 26. de Præfectis Judæorum, nomine Regum Perſiæ *Neh.* IX: 37. & alibi. De origine hujus vocis, in *premendo*, *inprimendo*

ſita,

ſita, videatur SCHULTENSIUS in *Prov.* p. 1, 2. hinc ſpec. de *dominatione* graviori, qua quis opprimitur, adhibetur, ut *Jud.* XIV: 4. Titulus hic quin in Salomonem recte conveniat, dubitari nequit, cum Regibus proprie talis ſuprema autoritas competat, inprimis ex forma Regiminis, quæ olim in Oriente obtinebat; quo pertinet *jus Regis* 1 *Sam.* VIII: 11. Sed longe majori jure, & in omni emphaſi, quadrat in Meſſiam, ut nemo ignorat; cui & משל *dominatio* tribuitur *Pſ.* LXXII: 8. *Zach.* IX: 10. vid. & *cap.* VI: 13. & alibi. C. Subditi hujus Regis forent *homines* in genere, dicitur enim Dominator באדם. Quo indicatur, dominium ejus non uni alicui nationi aut genti fore adſtrictum, ſed in genere ad homines ſe extenſurum eſſe; ſive ſponte ſe Regi ſubmiſſuri, & civibus Regni adſcribendi forent, ſive dominio & poteſtati ejus reſiſtere non valerent, ſed ſe illi ſubjicere, ipſiusque majeſtatem venerari cogerentur: utroque enim modo *dominatio* locum habere poteſt. Quo & pertinet, vocem אדם adhiberi ſolere de Gentilibus, oppoſite ad Iſraëlem, ut *Jer.* X: 14. XXXII: 20. *Hoſ.* VI: 7. *Pſ.* CXXIV: 2. 2 *Chron.* VI: 29. Siſtitur itaque hic Rex non tantum in Iſraëlem, ſed cum maxime

quoque in Gentiles ſine diſcrimine dominaturus. Hinc liquet, hoc vera ſua emphaſi in neminem quadrare, quam in Meſſiam, cui Deus *dedit poteſtatem omnem in coelo & in terra* Matth. XXVIII. *nomen ſupra omne nomen* Phil. II. *Gentes & fines terræ in hæreditariam poſſeſſionem* Pſ. II. quem *honorare* debent *omnes gentes & nationes* Dan. VII: 14. Specimen tamen hujus rei illuſtre viſum eſt in Salomone. Sub ipſius enim imperio dominium Iſraëlitarum tam amplum & longe extenſum fuit, ac unquam foret ſecundum promiſſa Dei, *Gen.* XV: 18, *Exod.* XXIII: 31. *Joſ.* I: 4. nam dicitur *dominatus eſſe* (משל) *in omnia Regna & Reges, a fluvio* (Euphrate) *usque ad terram Philiſtæorum, & limites Ægypti, eosque adduxiſſe munera, & ſervîiſſe Salomoni omnibus diebus vitæ ejus*, 1 Reg. V: 1. 2 Chron. IX: 26. Vid. quoque 1 *Reg.* V: 4. VIII: 56. Populi vicini, ut Philiſtæi, Moabitæ &c. a Davide ſubjugati, ſe ſub Salomone quietos tenuerunt, nec vi & armis coërceri neceſſe habuerunt, 1 *Reg.* V: 4, 17, 18. Quia *omnes Reges terræ* diſerte narrantur Majeſtatem ejus veneratî fuiſſe, *ipſique quotannis munera obtuliſſe*, in ſignum animi ſubmiſſi & obſequioſi, 1 *Reg.* X: 25. 2 *Chron.* IX: 24. cujus rei inſigne ſpecimen videre eſt in Tyriis & Regina Scheba. Imo dominium

nium ejus ſe in ipſum mare & fluvios exſeruit, de quibus pro arbitrio diſponere potuit, ut fecit per claſſes & commercia, quemadmodum ex Hiſtoria conſtat. Quæ implemento typico & umbratili ſufficere exiſtimo.

§. 10.

γ. Succedit ulterior hujus Regis deſcriptio; & quidem 1. propria & ſimplex; 2. figurata & emblematica. Prior complectitur qualitates ejus morales; poſterior inprimis ſtatum ejus glorioſum & illuſtrem. 1. Virtutes, a quibus deſcribitur, ſunt *juſtitia*, & *timor Dni:* vocatur enim *Dominator juſtus*, *dominator timoris Dei* *Juſtitiæ*, qua officium unicuique debitum præſtatur, ſuum cuique redditur; ſpeciatim *rectoriæ*, qua Princeps Leges æquas præſcribit, ſecundum earum normam ſubditos gubernat & judicat, omnisque æqui & juſti ſe patronum & vindicem præſtat, quæ juſtitiæ ſpecies hic cum maxime quoque in cenſum venit; & *timoris Dei*, qui omnem cultum religioſum, Deo debitum, ejusque amorem, venerationem, glorificationem & obedientiam complectitur; uberiorem intellectum, aliunde facile repetendum, heic loci non dabo. Comprehendunt hæc duo omnem virtutem moralem & civilem,

ut facile cernitur. Vox *Dominatoris* repetitur, quia ſcandit oratio, & *timor Dei* plus dicit quam *juſtitia*, & ab hac diſtinctus, præſtantiorem & nobiliorem virtutem denotat. Ubi jam Rex ille ab his virtutibus deſcribitur, non tantum ſignificatur, ipſum fore iis inclytum, & in earum exercitio conſtantem & actuoſum; ſed &, eas in civibus & ſubditis ſuis requiſiturum fore, & omnem operam adhibiturum, ut illæ in Regno ſuo floreant & ſtabiliantur; ſub cujus itaque imperio illæ quam maxime conſpicuæ forent, & in omnium oculos incurrerent. Aliter enim ſe res habere nequit, ubi dominatur ſumma cum autoritate Rex, his virtutibus inſignis. Quo etiam pertinet, non dici Dominatorem *timentem* Deum, ſed *timoris Dei*, qui nempe ei inculcando & propagando omni niſu incumbit. Rex itaque deſcribitur, cujus opera in ſtudio Religionis & virtutis quam maxime collocaretur, cujus regiminis hic foret ſcopus, qui eum in finem a Deo ſuſcitaretur, & in throno collocaretur. Talem nunc Regem ſeſe demonſtraſſe Salomonem, evidenter ex Hiſtoria liquet. Sapientiam eo ſcopo a Deo petiit, ut in omnibus ſecundum juſtitiæ regulas agere & populum gubernare aptus eſſet, ut diſerte indicat. 1 *Reg.* III: 9. Obtinuit quoque illam

a

Deo, & quidem incomparabilem & ſummam, ib. *v.* 12., ejusque inſigne mox dedit pecimen in ſententia lata in difficili caſu luarum meretricum, ut ibidem narratur; x quo Iſraël vidit, *ſapientiam Dei in eo eſſe d faciendum jus*, ib. *v.* 28. Vera ſapienia a juſtitiæ & pietatis ſtudio inſeparabilis ſt, ut ipſe frequenter inculcat in Proveriis ſuis: quæ ipſa ubique quoque animum iarum virtutum amantem ſpirant, ſimul eſtatum faciunt, quantopere illis inculcanlis & animis hominum inſtillandis incuberit; vid. & *Eccleſ.* in fine, & *Pſ.* CXXVII. De juſtitia ejus egregie quoque teſtatur locus *Pſ.* LXXII: 1-4. ubi conſulatur Cl. VENEMA. Vid. & 1 *Reg.* X: 9. Religionis quoque ſtudium in auguſtiſſimo Templo, Deo condito, demonſtravit, nec non in ſolenni ejus inauguratione per piiſſimas illas preces 1 *Reg.* VIII. Hinc etiam liquet, fieri non potuiſſe, quin juſtitiæ & reverentiæ Dei ſtudium & exercitium in medio populi & civium quoque floruerit, & conſpicuum fuerit. Quod ex pacato & proſperrimo ejus ſtatu, qui absque his virtutibus non ſubſiſtit, nec non ex improborum hominum exſtirpatione tum facta, ut ex *Pſ.* XXXVII. & aliunde colligitur, eluceſcit quoque. Nec clara ejus indicia in Hiſtoria deficiunt. *Totus Iſraël*, cum ex luculento ſpe-

ſpecimine intellexiſſet, ſapientiam Dei in Salomone eſſe ad faciendum jus, *ipſum reveritus eſſe* dicitur 1 *Reg* III: 28., quam utique reverentiam juſtitiæ exercitio demonſtrare debuerunt. *Univerſus* quoque *Iſraël* *ipſi auſcultaſſe*, adeoque ipſius juſſis, quæ ſane circa juſtitiam exercendam verſata fuerunt, obediens fuiſſe, legitur 1 *Chron.* XXIX: 23. Studium Deum colendi Populus egregie demonſtravit, cum occaſione Templi inaugurandi immenſa multitudine, inde ab Hamatha usque ad fluvium Ægypti, Hieroſolymis congregatus eſt, ibique coram facie Dei per dies quatuordecim Feſtum ſolenne celebravit, Deumque ſuper beneficiis in ſe collatis glorificavit, 1 *Reg.* VIII: 65, 66. 2 *Chron.* VII: 8-10. Quin nec has virtutes, inter populos vicinos plane defuiſſe, ex pacato eorum ſtatu, & ſubmiſſo, quem induerunt, animo, nec non ex reverentia, quam erga Salomonem demonſtrarunt, colligi poteſt. Vere ergo Regnum Salomonis fuit Regnum juſtitiæ & pietatis, quale nondum, ne quidem ſub Davide, viſum erat: ipſe a Deo eum in finem *conſtitutus eſt Rex, ut faceret jus & juſtitiam*, ut recte advertit Regina Schebæ 1 *Reg.* X: 9. & ut domum, cultui divino deſtinatam, Deo ædificaret, 1 *Chron.* XXII: 9, 10. & alibi. Hinc & dicitur *ſediſſe ſuper throno Regni Jehovæ*,

1 *Chron.*

1 *Chron.* XXVIII: 5. & *ſuper throno Jehovæ*, *cap.* XXIX: 23. 2 *Chron.* IX: 8., quia hoc inprimis quoque reſpectu in ejus regimine Regnum Dei eluxit, & ipſe Deum prætulit; unde & *Filius Dei* appellari meruit, imaginem Dei ſcil. referens, 2 *Sam.* VII: 14. *Pſ.* LXXXIX: 18. De Regno Meſſiæ, quod ubique in Verbo Prophetico ab his virtutibus celebratur, ut *Pſ.* LXXXV: 14. *Jeſ.* IX: 6. XI: 2, 3. *Zach.* IX: 9. & alibi, non opus eſt, ut iis, quæ ab Interpretibus in medium producta ſunt, aliquid addam.

§. 11.

2. In figurata & ſymbolica hujus Regis deſcriptione *a.* inſtituitur ejus comparatio cum aurora & Sole oriente; *b.* illa ulterius amplificatur & exaggeratur. *a.* Quod ad prius attinet, emblema *Lucis matutinæ*, & *Solis matutini*, cui Rex comparatur, duplici ratione intelligi poteſt, & hic quoque debet: *altera*, qua Rex ipſe, abſolute & in ſe ſpectatus, cum Luce & Sole auroræ confertur; *altera*, qua tanquam talis, relate ad alios, & effectorum reſpectu, repræſentatur. (א) Priori adſpectu Rex hic ſiſtitur maximo dignitatis, felicitatis & gloriæ ſplendore longe lateque conſpicuus, & in ſublimi Majeſtatis culmine conſtitu-

tus,

tus, ſupra alios longe eminens & excellens, iisque venerandus. Nec ignotum eſt hoc ſenſu noſtrum emblema in S. S. ut *Cantic.* VI: 10. *Jer.* XV: 9. *Amoſ.* VIII: 9. *Joel.* III: 4. & alibi: vid. quoque SCHULTENS in *Job.* XXXI: 26. Talem fuiſſe Salomonem Hiſtoria nos diſerte docet. Dicitur Deus *magnificaſſe Salomonem ſummopere coram univerſo Iſraële, & dediſſe ei decus Regni, quale non fuit ulli Regi, ante ipſum,* & poſt ipſum, (hæc enim verba addenda ſunt, ut alibi, uti 2 *Reg.* XVIII: 5. XXIII: 25.) *ſuper Iſraele,* 1 *Chron.* XXIX: 25. 2 *Chron.* I: 12. Deus ipſi promittit, ſe *daturum ei ſapientiam, & divitias & opes, & gloriam, quales non fuerant Reges ante ipſum, nec poſtea eſſent.* Cujus promiſſi veritatem Deus quoque præſtitit: *major* enim fuiſſe dicitur *Salomo omnibus Regibus terræ divitiis & ſapientia,* 1 *Reg.* X: 23. Sapientiâ (quæ ſpec. *Lucis* emblemate repræſentari amat,) ita excelluit, ut nemo mortalium, ne quidem ſapientiſſimus quisque, ei æquiparari potuerit: quo nomine inter omnes Gentes fuit celebratus, adeo ut ex omnibus vel ipſi Reges venerint ad audiendam illius ſapientiam, 1 *Reg.* V: 9. *ſqq.* X: 24., cujus rei luculentum exemplum præbuit Regina Schebæ, ib. *cap.* X: 1. *ſqq.* Divitiæ & opes ejus fuerunt immenſæ, vid. modo

modo 1 *Reg.* V: 2. *ſqq.* X: 14. *ſqq.* 2 *Chron.* IX: 13. *ſeqq.*, quo etiam pertinet pompa & ſplendor ipſius aulæ, palatiorum, miniſtrorum &c., qui ſolis inſtar oculos præſtrinxit, tantusque fuit, ut Regina Schebæ, illis viſis, confeſſa ſit, rumorem de iis ad ſe delatum longe infra eorum meritum ſubſidere, 1 *Reg.* X., ipſaque, quantumvis ambitioſa & ſplendidiſſimo apparatu inſtructa, humilem & ſubmiſſum induerit animum; hoc enim ſibi volunt verba, *non erat amplius ſpiritus in ea*, ib. *v.* 5. Honor ipſi tantus obtigit, quantus nemini unquam: non tantum enim omnes Iſraëlitæ ipſum reveriti ſunt, 1 *Reg.* III: 28. 1 *Chron.* XXIX: 23., ne ipſis quidem ejus fratribus exceptis, ib. *v.* 24., ſed & omnes Reges terræ dicuntur ei quotannis munera obtuliſſe 2 *Chron.* IX: 23, 24., quem honorem illi non coacti, ſed ſponte exhibuerunt. Status præterea ejus fuit pacatus & tranquillus, nec ullis motibus inteſtinis aut metu hoſtium turbatus; vid. 1 *Reg.* V: 4, 18. 1 *Chron.* XXII: 9. Cum ergo Salomo *altisſimus* fuerit *Regum terræ*, ut expreſſe quoque dicitur *Pſ.* LXXXIX: 28. liquet, quam vere, imo majore longe emphaſi, quam ſæpius adhibetur, hoc emblema in Salomonem quadret. Dubium tamen non eſt, quin multo

multo magis conveniat Meſſiæ, ſummo Prophetæ & Regi, omnium hominum ſapientiſſimo, *ſedenti ad dextram Majeſtatis in excelſis* Hebr. I., *hæredi omnium conſtituto*, ib. omnibus ſubmiſſe adorando, *Phil.* II., qui ipſe ſe *majorem Salomone* dicit *Matth.* XII: 42. ſuamque gloriam hoc ipſo ſymbolo aliquando conſpiciendam dedit, ut *Matth.* XVII: *Apoc.* I.

§. 12.

(ב) Sed emblema hoc *auroræ* & *Solis orientis* hic omnino quoque conſiderandum eſt relate ad illos, quibus hæc lux exoritur, & quos lumine ſuo perfundit: & ſic depingit ſtatum illorum feliciſſimum, lætum, glorioſum, celebrem, pacatum, omnisque boni abundantem, ſtatui calamitoſo ſuccedentem, quo inprimis *auroræ* emblema tendit. Vid. *Jeſ.* VIII: 20. LX. paſſim, *Mal.* III: 20. *Pſ.* XCVII: 11. & ſæpiſſime alibi. Et talis rerum ſcena ſub Salomone omnino extitit. Nunquam antea, nequidem ſub Davide, ſtatus Iſraëlis fuerat vere ab omni parte proſper & florens, ſed calamitatibus divinitus inflictis, motibus inteſtinis, infeſtationibus hoſtilibus, aliisve malis, continuo turbabatur.

Sa-

Salomo vero perfectam demum ab illis liberationem, ſtatumque proſperrimum & tranquillum populo attulit, & ſub illo omnis generis bona, Foedere Sinaïtico promiſſa, plena menſura in Iſraëlis gremium effuſa ſunt, ut ipſe diſerte teſtatur 1 *Reg.* VIII: 56. vid & *v.* 66. Nihil ſane tunc populo ad læte & jucunde degendum defuit: dicuntur tum *Juda & Iſraël ediſſe, bibiſſe, & læte degiſſe* cap. IV: 20. & *tranquille & ſecure ſediſſe, quisque ſub ficu & viti ſua, a Dan usque ad Berſeba, omnibus diebus vitæ Salomonis*, cap. V: 5. Status Populi fuit ſumme pacatus, absque quo ullis calamitatibus a Deo inflictis, aut motibus turbulentis, aut metu hoſtium, turbaretur; omnis oppreſſio & adflictio ceſſabat: vid. 1. *Reg.* V: 18. IX: 22. 1 *Chron.* XXII. 9. XXIX: 23, 14. & alibi. Quem tranquillum ſtatum ipſum *Salomonis* nomen involvit, ut notum eſt, & habetur 1 *Chron.* XXII: 9. Divitiæ & opes populi fuerunt tanta copia, ut fidem fere ſuperet; vid. tantum 1 *Reg.* X: 21, 27. Nec parum ad gloriam & celebritatem ejus contulit Templum magnificum in medio ejus ſoli vero Deo conditum, quod tanquam fixam ſuam ſedem glorioſe occupavit, eo ipſo, Iſraëlem eſſe ſuum populum, cui præ reliquis bene volebat, demonſtrans: conf.

1 *Reg.* VI: 13. Cum vero ipſe Salomo Luc & Soli matutino comparetur, ſimul innuitur, hanc tam beatam Populi conditionem & felicitatem ab ipſo tanquam fonte vel cauſa derivandam fore, eique acceptam ferendam eſſe. Quod facile verum deprehendetur, ſi conſideremus, *tum*, Regem populum ut caput corpus regere & gubernare, adeoque proſperitatem populi ab ipſo derivari, & cum ejus felicitate conjunctam eſſe & cenſeri; *tum* felicem populi Iſraëlitici ſtatum quam maxime curæ, ſapientiſſimæ directioni, & juſtæ ac æquæ gubernationi Salomonis eſſe adſcribendam; *tum* denique, Deum benedictiones ſuas in populum conferendas reſervaſſe regimini Salomonis, eique alligaſſe, ut ex 1 *Chron.* XXII: 9. & aliunde liquet. Hinc Regina Schebæ felicem prædicavit populum ſub tanto Rege; & Deum Salomonem conſtituiſſe Regem, quia amabat populum ſuum, recte obſervavit, 1 *Reg.* X: 8, 9. 2 *Chron.* IX: 7, 8. ut & Hiram Tyriorum Rex 2 *Chron.* II: 11. Quod autem in genere dicatur, Lucem & Solem hunc oriturum eſſe, nec præciſe determinetur, quibusnam & in quorum gratiam? & præterea Rex hic ſiſtatur dominaturus in homines in genere; videtur eo tacite inſinuari, ſtatum hunc glorioſum & beatum fore univer-

ſalem,

ſidem, nec uni populo aut terræ adſtri-
ctum: quod etiam ex emblemate, ſi latius
& in amplitudine ſua accipiatur, ſponte
elucеſcit; Sol enim totum terrarum orbem
quaquaverſum illuminat. Hujus quoque
rei ſpecimen aliquod, licet levius, & præ-
ludium ſub Salomone conſpicuum fuit. Sic
Populi vicini, dum ſub imperio Salomonis
quietos ſe tenuerunt, pace & tranquillitate
omnino gaviſi ſunt. Regnum quoque Sa-
lomonis, qua late extenſum, fuit Regnum
juſtitiæ & æquitatis, quæ virtutes ubi vi-
gent, ſtatum fortunatum habent conjunctum.
Alii Reges terræ dum per munera anniver-
ſaria Salomoni animum obſequioſum demon-
ſtrarunt, in pacato nec infelici verſati fue-
rint ſtatu neceſſe eſt. Cujus & in eo indi-
cium eſt., quod ſponte ſua, non vi, aut
armis coacti, ſe illi ſubmiſerint. Denique
vocem ſapientiæ ille non tantum inter po-
pulum Iſraëliticum, ſed per totam terram
quaquaverſum ſparſit: ex omnibus enim
gentibus venerunt ad audiendam ejus ſa-
pientiam, 1 *Reg.* V: 14. X: 24. Addatur
tandem, Templum veri Dei ſedem a Salo-
mone conditum, patuiſſe quoque quibusvis
gentibus, quæ illud adire potuerunt ad
Deum Iſraëlis glorificandum, ejusque favo-
rem demerendum, & benedictionem in ſe
derivandam: ut clare ex 1 *Reg.* VIII: 41-43.,

ne alia memorem, liquet. Hac itaque ratione ſub Salomone omnibus ſine diſcrimine occaſio exhibita eſt favoris divini conſequendi, ejusque bona impetrandi. Cuncta vero hæc illuſtrius longe implementum habent in Regno Meſſiæ, qui tanquam Sol toti Mundo exortus eſt, tenebris ſuperiorum temporum diſpulſis, illum longe lateque luce ſalutaris doctrinæ illuſtravit, omnibusque Gentibus cauſa veræ & perennis liberationis, pacis & lætitiæ factus eſt, ſuamque Majeſtatem & gloriam per terram quaquaverſum demonſtravit, & uberius multo adhuc demonſtraturus eſt. Quæ latius deducta invenias apud interpretes. Tantum addo, quod neſcio an hic obſervatum ſit, cum naturaliter Aurora & Sol ſe primum conſpicienda præbeant in Oriente, & inde radios ſuos quaquaverſum per Orbem diffundant; idem hic locum habuiſſe in ſenſu emblematico. Meſſias enim qua Propheta & Rex primo in Oriente viſus eſt Mundo, ibi gloriam ſuam primum demonſtravit, deinde latius ſparſam; ibi Evangelium primo prædicatum eſt, & inde ad ceteras terræ plagas diſſeminatum, ut notum eſt.

§. 15.

§. 13.

In his licet acquieſcere poſſim, non tamen poſſum, quin obſervem, Auroram & Solem orientem hic, prout naturaliter ſe habent, conſiderari poſſe, quatenus nempe diſtincta ſunt, & illa hunc præcedit, ejus eſt prænuncia, & appropinquantis ſignum, eique quaſi viam parat. Applicari hoc poteſt ad duplex initium Regni Salomonis, alterum vivo adhuc patre, alterum, cum poſt ejus mortem ſtabilitus eſt in Regno. In fine ſcil. vitæ Davidis Salomo ſolenniter eſt Rex declaratus & unctus, ut narratur 1 *Reg.* I., 1 *Chron* XXIX., quando præludia feliciorum, quæ inſtabant, temporum jam conſpici cœperunt, *tum* in Salomone, peculiari amoris Dei objecto, hinc *Jedidjah* dicto, & *Lemuel* in Prov. ab ipſo Deo ſucceſſore Davidis deſignato, 1 *Chron.* XXII: 9, 10. XXVIII: 5. XXIX: 1. *tum* in pace ab hoſtibus & publica ſecuritate, qua tunc gaviſi ſunt, ib. XXII: 18. *tum* in conventu generali, unanimi & fraterno, Ordinum totius Populi Hieroſolymis, in quo dona magnifica ad Templum condendum & in uſum Sacrorum lubentes contulerunt, & læta coram Deo convivia celebrarunt, ib. *cap.* XXVIII, XXIX. *tum* etiam in eo, quod

omnes Iſraëlitæ, ipſi quoque Salomonis fratres, ei fidelitatem & ſubjectionem promiſerunt, *cap.* XXIX: 23, 24. Hæc & ſimilia manifeſta erant ſigna & præludia inſtantis ſub Salomone ſtatus proſperrimi ac lætiſſimi, ejusque certam faciebant ſpem, & viam ad illum parabant: adeo ut Salomo tum vere allucеſcentis inſtar Auroræ ſe oſtentaverit, quemadmodum poſt mortem Patris, quando a Deo ſapientia, honore & divitiis, ſummo gradu cumulatus eſſet, 1 *Reg.* III, inſtar Solis ſplendidiſſimi. Ad Meſſiæ Regnum cum oculos convertimus, luculenter hic depictam videmus duplicem ejus Periodum, alteram præparatoriam & præambulam ſub Maccabæis, per *Auroram*, alteram veram & perfectam ſub N. T. per *Solis* ipſius ortum. Initia enim Regni Dei in Meſſia repeti ſolent in verbo Prophetico a temporibus Maccabaicis: qua de re, maximi in Prophetarium interpretatione momenti, qui accuratius inſtrui cupit, adeat Cl. VENEMA in *Diſſ. VIII. ad Viſa Dan. Embl.*, ubi & verum Periodi Maccabaicæ, tanquam præparatoriæ ad Regnum Meſſiæ, viamque ad illud ſternentis, conſpectum in clara collocavit luce. Meſſias tum lucis Auroræ inſtar populo ſuo exortus eſt, quatenus tanquam *Angelus Jehovæ*, quo titulo ſæpius inſignitur in V. T., quamque perſonam ſub

V. T.

V. T. ut notum eſt, geſſit, *Princeps fœderis*, *Dan.* XI. *Michaël*, ſtans pro populo ſuo, *ib. cap.* XII. ſe vindicem ejus demonſtravit, conf. *Zach.* IX: 14., eumque cum clariſſimis Majeſtatis ſuæ ſignis ab hoſtium jugo liberavit, a malis & calamitatibus, quæ noctis inſtar ei tam longo tempore incubuerant, cum quibusque inde a temporibus Babylonicis, & inprimis noviſſime ſub Syrorum tyrannide, conflictari debuerant, plene vindicavit, & in ſtatum perfectæ libertatis ac omnigenæ felicitatis reſtituit. Prophetæ quoque ſimilibus emblematibus de horum temporum conditione uti ſolent, ut *Pſ.* XCVII: 11. *Jeſ.* LX: 1. *ſqq.* *Zach.* XIV: 6, 7. *Mal.* III: 20. Præterea, quæ Oraculo noſtro prænunciantur de glorioſo, celebri læto ac pacifico Populi ſtatu, ejusque multiplicatione, de Regni Dei longa extenſione quaquaverſum, de virtutis & pietatis ſtudio florente, de luce ſapientiæ longe lateque ſparſa, aliaque, omnia temporibus iſtis conſpicua fuerunt, magnamque illa præferunt cum temporibus Salomonis convenientiam, ut latius demonſtrare poſſem, ſi Diſſert. hujus limites permitterent. Sub N. T. vero Meſſias inſtar Solis ipſius ſe vere, proprie & longe adhuc illuſtriore modo Regem demonſtravit, & qua talis Mundo

apparuit: quæ latius exſequi neceſſe non eſt. (*)

§. 14.

(*) Hiſce ſcriptis, incidi in Cl. *Kennicotti Diſſert. ſuper ratione Textus Hebr.*, qui *pag.* 435. *ſeqq.* aliquid de *v.* 4 habet, quod ſilentio prætermittendum non eſt. Inter ירח nimirum & שמש inferendum eſſe nomen Dei יהוה, monet, tum quod lectionem hanc habeat Cod. MS., & ita quoque legiſſe videantur LXX, tum quod lectio recepta commodum non admittat ſenſum, ſi ſcil. verba ad literam interpretemur, *ſicut lux matutina orietur Sol.* Verum poſterius hoc nos non ferit, cum alia ratione pericopam hanc expediamus, vocé ſcil. ירח conſtructa cum præc. מושל, & ante שמש, ſubintellecto כ ſimilitudinis. Quorum prius ex eo ſe commendat, quod alias hiaret ſermo antecedens, & verbo aliquo ſuppleri indigeret, uti vulgo quoque inſtituunt Interpretes: poſterius vero nihil duri aut inſoliti habet, cum כ ſimil. ſæpius, etiam in locis, ubi longe durior, quam hic videri poſſet, ejus ellypſis, omittatur, e. gr. *Jeſ.* XXI: 8. in אריה, *Pſ.* CV: 41. in נהר, *Pſ.* CXIX: 119. in סינים, & alibi. Ad lectionem vero ipſam quod attinet, non videtur plane ſpernenda, cum bonum omnino ſenſum fundere poſſit; nec tamen illum, quem vult Cl. KENNICOTT, qui vertit, *& ſicut Lux matutina orietur Jehovah Sol,* ac ſi

Jeho-

§. 14.

b. Illuſtratur & exaggeratur hoc Auroræ & Solis matutini emblema ab ejus adjuncto &

Jehova ipſe hic directe Solis nomine inſigniretur, & vox *Sol* una cum nomine *Jehovah* ſubjecti vicem teneret: talis enim locutio eſt plane inſolita in S. S., nec ejus temere deprehendetur exemplum, quale neque præbent loca a Viro Cl. producta, ut attentus facile perſpiciet, & mox liquebit. Præterea hac ratione vix evitabitur difficultas, quam Vir. Cl. ipſe movet contra vulgarem lectionem & explicationem, ſcil. Solem comparari cum Luce matutina, quod ipſe, & recte quidem, abſurdum pronunciat: ſi enim *Sol* ſit epitheton Jehovæ, cujus ortus comparatur cum Luce matutina, utique hæc comparatio quoque pertinet ad Solem. Si itaque ſenſus ſecundum hanc lectionem ſibi recte conſtabit, ante שֶׁמֶשׁ ex præc. כְּאוֹר repetendum כְּ ſimil., & tota Pericopa hac ratione digerenda & intelligenda eſt: *Dominator* &c. *timoris Dei*, & (i. e. præterea, ſimul cum illo, vel eo quoque tempore, *Jehovah* enim omnino diſtingui debet a *Dominatore*, nam abſurdum foret, Jehovam dici Dominatorem timoris Dei,) *inſtar Lucis matutinæ orietur Jehovah*, quin inſtar *Solis*, h. e. Jehova ſe in gloria ſua ac virtutum ſua-

& effecto, his verbis: *non nubes, ex ſplendore ex pluvia herba tenera ex terra.* (א) Prior pericopæ hujus pars, *non nubes*, ſummam claritatem & ſerenitatem Lucis ortæ exprimit, ejusque ſplendorem per nubes non eſſe obfuſcandam aut intercipiendam, indicat. Nubes cum hic obſtaculorum gerant conſpectum, quæ impediunt, quo minus Lux in nativo ſuo ſplendore videri queat, & quaquaverſum ſpargatur ac diſſeminetur, &

rum ſplendore, ſimul Liberatorem, Salvatorem, & omnigenæ felicitatis largitorem ac cauſam demonſtrabit, omnibusque conſpiciendum præbebit, quo tempore Dominator ille tenebit ſceptrum: ſimili fere ſenſu, quo *Jeſ.* XL: 5. *gloria Jehovæ revelanda*, & cap. LX: 1, 2. *Jehovah* ipſe *oriturus*, & *gloria ejus ſuper* ipſius populo *conſpicienda* dicitur; conf. & *Zach.* IX: 14. aliaque loca. Quod in Regnum Salomonis recte convenire, ex iis, quæ ſupra in medium protuli, facile liquet, ſed longe illuſtriori modo in Regnum Meſſiæ, quisque videt. Licet ergo, lectione hac aſſumta, hypotheſi meæ de Salomone hic delineato nihil plane decedat; hactenus tamen illa adſenſum meum non impetrat, cum ea, quæ pro illa tuenda adfert Cl. KENNICOTTUS, non adeo magni videantur momenti. Quamdiu Cod. ipſius MSti ſupra alios præſtantia, vel hoc ſaltem in loco lectionem ejus vulgari eſſe præferendam, non

& tanquam cauſa caliginis conſiderentur, emblematice depingant neceſſe eſt, quicquid gloriam Regis noſtri illuſtris obſcurat, ſtatumque Populi felicem quodammodo turbat. Quale quid hic habiturum eſſe locum, negatur. Repræſentatur itaque ſtatus Regis & Regni ſumme glorioſus, tranquillus, ab omni metu immunis, cujus gloriæ & felicitati nihil deeſt vel obſtat. Quod abſolute non eſſe capiendum, facile videtur, verum re-

non clare liquet, ejus autoritas nos parum movere poteſt. Eodem jure, qua Vir. Cl. ſtatuit, vocem יהוה in aliis Codicibus omiſſam eſſe propter ſimilitudinem vocum יזרח & יהוה, ego affirmare poſſum, illam in Cod. ejus MS. irrepſiſſe, ita ut pro יזרח primo vitioſe ſcriptum ſit יהוה, & dein ab alio deſcriptore hæc vox illi addita ſit. Nec multum valoris huic lectioni accedit per LXX, tum quod illi ſæpius Codicem vitioſum ſecuti ſint, uti notum eſt, nec in ipſo noſtro loco diffitetur Vir Cl., tum quod eorum Verſio in toto fere hoc Cantico haud exigua confuſione laboret. Nec adeo liquidum eſt, ac Vir Cl. ſibi perſuadet, illos legiſſe יזרח יהוה: habent enim ανατελει ηλιος, adeoque יזרח & שמש ſecum conſtruunt: in antecedentibus quidem habent vocem Θεος, *Cod. Vatic.* in ſequentibus etiam Κυριος; ſed illam ex præced.

reſtricte, in quantum ſcil. cum præſente hominum conditione in hac vita, quæ nunquam ab omnibus omnino malis immunis eſt, cum indole ſocietatum, & cum natura Oeconomiæ divinæ ſuo tempore vigentis, convenit, & hæc patiuntur. Quod idem obſervandum eſt in plurimis aliis vaticiniis de proſpero Eccleſiæ vel populi Dei ſtatu, quorum implementum alias fruſtra quæreretur: conf. VITRINGA in *Jeſ.* LXV: 19. *Apoc.* XXI: 4. Quo ſenſu hoc recte quadrare in Salomonem, cujus gloria ſane fuit tanta, ut major in hac terra cogitari nequeat,

præced. voce אלהים v. 3: repetere potuerunt, quemadmodum talis repetitionis *Cod. Vatic.* clarum hic ſuppeditat exemplum: forte etiam exiſtimarunt, ſeriem & nexum orationis hanc vocem requirere, & ſic illam interpolarunt, ut ſæpius inſtituunt. Loca denique parallela, quæ producit illuſtrationis cauſa Vir Cl., non video hic multum ad rem facere. *Malach.* III: 20 ex conſtructione Verbi זרח in gen. femin. cum שמש, ſi vel recte colligatur, vocem ירח noſtro in loco cum שמש conſtrui non poſſe, illud nos non moratur, qui eam referimus ad præc. מושל: & ſi reſpexerit *Malachias* ad noſtrum locum, æque magna inter locum utrumque eſt convenientia, ſive hic addita ſit vox יהוה

queat, ejusque Regnum, omnibus bonis abundans, nec ullis malis aut calamitatibus, quibus Regna & Societates premi ſolent, turbatum, ex iis quæ ſupra allata ſunt, ſatis liquet; multo autem magis in Meſſiam ejusque Regnum, demonſtrarunt Interpretes.

§. 15.

(ב) Conſequens & effectum ortæ hujus Lucis ſplendidiſſimæ proponitur his verbis: *ex ſplendore ex pluvia herba tenera ex terra*, ſcil. prodibit, orietur, ſuccreſcet. Emble-

יהוה, ſive minus; non enim apud Mal. Jehovah directe vocatur *Sol juſtitiæ*, ut ſupponit Vir Cl. ex vulgari opinione de Meſſia hic primo & directe intelligendo, ſed rectiora nos docuit Cl. VRNEMA ad *b. l.*, & ſi vel hoc admitteretur, collatio tamen *Jer.* XXXIII: 16. huc nihil facit, cum ſint loca diverſa, nec ad ſe mutuo reſpiciant: nec etiam *Jeſ.* l. c. directe intenditur Meſſias. *Jeſ.* LX: 1, *ſeqq.* clare quidem dicitur, *Jehovam orituram eſſe* &c. ſed quid illud ad noſtrum locum? num propterea quod ibi exſtet vox יהוה, hic quoque additam eſſe, jure præſumitur? nec quoque locus ille proprie & directe pertinet ad Meſſiam ejusque Regnum.

blemate ortus *herbæ teneræ ex terra* primo indigitari exiſtimo ſtatum populi & civium hujus Regni lætiſſimum, proſperum, & glorioſum, inſtar herbæ virentis & nitide ſplendentis: de quo ſupra ſatis egi. Sed deim præcipue multiplicationem populi, inſtar graminis copioſiſſimi & denſiſſimi, terram longe lateque obtegentis; Radix etiam proprie dicit *obtectus*, opertus *fuit magna ſpiſſitudine* Et hoc omnino locum habuit temporibus Salomonis, ut diſerte nos docet locus 1 *Reg.* IV: 20. *Juda & Iſraël erant multi, ſicut arena ad mare in multitudine:* vid & *cap.* III: 8. multo magis vero ſub Meſſia, ut notum eſt; conf. *Pſ.* LXXII: 16. CX: 3. & alibi. Derivatur hæc graminis germinatio *a ſplendore & a pluvia.* In quo aliqua difficultas ſe nobis offert, quomodo ſcil. a pluvia derivari poſſit, cum mox non fore nubes; dictum eſſet, adeoque pluviæ hic non videtur eſſe locus. Multi ut hinc ſe expediant, ממטר vertunt *poſt pluviam:* nec dubium eſt, quin Præf. מ aliquando hoc ſenſu veniat; naturali quoque & proprio emblematis ſenſui recte convenit hæc explicatio. Illi tamen obſtat, quod מ in antec. & mox iterum in ſeq. per *ex* vel *a* vertendum venit, quam proinde ſignif. & hic habere merito præſumitur: præterea in *Edit.* GERSONIS, quæ

haud

haud infimæ eſt notæ, legitur ומִמָּטָר, quod nemo in hac ſerie dubitabit reddendum eſſe, *& ex pluvia:* lectionem hanc exhibet B. V. D. SCHULZE in *Biblioth. Hag. Claſſ. I. Faſc. II. pag.* 216. Cl. VENEMA in Mal. *loco* ſupra *cit.* alio modo rem expedire conatur: ſuſpicatur ſcil. Vir maximus, per *pluviam* hoc loco intelligendum eſſe *rorem*, quod illuſtrat ex *Pſ* CX: 3. Quæ interpretatio non ſenſui tantum literali egregie convenit, cum ros multum faciat ad herbam ex terra eliciendam, ſed & ſenſum emblematicum fundit aptiſſimum, ut quisque, hujus emblematis non ignarus, videt. Quamdiu tamen de hoc *pluviæ* pro *rore* uſu mihi nihil certi conſtat, malim hic receptam vocis ſignificationem retinere; ad difficultatem iſtam ſolvendam obſervans, (1) nubes hic non abſolute negari adfuturas fore, ſed tantum quatenus lucem Solis refringunt, & denſa caligine terram cooperiunt, non vero quatenus pluviam terram fecundantem eique ſalutarem demittunt. Quo egregie facit, vocem עב proprie denotare *nubem denſam & caliginoſam*, a Rad. עוב *in denſo & obſcuro delituit*, quæ originem habet, ut עבה, in *conſtipatione farta:* vid. SCHULTENS ad *Harir. Conſ. I. p.* 9. KUIPERS ad *Ali p.* 23. LETTE *Curæ tertiæ* in *Cant. Deb. p.* 47. (2) In emblematum conſtru-

ſtructione ſæpius talia conjungi, quæ proprie & naturaliter una conſiſtere nequeunt, ut *Pſ.* CXXXIII: 3. *Jeſ.* II: 2. *Apoc.* I: 16. VII: 14. conf. VITRINGA in *Jeſ.* XXII: 22. Mirum proinde non eſt, Solem *ſine nubibus*, & *pluviam* hic conjungi, cum pluvia hic per ſe & abſolute conſideretur, nec origo ejus ex nubibus in cenſum veniat. Germinatio itaque herbæ teneræ deducitur tum a pluvia, quod rei veritati congruum eſt; tum a ſplendore, Solis orientis ſcil. quatenus nempe una cum illo herba ex terra ſuccreſcens apparet, ſeque in vigore ſuo conſpiciendum præbet, adeoque ab illo originem trahere cenſetur ſecundum apparentiam externam, a qua tales deſcriptiones emblematicæ ſæpius deſumuntur in S S: ut *Pſ.* XIX: 5. *ſqq.* CX: 3. & alibi. Non itaque hic reſpicitur ad vim Solis foventem & calefacientem, ut vulgo putant, niſi forte indirecte, quatenus nempe ſplendor Solis illam ſecum conjunctam habere cenſetur. Vocem נגה ſpec. de *ſplendore* Solis orientis uſurpari, obſervat SCHULTENS in *Prov.* IV: 18. Videamus jam de ſenſu emblematico. Cum herbæ germinatio, ſeu læta populi conditio & multiplicatio, deducitur a *ſplendore* Solis tanquam cauſa & origine, per Solem vero intelligatur Rex illuſtriſſimus, eo indicetur neceſſe eſt hu-

jus

jus, qua talis, nempe ſapientia, Majeſtate, autoritate & gloria inclyti & eminentis, influxus in ſubditos ſuos, ſive ejus cura & gubernatio, in populi commodum & felicitatem tendens, & hanc ſecum connexam habens. Quod in Salomonem recte quadrare, ex ſuperioribus ſatis liquet. Nec minus in Meſſiam, ut facile intelligitur: quare tantum obſervo, eleganter hic ſpeciatim cogitari poſſe de prædicatione Evangelii, qua gloria Meſſiæ manifeſtatur, ejusque eſt effectum, quæ ſceptrum eſt Meſſiæ, quo regimen exercet, & eo tendit, ut ejus ſubditi numero creſcant, & vera lætitia ac conſolatione fruantur; & floreant. Sed ſecundo herbæ ortus derivatur quoque *a pluvia*, quæ in genere hic ſymbolum gerit benedictionis divinæ & coeleſtis, ut ſæpiſſime alibi, cui Populi multiplicatio & læta conditio quam maxime adſcribenda eſt; quæque ſingulari ratione locum habuit tempore Salomonis, longe copioſior quam unquam antea; ſed illuſtriori adhuc ſub Meſſia, qui veram, perennem & ſpiritualem attulit benedictionem, *Eph.* I: 3., quo in ſpecie pertinet Sp. S. ejusque operationes & dona, ſæpiſſime hoc emblemate depicta, ut notum eſt, quæ cum Euangelii prædicatione conjuncta effectum ſtatim memoratum ſiſtunt & producunt.

Dominator enim illuſtris, cujus adventus ipſi revelatus erat, ex domo ejus ortum traheret: qua ratione nexus cum præcedentibus ſibi recte conſtat, ſive כִּי per *quia*, ſive per *utique* vertamus. Per *domum* Davidis intelligi ejus familiam ſeu ſtirpem, notum eſt: quo ſenſu ſæpius venit, unde explicanda phraſis *ædificandi domum*, pro ſobolem ſeu familiam augere & multiplicare: vid VENEMA in *Pſ. T. VI. p.* 361. Domus dicitur *germinare*, non tantum quum ſobolem ſeu prolem producit, ſed inprimis, cum in proſperrimo & ſplendidiſſimo ſe oſtentat ſtatu, cum læte viget floretque, quo modo & alibi hoc emblema uſurpatur, ut *Pſ.* LXXII: 7, 16. *Jeſ.* XXXV: 2. Verbum etiam צמח proprie dicit *ſplendere*, *exſplendeſcere*, inde *efflореſcere*, & uſurpatur de germinibus & ſatis, quæ non tantum ex terra prodeunt, ſed & in altam ſegetem excreſcunt, & ſplendidam præferunt ſpeciem: vid. SCHULTENS in *Job.* V: 6. SCHROEDERUS *Orig. Hebr. p.* 164 VENEMA in *Pſ. T. VI. p.* 449. Nec dubitari poteſt, quin ultimum hoc præcipue intenderit David; licet ad id paſſim non attenderint interpretes, licet alterum illud ſimul involvatur & ſupponatur: non enim ſimpliciter ſibi promittit prolem ſeu poſteritatem, quod nec tanti erat momenti, ſed illam illuſtrem, glorio-

ſam

am & Regiam, qua talem; ut tum ex
iexu cum ſuperioribus, tum ex argumento
promiſſi divini, ad quod mox provocat,
illuceſcit. Alibi quoque ſic ſumitur צמח,
it *Pſ.* CXXXII: 17. *Zach.* VI: 12., qui lo-
cus hinc illuſtratur. Talem jam domus ſuæ
ſplendorem & ſtatim florentem ſibi promit-
tit David, cum illam *non ſic* eſſe *cum Deo*
dicit, quod non germinare faceret, i. e.
ut Cl. VENEMA ad *Mal. l. cit.* exponit, non
in ea apud Deum eſſe conditione, ut Deus
eam ſterilem faceret & eradicaret, ſeu
prolem producere aut florere prohiberet.
Vocula עם ſimilem fere vim exſerit *Pſ.*
XXXIX: 13. ubi David, ſe *peregrinum eſſe*
cum Deo, dicit; & indicat hic arctam do-
mus Davidicæ ad Deum relationem, unde
& *in æternum* dicitur eſſe *coram facie ejus*,
2 *Sam.* VII: 16. Sic enim ibi legendum,
& non *coram facie tua*, ſcil. Davidis, ut
vel ex collatione *v.* 29. clare liquet.

§. 17.

C. Spem hanc ſuam David duobus funda-
mentis ſuperſtruit, promiſſo ſcil. Divino,
& arctæ Deum inter & ſe relationi:
1. Prius ita proponit, *quia foedus æternum*
poſuit mihi, *ordinatum in omni & cuſtoditum.*
Recte obſervarunt Interpretes, ipſum hic

reſpicere ad promiſſum a Deo per Nathanem ſibi factum, quod exhibetur 2 *Sam.* VII: & repetitur 1 *Chron.* XVII. XXII. XXVII. *Pſalm.* LXXXIX. CXXXII. Ex quibus locis inter ſe collatis liquet, ejus ſummam ſeu argumentum huc redire: (1) Davidem ipſum, maxima gloria & Majeſtate, in populis vicinis ſubigendis, & Iſraële in ſtatu tranquillitatis & ſecuritatis collocando, demonſtranda, aliquando inclytum fore. (2) Poſt mortem Davidis filium ejus Salomonem in ipſius throno fore collocandum, & omnigena felicitate ac pace cumulandum, qui Deo Templum conderet. (3) Salomonem in hoc tam beato ſtatu in longos annos læte & tranquille victurum, & a Deo conſervandum eſſe, nec non filiis ipſius Regnum Iſraëlis in æternum, ſeu quamdiu duraret Oeconomia V. confirmandum fore; ſed ſub conditione, ſi & quamdiu in Legis divinæ obſervantia perſiſtant, nec a Deo totaliter deficiant. Quod promiſſum conditionatum & ex aliis locis eluceſcit, ut 1 *Reg.* II: 4. VI: 12, 13. VIII: 25. IX: 4. *ſqq.* *Pſ.* CXXXII: 11, 12. ad quem locum omnino hac de re conſulendus Cel. VENEMA. (4) Tandem tamen abſolute Regnum in domo Davidis ſtabiliendum eſſe in æternum, nempe in Meſſia. Appellat David *foedus*, quia illo promiſſo tanquam

quam foedere ſe Davidi obſtrinxerat Deus; & quidem *æternum*, quia nunquam plane aboleretur, ut ex dictis liquet. Quam firmitatem & immutabilitatem hujus foederis etiam innuit, cum illud ſibi a Deo *poſitum eſſe* dicit; Rad. enim שום a propria *figendi*, *defigendi* ſignificatione ad *firmam* & immobilem *poſitionem* tranſiit. Foedus hoc præterea *in omni ordinatum*, diſpoſitum, inſtructum, dicit; quo ſignificare velle videtur, illud omnia requiſita habere, quæ foedus perficiunt, ejusque exequendi certam ſpem faciunt, quacunque parte conſideretur, bene ſe habere, ejus integritati & perfectioni nihil deeſſe, nihil continere abſurdum, ſibi difforme, aut culpabile, ſed ſapienti conſilio & ſcopo, omnibus bene perpenſis & collatis, eſſe pactum, de cujus itaque firmitate & executione dubium ſupereſſe nequit. Qui ad Foederis hujus naturam ac interiorem indolem, & ſcopum, attenderit, veriſſimum hoc eſſe deprehendet: quæ fuſius declarare, hujus loci non eſt. Tandem de illo affirmat, quod *cuſtoditum* ſit: quo ex mea opinione omnino innuit, partem ejus aliquam jam executioni eſſe datam, adeoque Deum jam reapſe oſtendiſſe, ſibi hoc foedus curæ eſſe, idque conſtanter ſervare velle. Quo pertinet, quod ipſe David, hoſtibus ſuperatis,

hoc tempore pace & tranquillitate frueretur, & ad inſignem gloriæ & felicitatis gradum eſſet evectus, quemadmodum ipſi hoc foedere promiſſum erat: præterea quod ei natus eſſet filius, cui Deus ipſe impoſuit nomen *Salomonis* 1 *Chron.* XXII:9. nec non *Jedidjah* 2 *Sam.* XII: 25. quemque Davidis ſucceſſorem deſignavit. hoc jam tempore felicibus auſpiciis in throno collocatum, & ſolemniter Regem inauguratum. Cl. VITRINGA hic cogitat de juramento, quo foedus hoc ſancitum & *adſtrictum* fuiſſe videtur ex *Pſ.* LXXXIX: 4, 36. CXXXII: 11. quod admitti poteſt, ſi propriam verbi שׁבר ſignif. hic adoptemus. Liquet itaque, quam juſto fundamento ſpes Davidis de felici & coruſco poſteritatis ſuæ ſtatu innitatur. Nec fefellit eum ſpes, ſiquidem Deus fidem ſuam ſervavit, & promiſſum hoc in omni emphaſi præſtitit, primo quidem in Salomone, mox poſt mortem ejus in Regno confirmato, & omnis generis bonis abunde cumulato, ut ex ſuperioribus patet, in quo ſucceſſio Regia in domo Davidis confirmata eſt. Cum Salomo poſtea ſe favore Dei indignum gereret, ejusque iram in ſe concitaret, quamdiu tamen vixit, Regnum decem tribuum a domo Davidica avulſum non eſt, ſed ei ſubjectum manſit, quod factum intui-

tu

tu Davidis, & foederis cum eo pacti: vid. 1 *Reg.* XI: 12, 31. *ſqq.* Dein cum poſteri Davidis ſe omnino dignos præſtarent, qui dignitate Regia privarentur, *Deus* tamen propter ipſum hoc promiſſum *Davidi dedit lucernam omni tempore*, ut toties in Libris *Reg.* & *Chron.* dicitur, qua Regiæ majeſtatis ſucceſſio in ejus domo ſignificatur. Poſtea cum præ totali Regum & Populi a Deo defectione ac invincibili corruptione gloria domus Davidicæ in obſcurum eſſet miſſa tempore exilii Babylonici, in Jechonia tamen, bene tractato & exaltato ab Evilmerodacho, & dein in Zerubbabele, aliquatenus refulſit, conf. *Ezech.* XVII: 22. Poſt quem cum iterum obfuſcaretur, (falſa eſt enim traditio Judaica de Ducum ex ſtirpe Davidica ſucceſſione poſt Zerubbabelem, & verbo quoque Prophetico contraria,) Deus ſemper tamen prolem huic domui ſupereſſe curavit; usque quo tandem venerit Meſſias, qui eſt ex ſemine Davidis ſecundum carnem, Rex longe glorioſiſſimus, cujus Regnum durat per omnia ſecula, in quo Deus promiſſum Davidi factum omni ſua vi implevit, ejusque domui ſummam gloriam conciliavit. Conf. *Jeſ.* XI: 1. *Ezech* XXI: 27. XVII: 22, 23. *Amoſ.* IX: 11. *Luc* I: 32, 33, 69. & alia loca. Addo tantum, Meſſiam eſſe, qui ſumma em-

phaſi *germen* צמח Davidis dici poſſit, ut *Jerem.* XXIII; 3.

§. 18.

2. Alterum ſpei Davidis fundamentum præbet arcta ipſius ad Deum relatio, quæ permittere non poterat, domum ipſius prole carere aut non florere: *quia*, inquit, *omnis ſalus mea & omnis delectatio*, ſcil. Deus eſt, de quo in antecedentibus & mox iterum in ſequentibus ſermo fit. Qua ratione hæc pericopa optime expeditur. A parte Dei relationem illam in eo conſtituit David, quod Deus eſſet *omnis* vel tota *ſalus ſua*, quo indicat, ſolum Deum eſſe, qui ipſum ex tenui ſorte, & tot calamitatum anguſtiis, in ampliſſimum liberationis, proſperitatis, & gloriæ campum eduxerat, quæ vis vocis ישע, cui omnem ſuam ſalutem acceptam debebat, & in quo illam unice quærebat; quo eodem titulo Deum compellat. *Pſ.* XXVII. 1. Cum ergo tot tantaque Divini erga ſe favoris & benignitatis expertus eſſet indicia, jure merito exſpectare poterat, Deum quoque ſe talem deinceps erga poſteritatem ſuam præſtiturum fore. Addi poteſt, Davidem inſignem ſalutis ſuæ partem in illa illuſtri & florente domus ſuæ conditione collocaſſe;

cum

cum vero Deus eſſet omnigena ejus ſalus, illum nec hac parte ſibi defuturum eſſe, recte præſumit. A parte ipſius Davidis relatio illa in eo ſita erat, quod Deus eſſet *omnis* ejus voluptas ſeu *delectatio*. Quo tenerrimum ſuum erga Deum adfectum & amorem, animumque ſinceræ pietatis ſtudioſum, demonſtrat. Quum vero pietas & amor Dei ipſius favorem vel in ipſos poſteros demereantur, *Exod.* XX. & alibi, liquet, Davidem hoc fundamento futuram domus ſuæ felicitatem merito ſperare potuiſſe. Deus quoque intuitu pietatis ejus ſe gratioſum & benignum erga poſteros ejus, licet male de ſe meritos, præſtitit, ut ex 1 *Reg.* XI; 34. aliisque locis egregie eluceſcit.

§. 19.

ב. Huic tam florenti & proſperrimo poſteritatis ſuæ ſtatui David opponit miſeram ſortem & interitum hominum improborum, *v.* 6, 7. *Et Belial ſicut ſpina ejecta univerſitas eorum, quia non manu prehendent, ſed qui tanget illos, implebitur ferro et ligno haſtæ, et comburendo comburentur in ipſa ſede.* Quæ verba in genere ab Interpretibus recte expoſita & illuſtrata ſunt; quare hic paucis verum eorum ſenſum & conſpectum tradam. Viri *Belial* (vox enim *viri* per ellypſin hic defi-

deficit, ut *Nah.* I: 15.) uſu ſuo tales in S. S. notare ſolent, qui nequiſſimi ſunt hominum, profligate improbi, & in improbitate obſtinati, nullis mediis emendandi. De origine vocis vid. SCHULTENS in *Prov.* X: 2. Talium exſtirpatio & interitus hic prædicitur; & quidem α. in genere his verbis, *ſicut ſpina ejecta univerſitas eorum*, ſcil. erit. Quorum ſenſus eſt, ſimilem fore omnium illorum ſortem & exitum, ac ſpinarum, quæ quia infrugiferæ & valde noxiæ ſunt, exterminari ſolent. Vox נוּד ſecundum analogiæ regulas deducenda vel a נדד vel a נוד, *quæ* radices cognatæ ſunt, & eandem habent originem in *quatiendo*, ſ. *quaſſando* ſitam: נדד vero ſpeciatim iſtiusmodi *ejectionem* vel expulſionem denotat, quæ fit *incuſſo anathemate*, cum ingeſtis opprobriis, & publica ignominia, ut egregie *Hoſ.* IX: 17. Quæ emphaſis hic egregie quadrat, proprie quidem & directe in ipſos illos Viros Belial, aliquatenus tamen quoque in ſpinas, quæ tanquam cum maledictione e medio tolluntur: conf. omnino *Hebr.* VI: 8. β. Hæc improborum exciſio ulterius illuſtratur & deducitur, cum alluſione continua ad ſpinas naturales, quibuscum illi comparati erant: quæ comparatio nunc clarius extenditur. Et quidem 1. oſtenditur, illos indolis & qualitatum reſpectu ſpinis

ſpinis ſe ſimiles demonſtrare, dignos itaque, qui eandem cum illis ſortem ſubeant; eo enim, ut hoc liqueret, tendit hæc pericopa: *quia non manu prehendent* illos, vel prehendere poterunt, *ſed qui tanget illos*, *implebitur* (armabitur, probe munietur) *ferro & ligno haſtæ*, quæ hic pro armatura in genere venit: *ferrum* autem æque ac *lignum* ex mea opinione cum *haſta* conſtruendum eſt, quæ ex his duobus conſtat, adeo ut hæc ſimpliciter elegans ſit *haſtæ* circumſcriptio. Phraſis עץ חנית etiam alibi occurrit, ut *cap.* XXI: 19. Senſus huc redit, illos plane intractabiles & in malitia ſua obſtinatos eſſe, qui nullis mediis lenioribus ſe emendari & in ordinem redigi patiuntur, aliis maxime formidabiles & infeſti, qui non niſi violenta & armata manu coërceri & domari poſſunt; proinde e medio plane exterminandi. In quibus recte cum ſpinis, ut facile videtur, comparantur: quod emblema ſatis frequens eſt in S. S. 2. Fati, quod ſubirent, reſpectu ſpinis etiam ſimiles forent, quæ quippe igni traduntur: *& comburendo comburentur in ipſa ſede.* Combuſtionis ſeu conflagrationis, ſpec. ſpinarum, emblema nos ducit ad hominum hoſtilium ſubitaneam, ſtreperam, cum ſignis judicii divini conjunctam, & totalem exſtirpationem & e medio exciſionem: vid. *Jeſ.* IX: 17. X: 17. XXVII: 4.

Pſ.

Pſ. CXVIII: 12. & alibi. Vox בשבת aliquid difficultatis habet, & varie expeditur. Mihi nihil melius ſuppetit, quam quod dedi, nempe *in ipſa ſede*, ut ſit a ישב, & ſenſus ſit, improbos illos in ipſis ſuis ſedibus & habitationibus plane eſſe delendos & exſcindendos: quo totale & plenarium excidium eorum depingi videtur, adeo ut ne memoria quidem illorum ſuperfutura ſit, nec veſtigium aliquod remaneat. Concinit fere, quod habemus *Zach.* V: 4. de execratione Dei, improbos cum ipſis domibus ſuis abſumtura, & *Pſ.* XXXVII: 10. de ipſo impiorum loco, ſeu ſede, in qua floruerunt, non amplius ſuperſtite futuro.

§. 20.

Videamus nunc de implemento. Ne adplicatio noſtra fiat vaga & incerta, duo hic præmittam obſervata, in verum hujus pericopæ conſpectum ducentia. *Primum* eſt, excidium hoc Virorum Belial allegari initio Regni Dominatoris illuſtris, de quo ſupra actum erat. Cujus indicium in eo eſt, quod ſpinæ removendæ comparantur, cum manifeſta oppoſitione ad domum Davidicam *v.* 5., quæ ſe plantæ læte germinantis inſtar oſtentaret: quo clare innuitur, germinationem hujus domus cum illorum miſero exitio

ſpinæ-

ſpinarum ſimili fore conjunctam, & utrumque ſimul locum habiturum eſſe. Quando ergo domus Davidis germinare, & Dominator illuſtris in ſcenam prodire inciperet, illi ſpinarum inſtar exterminarentur. Idem præterea ex ipſa rei natura liquet: cum enim Dominator hic juſtitiæ exercendæ incumberet, & ſtatus ejus Regni ac civium foret ſumme pacatus & tranquillus, liquet, tales homines hic nullum habere poſſe locum, e medio proinde ſtatim eliminandos eſſe. *Alterum* habet, hos homines hic conſiderari tanquam apertos domus Davidicæ & Dominatoris inde oriundi hoſtes, qui omni modo ei obſtare niterentur, nec ſe illi ſubjicere vellent, ſed ejus regimini & ſplendori obſtaculum ponerent. Manifeſte enim hic opponuntur Dominator ex domo Davidis germinaturus, & hi Viri Belial, ut attendenti facile liquet, adeoque hos ejus fore hoſtes, clare ſignificatur. Nec alienum erat, Davidem tales domus ſuæ hoſtes hic abſolute appellare viros Belial: *tum* quod domus ejus hic non niſi in Dominatore juſtiſſimo, æquiſſimo, & piiſſimo, germinatura ſiſtatur, quali qui ſe opponit, nequiſſimus ſit hominum oportet, *tum* quod Deus ipſe hunc eligeret & deſignaret Regem ac Dominum, ut ex ſuperioribus eluceſcit, & quidem eo ſcopo, ut ſemet ipſum ſuumque

Regnum

Regnum in eo conſpiciendum præberet; quali Regi qui parere recuſat, ſed in eum rebellis eſt, omnino Vir Belial dici meretur. His recte obſervatis, implementum non erit in difficili poſitum. Primum quæro in primordiis Regni Salomonis, quando non deerant pacis & ſocietatis turbatores, homines improbi & variorum criminum rei, qui impune ſæpe graſſabantur, & factiones contra ipſum Salomonem inſtituerunt, eique ſe oppoſuerunt; quales fuerunt Adonia, Joab, Simei aliique, qui nullis vinculis teneri, nullis mediis in ordinem redigi potuerunt, adeoque brevi violento modo, ſive plagis divinis, ſive judiciis humanis, e medio exciſi & plane fuerunt exſtirpati, ita ut memoria illorum ipſa deleta ſit, nec dein amplius quid in Iſraële de talibus moliminibus vel facinoribus auditum ſit. De quo præter Hiſtoriam 1 *Reg.* II., clare conſtat ex variis Pſalmis, ut XXXVII: 10, 13, 20. 28 & LXXII: 4. CI: 8. CIV: 35. CXXXII: 18. CXLV: 20. Sub Davide illi homines adeo erant formidabiles, & magna autoritate præditi, ut David ipſe ſibi ab iis metuerit, manusque ſuas ab iis abſtinuerit; quo etiam reſpicit, ubi illos cum ſpinis intractabilibus, quæ non niſi armata manu adiri poſſunt, comparat: hinc opus hoc Salomoni commiſit, 1 *Reg.* II. His homi-

nibus

nibus tanquam obſtaculis remotis, ſplendor domus Davidicæ in Salomone eo clarius eluceſcit quoque: quam diverſam & oppoſitam ſortem ipſe Salomo egregie obſervat ib. *v.* 33, 44, 45. Ad Meſſiæ Regnum ſi attendamus, luculenter hic depictum videmus ultimum & finale excidium Judæorum per Romanos. Illi tanquam ſpinæ intractabiles ſe demonſtrarunt, cum Meſſias in Regem exaltaretur, cui ſe ſubjicere noluerunt, ſed omnem moverunt lapidem, ut ejus Regnum ſubverterent, in improbitate & rebellione ſua contra eum obſtinati manſerunt, nec ullis mediis emendari aut in ordinem redigi potuerunt, ſed vi & armis reprimi & coërceri neceſſe habuerunt; qui proinde tanquam ſpinæ inutiles & noxiæ fulmine maledictionis Divinæ in ipſa ſua ſede, Cananæa nempe & ſpeciatim Hieroſolymis percuſſi eoque abſumti fuerunt, adeo ut memoria eorum tanquam populi Dei plane deleta ſit, nec Reipublicæ eorum ullum veſtigium remanſerit: a quo tempore Regnum Meſſiæ in ſplendore & gloria ſua magis conſpicuum eſſe cœpit. De quo cum Interpretes abunde expoſuerint, plura non addo. Illud adhuc obſervo, errare illos, qui vaticinium hoc ulterius adhuc, nempe ad hoſtes Regni Chriſti ſequentibus temporibus, extendunt: contrarium liquet ex iis,

quæ ſupra obſervavi: præterea Regnum illud hic in nativa ſua indole & gloria ac pacifica conditione, qua aliquando ſe conſpicuum præbebit, depingitur, ut ſupra dixi, adeo ut hoſtes illi ſeriorum temporum hic in cenſum non veniant. Si quis tamen, illos ſenſu penitiore hic includi, aut in judicio hoc in Judæos ſimul involvi judicia Dei in hoſtes ſequentium temporum, ſtatuere vellt, non magnopere refragrabor.

II.

JOA. CHRISTOPH. BUSING,

S. S. THEOL. DOCT. & PROF. BREMENSIS,

DISSERTATIO EXEGETICA.

DE

FONTE IN GRATIAM SIMSONIS MIRACULOSE A DEO PRODUCTO.

Ad Judic. XV. *comm.* 18, 19.

CONSPECTUS.

Deus Iſraëlitis opem tulit per Judices, & hoc ſæpè miraculis *probavit: quorum non ultimum eſt* productio novi fontis in gratiam Simſonis. §. 1. *Proponitur hiſtoria, quæ huic miraculo anſam dedit.* §. 2. *Propior occaſio conſideratur,* ſitis *nempe* Simſonis. §. 3. *Preces à Simſone ſitiente fuſæ.* § 4. *Has exaudivit Deus, aperiendo novum fontem.* §. 5. *Sen-*

tentia BOCHARTI , *aliorumque* , *putantium*, מכתש אשר בלחי *eſſe* dentem molarem, *vel alveolum*, *ipſius maxillæ aſini*, *exponitur*, §. 6. & *refutatur*. §. 7. לחי *hîc non eſt* maxilla , *ſed* locus , *ubi Philiſtæi cladem perpeſſi erant*, *ab illa maxilla*, *qua contra eos uſus erat Simſon*, לחי maxilla , *dictus*. §. 8. *Plerorumque Philologorum de voce* מכתש *cogitata*. §. 9. *Eſt*, *vel* locus contuſionis, *vel* inſtrumentum , quo contuſio fit: *quorum alterutrum* Prov. XXVII: 22. *locum habet*. §. 10. *In hoc noſtro* Judic. *loco autem* & Zeph. I: 11. inſtrumentum contuſorium *in cenſum venire nequit*: §. 11. *ſed* locus *intelligendus eſt*. *Non tamen in noſtro loco indicare videtur* locum *projectione maxillæ* contuſum , §. 12. *ſed* rupem , petram obtuſius ſe exſerentem , *quod pluribus probatur*. §. 13. *Quomodo* aquæ *ex hac rupe tanta copia a Deo productæ ſint*. §. 14. *Duravit hic fons ſequenti adhuc ævo*, §. 15. *Per noſtram explicationem non minuitur* miraculi magnitudo. §. 16.

§. 1.

Graviſſimæ fuere calamitates , quibus Deus ex juſto judicio punivit duræ cervicis populum, propter horrendam idololatriam , aliaque fœdiſſima peccata, quibus ſe poſt mortem Joſuæ commaculavit. Verum in omnibus illis hunc populum non plane à ſe abdicavit, ſed quoties ad eum in

ſua miſeria clamaverunt, iis excitavit Judices, qui eos *a manu hoſtium liberarent*; eumque in finem *fuit cum* his *Judicibus*, quo magnum hoc opus glorioſe perficere poſſent. *Judic.* II: 18. Patet hoc inprimis clariſſime ex tot *miraculis*, quæ per hos Judices, & in eorum gratiam patravit. Non ultimum inter hæc locum tenet *productio* illa *novi fontis* in loco deſerto & aquis carente, cujus liquore ſitientis *Simſonis* animam recreavit, ipſiusque vires, Philiſtæorum cæde exhauſtas, refecit. *Judic.* XV: 18. 19. Cujus miraculi hiſtoria cum non paucis difficultatibus prematur, & a multis perperam intellecta ſit, obſervationibus quibusdam illuſtrare juvabit.

§. 2.

Narraverat Scriptor ſacer in præcedentibus, quanta damna intulerit Simſon Philiſtæis, ad quæ ulciſcenda, hi bello aggreſſi ſunt Judæos, hosque coëgerunt, ut vinctum ipſis traderent Simſonem; ſed qui mox, vinculis ruptis, & inventa aſini maxilla, ingenti clade illos affecit, & mille viros ex iis proſtravit: quibus peractis, decantatoque epinicio, maxillam illam e manu ſua projecit, quæ huic loco nomen Ramathlechi, ſeu *excelſum maxillæ*, dedit. *comm.* 1-17. Refert. dein aliud miraculum, quod

Deus in gratiam Simſonis edidit, & quo novo documento comprobavit, ſe huic Heroi ſemper ſingulari ratione præſto eſſe. Verba Hiſtorici ſacri, quibus hanc rem complectitur, hæc ſunt *comm.* 18. 19.:

ויצמא מאד ויקרא אל־יהוה ויאמר אתה נתת
ביד־עבדך את־התשועה הגדלה הזאת ועתה
אמות בצמא ונפלתי ביד הערלים׃ ויבקע
אלהים את־המכתש אשר־בלחי ויצאו ממנו
מים וישת ותשב רוחו ויחי על־כן קרא שמה
עין הקורא אשר בלחי עד היום הזה׃

Tunc ſitiit valde (Simſon), *& invocavit Jehovam, dixitque: Tu dediſti in manum ſervi tui ſalutem hanc magnam, & nunc moriar ſiti, & cadam in manus præputiatorum iſtorum. Tunc ſidit Deus rupem, quæ eſt in Lechi, & prodierunt ex ea aquæ, bibitque; & rediit ſpiritus ipſius, & revixit: idcirco vocavit nomen ejus* (fontis) *fontem invocantis, qui eſt in Lechi, ad hunc diem usque.*

§. 3.

Occaſionem igitur huic miraculo dedit vehemens Simſonis *ſitis*, quæ eum compulit ad Deum calidiſſimis precibus fatigandum, ut ſibi in ultimo hoc vitæ diſcrimine

ſuo

ſuo auxilio ſubveniret *com.* 18. Ut hanc *ſitim* Simſoni *à Deo* immiſſam eſſe credamus, cum JOSEPHO *Antiq. Jud.* l. v. c. 8. §. 9. & AMBROS. *epiſt.* 20., & quidem *in pœnam* illius *arrogantiæ*, qua victoriam ſibi ipſi, ſuisque viribus adſcripſerit *com.* 16., nulla jubet ratio. Nimis ſtultus eſſe debuiſſet hic Heros, ſi hic Dei manum non agnoviſſet. Quin ſe re vera hoc agnoviſſe, ipſe clariſſime teſtatur verbis hujus *com.* 18.: TU DEDISTI *in manum ſervi tui* SALUTEM HANC MAGNAM. Et quid opus eſt, cauſam quærere extraordinariam, cum omnes hic adſint cauſæ, unde ſitis ordinario in ſummo gradu oritur. Quid mirum, fortiſſimum hunc Virum, poſtquam per aliquot horas corpus indeſinenter & graviſſime commoviſſet, & tanto conflictu, tantaque hoſtium ſtrage edita, fatigatus eſſet, ſupra modum incaluiſſe, & per immodicam exhalationem ita intus exſiccatum eſſe, ut vehementiori ſiti admodum torqueretur? Præſertim cum hæc omnia in regione calidiori, & de die, accidiſſent. Pluribus hanc materiam illuſtrat VOGLERUS *de rebus natural. & medicis, quarum in Scr. S. ſit mentio*, ad h. l.

§. IV.

Quum autem hanc ſitim reſtinguere non poſſet Simſon in loco deſerto, & aquis pe-

nitus deſtituto, ipſeque in ſummo vitæ periculo verſaretur, nihil reſtabat, niſi ut clamaret ad illum, qui eum jam toties miraculoſe conſervaverat. Hinc & *invocabat Jehovam* dicens: *Tu dediſti in manum ſervi tui ſalutem hanc magnam, aſt nunc moriar ſiti, & cadam in manus præputiatorum iſtorum.* Agnoſcit his verbis Hercules ille Iſraëlitarum, ſe victoriam a Philiſtæis reportatam non ſuis propriis debere viribus, ſed unice Deo omnipotenti, qui eum in finem, ut populo ſuo Iſraëli ſalutem adferret, illumque ab hoſtibus ſuis infenſiſſimis vindicaret, Simſonis vincula ruperat, animum heroicum ei inſpiraverat, ipſiusque manus incredibili robore armaverat; cum contra hoſtibus panicum terrorem injiceret, & omnem vim reſiſtendi iis adimeret: ut ipſe ita impune tantam eorum ſtragem edere potuerit. Hanc tamen victoriam nihil juvare poſſe conqueritur, quum ipſi nunc in loco arido, omnibusque aquis carente, *ſiti pereundum* ſit, cujus conſequens futurum eſſet, ut vel, viribus omnibus exhauſtis, moribundus, vel ſaltem mortuus, *incideret in manus* crudelium & profanorum illorum *hoſtium*, illisque ludibrio foret.

§. V.

§. 5.

Annuit his votis benigniſſimum Numen, & novum *fontem* in deſerto aperuit, cujus aquis fortiſſimus Heros recreatus, & in vita conſervatus eſt. Rem ſic enarrat ſacer Scriptor *comm.* 19.: *Tunc fidit Deus* המכתש אשר בלחי, *& prodierunt ex ea aquæ, bibitque &c.*

Ingens ſententiarum eſt divortium de vocibus obſcuriſſimis המכתש אשר בלחי, quomodo vertendæ & explicandæ ſint? Quod partim ex dubia hic loci vocis לחי ſignificatione, partim & præcipue ex incerta τȣ̃ מכתש, ter tantum in ſacro Codice occurrentis, notione oritur.

§. 6.

Vulgaris maxime eorum eſt ſententia, qui מכתש אשר בלחי per *dentem molarem*, vel per *alveolum*, *qui eſt in maxilla*, exponunt: voluntque, Deum ex dente quodam maxillæ aſini, qua contra Philiſtæos uſus erat Simſon, vel ex ejus alveolo, ex quo in certamine dens excuſſus erat, aquæ fontem produxiſſe. Audiamus, ab hac etiam parte ſtantem, ſummum BOCHARTUM, *Hieroz.* P. 1. l. 2. c. 15. col. 203. ubi, poſtquam varias

Interpretum expoſitiones recenſuerat, ſubjungit: " Dicam quod res eſt. Ut כתש eſt
„ τρίβειν, *terere*, *contundere*, ita מכתש eſſe
„ τριβάιαν, *mortarium*, tam certum eſt,
„ quam quod eſt certiſſimum. Id agno-
„ ſcunt Hebræi omnes. Et palam eſt ex
„ Prov. XXVII. v. 22. אם תכתוש את האויל
„ במכתש *ſi ſtultum contuderis in mortario.*
„ Theodotion ἐν ὅλμῳ· & Hieronymus, *in*
„ *pila*; quod idem eſt. Aliud eſt non mi-
„ nus certum, (quod hic notandum inpri-
„ mis, nec ab iis præteriri debuerat, qui
„ locum explicant, in quo verſamur,) nem-
„ pe dentium capſulas, ſeu alveolos, hoc
„ eſt, loculamenta maxillarum, in quibus
„ conduntur dentes, ὁλμίσκους, ſeu *morta-*
„ *riola*, nominari." Quod dein ex JUL. POLLUCIS *Onom.* l. II. c. 4. ſect. 21. & ex RUFI EPHESII, qui ſub Trajano vixit, *de corporis humani partium appellationibus* l. I. c. 8. probat, tandemque ex his omnibus concludit, המכתש אשר בלחי in ſacro Scriptore nihil aliud eſſe, quam *mortarium*, *quod in maxilla erat*; nempe dentium alveolum, vel alveolos in maxilla aſini. Quod denique Doctorum inter Judæos teſtimoniis ulterius confirmare ſtudet. Occurrit quoque objectioni. „ Si dicas, inquit, in maxillarum
„ aſini mortariolis nullam eſſe aquam, mul-
„ to minus tantam vim aquæ, ut inde ſedari

„ po-

„ potuerit *Samſonis* ſitis: ajo, in hoc ipſo
„ eſſe miraculum, quod ex aperta maxilla,
„ pro tabo, aut ſanguine, uberes aquæ ma-
„ naverint, idque ea virtute factum, qua
„ ex rupe aquæ eruperunt, & farina cre-
„ vit in hydria, & oleum in lecytho viduæ
„ Sareptanæ." Exiſtimat deinceps, aquam ex maxilla in terra projecta profluxiſſe quidem, credibile autem eſſe, quod Simſon illam reſumſerit, ut tam avide exoptatum liquorem exſugeret, quum vidit ex ea manare uberes aquas.

§. 7.

Sed quanta diligentia Vir incomparabilis hanc ſententiam poſt plures alios ornare ſtuduerit, hæc tamen aliis Viris Doctis placere non potuit, ſicut & jam antea ab aliis Interpretibus, Anglis nominatim & Belgis, Junio & Tremellio etiam, aliisque, rejecta eſt: reluctantibus licet plerumque pictoribus. Quod enim

1. Vocem מכתש attinet, illa quidem vi originis, de qua deinceps §. 9. ſq. *dentem molarem* ſatis commode exprimere poſſe videretur, ſi hæc ſignificatio alia præſidia haberet; magis autem adhuc de ipſius jure in *dentium alveolos* dubitare liceret, quæ notio nimis longe à vocis origine abit, & parum habet,

habet, quo ſe commendet, quanta etiam confidentia de ea loquatur BOCHARTUS, & quanto ſtudio ei aliquam ſpeciem conciliare ſtudeat.

2. Eo minus *alveolus dentis* hic in cenſum venit, quoniam in eum plane non quadrat verbum בקע *fidit*.

3. Non ita loquitur S. Scriptor, ut de *uno quodam dentium*, aut *alveolorum*, *maxillæ* loqui voluiſſe cenſeri queat. In hoc enim caſu dicere debuiſſet, ויבקע אלהים אחד ממכתשי הלחי *tunc fidit Deus unum e dentibus* (vel *alveolis dentium*) *maxillæ illius*: ut *Gen.* II: 21. ויקח אחת מצלעותיו *ſumſit unam e coſtis ejus*. Proponitur hic potius, & digito quaſi monſtrat illud מכתש, ut res quædam ſolitaria in לחי reperiunda; ויבקע אלהים את־המכתש אשר בלחי, *fidit Deus illud* MACHTESCH, *quod eſt in* LECHI: cum tamen in maxilla plures dentur *dentes*, pluraque *loculamenta*.

4. Recte jam obſervavit CLERICUS *in Comm. ad h. l.* & cum eo alii, refutari illam ſententiam ab ipſo Hiſtorico ſacro in ſeqq. quando ſubjungit: *Propterea vocavit nomen ejus* (fontis) FONTEM INVOCANTIS: *qui eſt* IN LECHI, AD HUNC DIEM USQUE. Hoc utique de fonte ex maxilla aſini orto nemo ſibi facile perſuadebit. Bene hac de re ratiocina-

cinatur JOH. STAGNEL *in Diſſ. de fonte Simſonis, Judic. XV.* 19. Londini Gothorum 1744. ventilata, §. 3. p. 12. 13. cujus verba, quoniam hæc Diſſ. in his oris rarior eſt, hic adſcribam. „ Quomodo vero hoc cum fonte, „ e maxilla, vel dente, fluente, conveni- „ at, haud facile eſt videre. Licet enim „ dentes molares, & maxillæ, adeo ſint „ duræ & condenſatæ materiæ, ut diu illæ- „ ſi poſſint à corruptione conſervari, ni- „ hilo tamen minus variis, talis fons mo- „ bilis, caſibus eſſet expoſitus fortuitis, qui- „ bus vel loco moveretur vel omnino tolle- „ retur, quippe qui nec a faucibus beſtia- „ rum, nec manibus hominum ſatis eſſet „ tutus. Nam quis quæſo talem puteum, „ migrationi aptum, multo ſudori, ſumtui- „ que parcentem, non expeteret? Vix cre- „ dere fas eſt, omnes illius ævi homines „ adeo fuiſſe religioni deditos, ut fontem „ hunc miraculoſum loco movere, vel ædi- „ bus inferre privatis, nefas putarent. Sit „ vero, quod ſuperſtitio quædam fontem „ privato liberaret uſu, ſuſpicamur tamen, „ illos in hanc potius incidere ſpeculatio- „ nem, ſe Deo præſtare officium debitum, „ ſi, ut ſacra ſacris adderentur, fontem „ hunc Tabernaculo adplicuiſſent, cujus „ aqua ſacerdotibus, ſacra miniſtrantibus, „ eſſet uſui, & ita facile loco ſuo cederet,

„ con-

„ contra & relationes & ipſius verba Spi-
„ ritus Sancti, quibus clariſſime patet, il-
„ lum ibi aliquandiu aquam ſtillaſſe. Sed
„ fugiunt forte ad omnipotentiam divinam,
„ qua fons productus loco ſuo conſerva-
„ tur. Non nego quidem, quin hoc re-
„ fugium ſit tutiſſimum, ſed an Deus ſem-
„ per id velit, quod poteſt, anſa nobis eſt
„ dubitandi, & qualis ſit argumentatio a
„ potentia ad actum, innotuit dudum."

Senſit etiam hanc difficultatem Vir magnus, atque idcirco rem hanc alio modo aggreſſus eſt, voluitque, hæc verba ita concipienda eſſe, *vocatum eſt nomen ejus*, FONS INVOCANTIS, QUI (fons) FUIT IN MAXILLA; *usque ad hunc diem.* Ut ſenſus non ſit, *fontem durare ad hunc diem*, ſed ita *vocari ad hunc diem*, nempe ab iis, qui hujus miraculi meminerunt. vid. Vir doctiſſ. *Hieroz. l. c. col.* 204. 205. Sed qui colores etiam ad hanc explicationem incruſtandam conquirantur, eam tamen admodum coactam & contortam eſſe, quilibet facile ſentit. Verum hac de re commodius in ſequentibus agetur.

5. Parum quoque favet denominatio עין הקורא *fons invocantis*, ſententiæ, quam refutamus: licet enim concedendum ſit, id quod BOCHARTUS obſervat, vocem *fontis* aliquando καταχρηστικῶς adhiberi de liquore

lar-

largiter alicunde profluente, ut cum *fontis lacrymarum*, aut *fontis ſanguinis*, fit mentio; hoc tamen negari nequit, עין *fontem*, ſtilo Scripturæ proprie dici *aquas*, *copioſe e terra promanantes*, nec ab hac ſignificatione in denominatione adeo ſolemni, & totius populi Iſraëlitici ore celebrata, ſine cauſa admodum ſontica recedendum eſſe.

§. 8.

Nos igitur calculum noſtrum adjungere non dubitamus iis, qui fontem illum, in gratiam Simſonis productum, non *in maxilla*, ſed in *loco*, ubi Philiſtæi cladem illam perpeſſi erant, ab inſtrumento, quo in prælio uſus erat Simſon, לחי *maxilla*, dicto, ortum exiſtimant. Scilicet in antecedentibus *com.* 17. jam narraverat ſacer Scriptor, locum, ubi Simſon abjecerat maxillam aſini, cujus ope tantum hoſtium numerum occiderat, dictum eſſe in hujus rei memoriam רמת לחי Ramath-lechi, i. e. *excelſus locus maxillæ*. Qui locus inde etiam per compendium, Hebræis valde uſitatum in nominibus propriis locorum compoſitis, (de quo conſulatur BOCHART. *Geogr. ſ.* P. I. l. 2. c. 24. & *Hieroz.* P. I. l. 2. c. 5. *col.* 200.) ſimpliciter לחי *Lechi* audit, ut per hiſtoricam anticipationem jam dicitur *comm.* 9. & 14.

Hic

Hic locus Lechi itaque in noſtro *com.* quo que intelligitur, quum Deus dicitur fidiſſ את־המכתש אשר־בלחי *machteſch illud*, *quod eſt in Lechi.* Neque hic iterum nos movet ſummi Viri auctoritas, qui in *Hieroz. l. c. col.* 265. monet. „ Aliud eſt בְּלֶחִי *belechi*; „ aliud בַּלֶּחִי *ballechi.* Illud eſſet, *in Lechi*, „ quomodo *verſ.* 14. עַד לֶחִי *ad Lechi*: „ hoc, *ἐν τῇ σιαγόνι*, *in maxilla*, quia בַּלֶּחִי „ *ballechi*, eſt pro בְּהַלֶּחִי *beballechi.*" Jam dudum enim obſervatum eſt a Philologis, non abſolute veram eſſe illam Grammaticorum regulam, quod *nomina propria* ה emphaticum non admittant: fit enim hoc ſæpiſſime a *nominibus locorum* & *fluviorum*, quod nec ipſe BOCHARTUS alibi diffitetur, quemadmodum & hæc ipſa vox, de qua nunc diſputatur, ſine dubio ut *nomen proprium loci* cum ה demonſtrativo jam occurrit *com.* 9.: *Philiſtæi caſtra poſuerunt in Judæa, & ſe diffuderunt* בַּלֶּחִי *in Lechi.* In loco poſtea ſic dicto, non utique *in maxilla.* conf. CLERICUS, *in Comment. ad hoc noſtrum com.* 19.

§. 9.

§. 9.

Verum præcipuus nodus adhuc ſolvendus ſupereſt, qui latet in voce מכתש. Tribus tantum vicibus hoc vocabulum in Sacris occurrit, hic loci ſcilicet, *Prov.* XXVII: 22. & *Zeph.* I: 11. Horum planiſſimus ille Proverbiorum locus viſus fuit, & aptus ad reliquis etiam lucem adfundendum, inprimis quum ipſa illa radix, ex qua hæc vox ſine dubio propullulavit, in eodem *comm.* reperiatur. Exſtant autem ibi hæc verba: אם־תכתוש את־האויל במכתש בתוך הריפות בעלי לא־תסור מעליו אולתו׃ quæ vulgo vertuntur: *Si contuderis ſtultum in mortario inter ptiſanas piſtillo, non tamen recedet ab eo ſtultitia ejus.* Videbant ſcilicet Viri Docti, כתש æque ac כתת apud Chaldæos & Syros eſſe *contundere, tundendo plagis afficere:* ſicut apud Arabes eadem fere ſignificatio quoque obtinet in cognata radice كدش, in qua tantum ת ex Dialecto in د ſeu ד tranſiit. conf. cel. SCHULTENSIUS *in Comm. ad Prov. l. c p.* 411. *col.* 1. Quum igitur hæc ſignificatio in illo Proverbiorum loco optime quoque quadraret, nihil etiam aptius eſſe videbatur, totique contextui magis conveniens, quam ſi מכתש per *mortarium*

exponeretur, *vas, in quo aliquid tundentibus plagis afficitur, & contunditur:* quod & cum forma vocis optime conſpirat. Hæc igitur ſignificatio cum extra omnem dubitationis aleam multis poſita videretur, duobus reliquis quoque ſacræ Scripturæ locis applicari cœpit. Scilicet cum in deſcriptione judicii, quo Deus animadverſurus eſſet in Judæam & Hieroſolymam, inter alia hæc quoque reperiantur verba *Zeph.* I: 11. *Ejulate* ישבי המכתש *habitatores machteſch: nam exciſus eſt totus populus mercaturæ deditus, exciſi ſunt omnes argentarii.* Ex his verbis apparet, מכתש hic certum quendam *locum inhabitationis* innuere. Hunc plerique fuiſſe putaverunt vallem, à forma concava, qua mortarium referebat, ſic appellatam: unde & JUNIUS & TREMELLIUS illa verba reddunt: *Ejulate habitatores cavi.* Simili modo rationes ut plurimum ſubduxerunt Interpretes in præſenti loco Judicum. Vel enim hanc vocem de *dente molari* explicaverunt, propter uſum, quem habet in comminuendis cibis; vel de *capſula* quadam *dentis excuſſi*, vocata in ſubſidium exigua illa convenientia inter talem cavitatem maxillæ & cavitatem mortarii: vel denique de *loco* quodam *cavo*, quod e. gr. JO. ORTLOBIUS facit in *Diſ.* inſerta HASÆI & IKENII *Theſ. Theol. Philol.* T. I. & agente *de fonte Simſonis prope maxil-*

lam,

lum, §. 12. *ſq.* p. 583. *ſq.* Quæ quam parum procedant, quivis facile ſentit, inprimis cum omnia clament, ut §. 7. vidimus, de maxilla aſini hic cogitandum non eſſe; nec ſatis tutum eſſe videatur, a nondum ſatis demonſtrata *mortarii* ſignificatione ad *terræ cavitatem* tranſire, attendendo ad ſolam *mortarii cavitatem*, quæ in hac voce vi originis plane in cenſum non venit: quippe quæ æque commode *vas non concavum*, ſed *tundendæ alicui rei inſerviens*, quale e. gr. eſt ſaxum, incus, vel ſimile quid, etiam *Prov.* l. c. indicare poteſt.

§. 10.

Ut igitur propius ad rem accedamus, obſervandum eſt, vocem מכתש vi formæ auctæ per præformantem מ duplicem ſignificatum habere poſſe, & indicare, vel *locum contuſionis*, & hinc pro re nata per metonymiam ipſam *contuſionem*, aut rem, in qua *contuſio* obſervanda venit; vel etiam *inſtrumentum, quo contuſio fit.* Ingens exemplorum numerus, quem Hebræa lingua cum cognatis Dialectis in tot vocabulis hac ratione formatis ſuppeditat, & in quibus recenſendis præ aliis copioſus eſt clar. SIMONIS *Arcan. form. nom. hebr. ling.* ſect. VII. c. 1. § 5. 6. veritatem hanc abunde probat. Facit hæc

obſervatio optionem difficilem inter duas principales doctorum Interpretum in loco *Prov.* XXVII: 22. ſententias: quarum altera, quæ numero Patronorum prævalet, מכתש per *mortarium*, ſ. vas in quo aliquid contunditur, עלי autem, quod cum eo conjungitur, per *piſtillum*, a continua inter tundendum *adſcenſione* ſic dictum, exponit; altera vero, quam præ aliis more ſuo, i. e. doctiſſime, ornavit magnus SCHULTENSIUS, hæc plane invertit, & per מכתש *piſtillum*, aliudve *inſtrumentum contuſorium*, per עלי vero *mortarium*, *incudem*, vel *lapidem*, *ſuper quo conteritur*, intelligit: quam τῶ עלי ſignificationem Arabibus non incognitam eſſe, ex *Camuſo* & TARAPHÆ *Moallek.* probat Vir Clariſſimus.

§. 11.

In reliquis duobus locis ſatis apertum eſſe videtur, *inſtrumentum contuſorium* in cenſum non venire. Inclinat quidem in hanc ſententiam aliquatenus laudatus modo Vir incomparabilis, dum p. 411. col. 2. obſervat, in loco *Judic.* XV: 19. לחי aliis eſſe *nomen appellativum*, aliis *proprium*: ſi appellativum, neceſſe eſſe, ut מכתש *dentem molarem* deſignet; ſi proprium, tunc ſe præferre *dentem molarem*, *qui in Lechi*, explicandum de *petra* ibidem ſe obtuſius exſerente. In altero loco

loco *Zeph.* I: 11. מכתש *petram* etiam indicare putat, & quidem *planiorem obtuſioremque*, a ſimilitudine *dentis molaris* nomen adeptam. Sed quum illa notio τϰ͂ מכתש, qua *dentem molarem* deſignaviſſe putatur, omni fundamento careat, quam primum per לחי in priori loco non *maxillam*, ſed locum לחי dictum intelligamus, perſpicere non poſſumus, quomodo hæc ita concepta tueri queant: licet illud, quod de *petra* monitum eſt, non omnino rejiciendum eſſe putemus, ut mox apparebit.

§. 12.

Supereſt itaque, ut de *loco contuſionis*, ſeu *loco contuſo*, vel *obtuſo*, hic cogitemus. Senſerunt hoc jam Viri doctiſſimi JOH. STAGNEL *in laud. Diſ.* §. 7. & JOH. SIMONIS *in Lex. man. Hebr. & Chald. ad h. v*, ubi מכתש in h. l Judic. exponunt per *locum* projectione maxillæ à Simſone *contuſum*. Quæ quidem ſententia valde eſſet ſpecioſa, ſi conſtructio, quæ hic reperitur, eam admitteret. Verum ſi hoc indicare voluiſſet ſacer Scriptor, ita ſcripſiſſet: *fidit Deus* את־המכתש לחי *locum contuſionis maxillæ*, vel את־המכתש אשר כתש לחי *locum contuſionis, quem contudit maxilla*, vel denique את־המכתש בלחי *lo-*

cium contuſum in Lechi; non vero, ut hic exſtat, את־המכתש אשר בלחי *locum contuſum, qui eſt*, vel erat, *in Lechi*. Qua phraſi digito quaſi monſtratur certus aliquis locus, ſua natura a regione circumjacente diſtinctus; & omnibus notus.

Similem vocis מכתש ſignificationem in loco *Zeph.* I: 11. quoque adoptavit P. ZORNIUS in pec. *Diſ.* inſerta *novis miſcell. Lipſ. Vol.* I. *P.* 4. *p.* 567. *ſq.*, dum (præeunte jam MATTH. HILLERO, laudato a JO. JAC. SEIFERHELDIO *in Diſ. de maxilla aſini*, ad Judic. XV: 15. §. 9. f. *Theſ. novi theol. philol.* IKENIANI *T.* I. *p.* 572.) ſuſpicatur, per illam intelligi certum quendam *locum* Hieroſolymæ, ubi habitabant *aurifabri* & *aromatarii*, continuo fere *malleis* ſuis & *piſtillis tundentes*. Quam ſententiam propius examinare noſtrum nunc non eſt.

§. 13.

Liceat nobis igitur & noſtram conjecturam, cum vix aliud quid hic exſpectandum videatur, de hac voce proferre. Videtur nobis omnino, ut jam cel. SCHULTENSIO §. XI. adducto, ſed alio intuitu, in mentem venit, מכתש fuiſſe *petram obtuſius ſe exſerentem*; vel *ruptem*: quæ apud Latinos ab antiquo *rupo*, pro *rumpo*, nomen adepta eſt, deno-

denotatque *petram præcipitem* & *præruptam* quaſi. Quum enim מכתש vi originis & formæ *locum obtuſum*, vel *contuſum*, & *contuſionibus vehementioribus fractum*, commode ſignificet, idem dicit, quod apud Latinos *locus præfractus*, *præruptus*, *præciſus*: *præruptus collis*, *præruptum ſaxum*, *abrupta montium*. Sunt præterea alia adhuc argumenta, quibus ſe hæc ſententia ulterius commendare poteſt.

1. Sic omnia in noſtro textu commodiſſime fluunt: *Fidit Deus rupem*, *quæ eſt in Lechi*, *& exierunt ex illa aquæ*, *&c.* Et facilius concipere poſſumus, quomodo *fons* ille *aquarum* ibi *adhuc tempore Scriptoris ſacri reperiri* potuerit.

2. Conſtat ex antecedentibus, *com* 17. fuiſſe in illa regione, ubi Simſon Philiſtæos trucidavit, *collem*, vel *loca excelſa & edita*, quoniam ille locus, ubi hoc contigit, nomen accepit *Ramath-Lechi*, i. e. *excelſum Lechi*, non ut clar. SIMONIS *Onomaſt. V. T. ſect.* II, *c.* 6. *p.* 110. autumat, *projectio maxillæ*. Nulla enim ratio ſuadet, ut רמה hic alium ſignificatum habeat ac in multis aliis locis in V. T. occurrentibus, quibus illud certiſſime ab *altitudine* datum eſt, ut ipſe Vir doctiſſ. *ibid. p.* 109. 110. agnoſcit, ut in *Rama* Benjaminitarum, nec non alia Ephraïmitarum urbe, quæ & *Ramathaim*

Tzophim audit, & in *Rama Mitzpæ*, urbe Gileaditidis, aliisque. Præſertim cum per ſe admodum veriſimile ſit, exercitum Philiſtæorum ex prudentia militari in colle, vel ad collem, unde latiſſimus proſpectus patebat, caſtra poſuiſſe, quum Iſraëlitas bello infeſtarent.

3. Accedit, quod eadem notio vocis מכתש *Zeph.* I: 11. non minus valde ſit appoſita, cum conſtet, Hieroſolymam variis collibus, montibus, rupibusque inædificatam & undique cinctam fuiſſe: quorum *collium com. præced.* 10. diſerta etiam fit mentio: *Et erit die illo, dictum Jehovæ, vox clamoris a porta piſcium, & ejulatus a parte ſecunda, & confractio magna* מהגבעות AB ILLIS COLLIBUS.

4. Nec plane negligendum eſt verbum בקע *fidit*, in noſtro textu ſe offerens, quod plerumque ſaltem de rebus durioribus adhibetur, & præciſe etiam de *rupe aquas effundente.* Jeſ. XLVIII: 21. ויבקע צור ויזבו מים *Fidit rupem, & profluxerunt aquæ.*

5. Nec parum roboris huic ſententiæ adfert conſenſus FL. JOSEPHI, cui hic locus optime notus eſſe potuit, hanc hiſtoriam ita enarrantis *Ant. Jud.* l. v. c. 8. §. 9. Πρὸς ὧν τὰς ἱκετείας ἐπικλασθεὶς ὁ Θεὸς πηγὴν κατά τινος πέτρας ἀνίησιν ἡδεῖαν καὶ πολλήν· ὅθεν ὁ Σαμψὼν ἐκάλει τὸ χωρίον Σιαγόνα, καὶ μέχρι τοῦ δεῦρο τοῦτο λέγεται. *His itaque precibus*

tibus Deus flexus, *fontem* E PETRA QUADAM *emittit dulcem & copioſum: unde Sampſon vocabat locum iſtum Maxillam*, *& ad hunc usque diem ita appellatur.*

6. Succenturiatur eidem alter teſtis non contemnendus, Paraphraſtes Chaldæus, qui verba textus noſtri ita exponit: ובזע יי ית כיפא די בלועא ונפקו מניה מיא *Et fidit Dominus* PETRAM, *quæ erat in Maxilla*, i. e. (ut jam recte monuit CLERICUS *in Comm. ad h. l.*) in loco a Simſone ſic dicto, (in *maxilla aſini* enim *petra* fruſtra quæreretur, & admodum contorta ſunt, quæ huic Paraphraſtæ affingit BOCHARTUS, a CLERICO jam ſatis caſtigatus,) *& effuſæ ſunt ex ea aquæ*.

§. 14.

Poſtquam igitur *fidiſſet Deus rupem*, juxta quam Simſon ſtabat, *in loco Lechi dicto*, ſubito ex illa fiſſura *profluxerunt aquæ*, quas ſiti fere confectus Heros impiger hauſit, ſeque *recreavit*, & quaſi *revixit*. Non opus eſt, ut has *aquas* ex nihilo creatas ſtatuamus, nam miracula non præter neceſſitatem ſunt multiplicanda: ſufficit, quod Deus vel rivulum alio loco delabentem illuc ſubito ſub terra derivaverit, vel eo ipſo momento aquæ, eo in loco jam dudum ſub terra collectæ, venam aperuerit, ex qua copioſe

 erum-

erumpere poſſet. conf. cl. JO. BERN. WIDEBURGIUS *in Matheſ. biblic. ſpecim.* III. *quæſt.* II.

§. 15.

Subjungit tandem Hiſtoricus ſacer: *Propterea vocavit* (ſive Simſon, ſive quilibet alius, hunc fontem videns,) *nomen ejus*, (*fontis* ſcilicet, quæ vox ex connexione ſubintelligenda eſt: conf. ORTLOBIUS in *Diſ. de fonte Simſonis prope maxillam*, §. 19. *Theſ.* IKENIANI T. I. p. 585.) עין הקורא אשר בלחי עד היום הזה *fontem invocantis*, *qui* (fons) *eſt in Lechi*, *ad hunc diem usque*. Qui hæc verba ſine præjudicio legit, facile ſentit, Scriptorem hic non loqui de proverbio inde orto, & ſerioribus etiam temporibus adhuc frequentato, poſtquam fons ille jamdudum deſierat, ut contendit BOCHARTUS, ſed revera fontem illum in Lechi adhuc exſtitiſſe temporibus Scriptoris ſacri, & hoc nomine FONTIS INVOCANTIS (Simſonis nempe) omnium ore celebratum eſſe. Vid. CLERICUS *in Comm. ad h. l.* Quin & ſerioribus longe temporibus hic fons adhuc aquas emiſit, ſi fides habenda eſt narrationibus HIERONYMI *in epitaphio Paulæ*, epiſt. 27. cap. 6. ANTONINI MARTYRIS *in Itinerario* & MICHAËLIS GLYCÆ (qui ſub Johanne Comneno circa annum 1120. vixit,) *in Annal.* Part. II. p. 164.

p. 164. quorum loca allata ſunt a Viris eruditiſſ. SAM. BOCHARTO *Hieroz. P.* 1. *l.* 2. *c.* 15. *col.* 205. & HADR. RELANDO *Palæſt. l.* III. *p.* 752. & 872. Hæc tamen aliis, &, ut verum fatear, forſan non immerito, ſuſpecta ſunt. Vid. MARCKIUS *in Diſ. ad h. l.* inſerta ipſius *Exercit. Scripturar.* §. 8.

Oppugnat quidem BOCHARTUS longiorem hujus fontis durationem his verbis: „ Cum „ non ſoleat Deus *miracula* exhibere, niſi „ quantum neceſſe eſt, poſtquam Samſon „ ſedavit ſitim, & abunde potus ex hoc „ loco diſceſſit, quorſum duraſſet miracu„ lum; & in loco fortaſſe deſerto, nullo „ inſpectante, e maxilla exſudaſſet inuti„ lis humor? *Mannam* e cœlo pluere ceſſa„ viſſe quis neſcit, cum veſci terræ frugi„ bus cœperunt Iſraëlitæ? *Joſ.* V: 12. Ne„ que *farinam* amplius *in hydria* creviſſe, „ neque *oleum in lecytho*, cum Deus dedit „ pluviam ſuper terram. 1 *Reg.* XVII: 14." Sed his recte ſequentia oppoſuit doctiſſ. STAGNEL *Diſ. laud.* §. 3. p. 15. „ Ad id „ quod attinet, quando dicit, *Deum non* „ *exhibere miracula, niſi quantum neceſſe eſt*, „ reſpondemus concedendo hujus aſſerti ve„ ritatem; ſed an conſervatio fontis fuerit „ miraculum, dubitamus prorſus. Nam „ miraculoſam ejus eruptionem e loco ſuo „ licet veneremur, & lubentes confiteamur, „ illam

„ illam factam eſſe vi, leges motuum ſu-
„ ſpendente, vel longe lateque ſuperante,
„ credimus tamen, legibus poſitis, quibus
„ continuam veheret aquam, miraculum
„ per fontem illum nobis non ulterius ſub-
„ miniſtrari. Haud aliter ac ficus *Marc.* XI:
„ 13. 14. 21. devotione Chriſti miraculoſe
„ arefacta, ad viam ſtans, foliis fructuque
„ denudata, nullum ulterius præbuit mira-
„ culum. Et quies ſolis ac lunæ, de qua
„ Scriptor ſacer *Joſ.* X. loquitur, miracu-
„ loſa quidem nobis coram oculis eo mo-
„ mento & tempore poſita eſt, quo in gra-
„ tiam Joſuæ curſum ſuum ſtiterunt in cœ-
„ lo; aſt vero legibus curſus continui a
„ Deo ſolutis, aliisque poſitis, ſecundum
„ quas ſtatum quietis ſemper conſervarent,
„ miraculum ceſſavit. Alias Solem iter
„ quotidianum metientem, in cœlo nobis
„ miraculum adhuc relinquere, eodem jure
„ contendimus. Nam eadem vi, qua cur-
„ ſus illius erat retardatus, in motum ite-
„ rum poneretur, immediata ſc. divina.
„ Leges enim in natura poſitæ, fruſtra heic
„ operam ſuam impendunt. His jam con-
„ tra Bochartum adplicatis, res eſt in vado.
„ Præterea dicit, *humorem* eſſe inutilem.
„ Sed licet Simſoni, in cujus favorem
„ prius erupit, non amplius eſſet uſui, aliis
„ tamen, & paſtoribus præcipue, greges

„ ſuos

„ ſuos in locis deſertis paſcentibus, magnum „ adferre commodum, & beſtiis, luſtra „ ſua ob ſitim prementem relinquentibus, „ quorum curam benigſſimum Numen agit „ gratioſiſſimam, ſolatium porrigere haud „ exiguum potuit, ut gratis aſſeruiſſe vide„ atur Bochartus, hunc fontem, poſt edi„ tum miraculum, fuiſſe inutilem.” conf. quoque MARCKIUS *l. c.* & ORTLOB. §. 22. p. 586.

§. 16.

Ne quis autem exiſtimet, per noſtram explicationem minui *miraculi* hujus *magnitudinem*, juvat adhuc adjicere obſervationem, qua paulo ante laud. Vir eruditus JOH. STAGNEL ſuam *Diſſ.* claudit §. 8. quam & noſtram facimus. „ Antequam labori noſtro „ colophonem addamus, illis breviter oc„ currere neceſſum ducimus, quibus forte „ explicatione noſtra multas partes de ma„ gnitudine hujus miraculi decedere, glo„ riæque divinæ tantum non accedere ſplen„ dorem, ac ſi dixerimus, maxillam ruptam „ fontem ſuavem evomuiſſe, viſum fuerit. „ Obſervandum eſt, nobis non licere ma„ gnitudinem miraculorum ex captu homi„ num metiri, ut omnia ea, quæ ſtupidum „ vulgus admirentur, ſub nomine *miraculo*„ *rum* veniant; tum enim infinita quovis

„ fere

„ fere die miracula producerentur, immo
„ multæ actiones mere humanæ, hoc nomi-
„ ne cenſerentur dignæ; ſed ſollicite inqui-
„ rendum eſt, an viribus edantur naturæ,
„ ut effectus ſint legum, a Deo antea poſita-
„ rum, vel vires has longe lateque ſuperent,
„ immediatum concurſum, & infinitam po-
„ tentiam divinam, cauſſam proximam,
„ agnoſcentes. Si illud, inter opera natu-
„ ræ, ut ut magna ſint, merito habentur,
„ ſi vero hoc, miraculorum numero certo
„ certius accenſentur. Cum ita ſit, tuto
„ concludimus, omnia miracula in ſe eſſe
„ æqualia, nam effectus ſunt unius ejuſ-
„ demque actus immdiate ſcilicet Divini,
„ cui originem ſuam neceſſario debent. Un-
„ de fruſtra dicitur, unum miraculum alte-
„ ro eſſe majus vel minus, & conſequen-
„ ter de miraculo nil decedere, ſive fons
„ de maxilla, ſeu dente, aut terra erupiſſe
„ ſtatuatur. Et præterea etiam exiſtima-
„ mus, non opus eſſe, ut miracula mira-
„ culis cumulemus, ſed dicimus cum BO-
„ CHARTO, *Deum non edere miracula, niſi*
„ *ſint neceſſaria.* Sufficit, finem a Deo in-
„ tentum, gloriam ſcilicet ipſius, & re-
„ creationem defatigati Simſonis, promo-
„ tum fuiſſe."

III.

III.

JOANNIS MEDHURST,

S. TH. D. & V. D. M. BREMENSIS.

DISSERTATIO

DE

VERA VOCIS ΔΙΑΘΗΚΗΣ IN SCRIPTURA SACRA SIGNIFICATIONE ET TESTAMENTIFICATIONE APUD HEBRÆOS.

§. I.

Ante multos jam annos in dubium vocavere Interpretes ſacrarum litterarum erudituiſſimi, quænam vera ſit vocis διαθήκης apud auctores V. & N. Teſtamenti, & inprimis in ſcriptis Paulinis virtus. Difficile reddiderunt ad hanc quæſtionem reſponſum loca quædam epiſtolæ Pauli ad Hebræos, cum alia ſuadeant διαθήκην de foedere interpretari, alia autem poſtulare videan-

deantur, ut vocem hancce Teſtamentum indigitare ſtatuamus. Difficiliorem fecere vocis illius dubiæ interpretationem viri celeberrimi nominis, & eruditionis haud vulgaris J. D. MICHAËLIS. & SEB. RAVIUS, quorum uterque iis ad ſtabiliendam ſententiam ſuam uſus eſt argumentis, ut eorum diſputatio pluribus ad veritatem propenſior videatur. Eſt autem operæ pretium perſcrutari, & pernoſcere hujus rei veritatem, cum alias loca maximi ponderis in obſcuro maneant, & imprimis Paulum Apoſtolum contra quosdam accuſatores defendere nequeamus.

§. 2.

Cum itaque hiſce permoti veram dictæ vocis ſignificationem perſcrutari, & detectam illam confirmare conſtituerimus, ante omnia docendum, quisnam ſit ſtatus controverſiæ, ſive quidnam ſit illud, de quo heic loci inter viros erudititiſſimos diſputatur? Fuere inter præſtantiſſimos S. litterarum interpretes, qui exiſtimaverunt vocem græcam διαθηκη, & Hebraicam ברית tam *foedus*, quam *Teſtamentum* deſignare, cujus ſententiæ præcipuum fundamentum videtur eſſe, quod ſine illa intelligi non poſſit, quo pacto Scriptores S. de re, quam dictæ voces indigitant,

gitant, ita ut fecere loqui potuerint. Quæritur itaque num recte ita ſentiant viri doctiſſimi? ſive, num voces illæ ſignificationem Teſtamenti includant, & indigitent foedus, quod rationem Teſtamenti habeat? Celeberrimus J. D. MICHAËLIS id dedit operam in *prolegomenis ad Sect. XI. Commentarii Peircii in epiſt. ad Hebr.*, ut doceat διαθήκην minime Teſtamentum ſed ſolummodo foedus denotare, & cauſam ſuam, quod fatendum eſt, tanto cum apparatu eruditionis haud vulgaris, eoque ſucceſſu egit, ut haud contemnendos etiam in eccleſia noſtra ſectatores nactus ſit, qui pro ipſius ſententia, tanquam pro aris, & focis pugnant. Sed non ſolum cum laudato viro egregio in arenam erit deſcendendum, qui contrariam propugnare conatur ſententiam, ſed ei quoque arma gerenda ſunt contra celeberrimum RAVIUM, inſigne illud decus Academiæ Ultrajectinæ, cujus ſub præſidio eſt defenſa *diſſertatio antiquaria de teſtamentifactione Hebræis veteribus ignota*, Trajecti ad Rhenum a. 1760. a doctiſſimo LEONARDO VAN WOLDE, illius auctore. Licet mirandum ſit præſtantiſſimum hunc diſſertatorem laudati MICHAËLIS ſcriptum non inſpexiſſe, negandum tamen non eſt, illum non modo inſignis eruditionis ſpecimen orbi litterato dediſſe, ſed & ſententiam viri illius celeberrimi veriſimiliorem

Bibl. Hagana Cl. II. F. III. Mm red-

reddidiſſe. Fatendum enim eſt, ſi nulla apud veteres Hebræos teſtamenta locum habuerunt, in partes eorum transeundum eſſe, qui negant διαθήκην & ברית virtutem habere Teſtamentum ſignificandi.

§. 3.

Quo autem ſcias quid ſentiam, & quam ſententiam in hac diſſertatione defendere aggrediar, non celandum eſſe puto me a partibus eorum ſtare, qui dicta verba tam fœdus, quam Teſtamentum, ſive fœdus quod teſtamenti inſtar habet, ſonare opinantur. Ut autem planum faciamus, hanc eſſe eorum in S. S. virtutem, primo loco examinanda ſunt quæ dicti viri celeberrimi pro ſententia ſua diſputaverunt, dein ex S. litteris eruenda ſunt, quæ dubiam illorum verborum ſignificationem illuſtrare, veramque confirmare poſſunt.

§. 4.

Cum autem cogitandum non ſit, διαθήκην teſtamenti ſignificationem ambitu ſuo complecti, ſi apud veteres Hebræos locum non habuerit ulla Teſtamenti factio, res ipſa poſtulat, ut omnibus aliis præmittamus examen diſſertationis antiquariæ, quam celeberr.

berr. RAVIUS præſidio ſuo tuitus eſt. Doctisſimus auctor hujus diſſertationis obſervavit *cap.* I. *in Notis* §. II. p. 5. ſubjectis, HENRICUM SPELMANNUM in Diſſertat. *de origine, & probatione teſtamentorum* jam docuiſſe, teſtamenta apud Hebræos in uſu non fuiſſe. Sed æque minus mihi, quam eruditiſſimo VAN WOLDE hanc diſſertationem inſpicere licuit. Nec hoc opus eſſe puto, cum ille omnia congeſſerit, & notaverit, quæ de illa materia contra communiorem opinionem dici poſſe exiſtimo.

§. 5.

Rectiſſime fecit eruditiſſimus diſſertator, dum inſtituendæ diſputationi præmiſit definitionem teſtamenti, quo ſcias, quidnam illud ſit, de quo poſtea agatur. Illud autem ipſi eſt; *ſolemnis declaratio voluntatis liberæ, qua quis jus & dominium, quod momento mortis habiturus eſt in bona, poſt mortem in eos, quos nominatim conſtituit hæredes, transferri cupit.* Juriſconſulti dijudicent, num quoad omnia ſe recte habeat illa definitio! Mihi ſaltem ſubobſcurus videtur terminus *ſolemnis declaratio*; non enim intelligo, quo pacto declaratio legitima, qua quis bonorum mortui hæres inſtituitur, non poſſit non eſſe ſolemnis. Hoc facit ut fere credam, illud *ſo-*

lemnis in definitione omitti poſſe. Sed c hac de re penes Jurisperitos judicium eſtc Conſultius duco definire Teſtamentum ver bis magni illius Jurisconſulti HEINECCII, qu in prælectionibus in HUG. GROTII *de Jur belli & pacis* l. II. c. 6. poſtquam GROTII definitionem refutaſſet, ita pergit: *Hinc rectius dixeris, teſtamentum eſſe ultimam voluntatem de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit.* Hic videmus haud contemnendo exemplo moniti, quemvis in ſcientia, cui innutritus, & in qua verſatus eſt, accuratius videre, & judicare quam alium, cui ſcientiæ illius interiora ſunt incognita. HEINECCIUS, juris naturæ apprime doctus, ſine dubio accuratius dicit quid ſit teſtamentum, quam philologus, licet inter ſuos haud ultimus, ſed forſitan Theologiæ dicatus. Hic docet teſtamentum eſſe *ſolemnem declarationem voluntatis liberæ*; Ille, *teſtamentum eſſe ultimam voluntatem.* Licet ſim Theologiæ addictus, nunc tamen luce conſummati Jureconſulti utens video, liberam voluntatem ad faciendum teſtamentum non ſufficere, ſed ultimam ad illud requiri, cum mutatione voluntatis ante mortem deſtruatur teſtamentum, ita ut deſinat eſſe, quod antea fuerat. Secundum doctiſſimum VAN WOLD agit teſtamentum tantummodo de bonorum poſt mortem dominio; Juris autem peritior

egre

egregius HEINECCIUS, tradit hominem per *ultimam voluntatem* declarare, *quod poſt mortem ſuam fieri velit.* Nam in teſtamentis etiam hæredibus certa officia de ſepultura ejus, qui teſtamentum fecit, de certis bonis diſtribuendis &c. præſcribi poſſunt. Si homini, qui non niſi primoribus labris jus naturæ & gentium guſtavit, licet interpretari verba ſummi illius ſcientiæ doctoris, dico laudatum HEINECCIUM, definiendo teſtamentum *voluntatem ultimam*, intellexiſſe voluntatem aliquo modo declaratam. Ejus autem imprimis adoptavi definitionem, quod illa ſufficit, ut vir doctiſſimus ipſe l. cit. notavit, ſi abſtrahas a jure civili, licet non ſufficiat ſi juxta illud docere velis, quid ſit teſtamentum. Namque ſi juxta jus civile veterum Hebræorum teſtamenti definitionem dare vellemus, cognitum nobis eſſe deberet, num illi præcepta juris de teſtamenti factione habuerint, vel qualia illa fuerint, id quod nosmet cum ignariſſimis ſcire fatemur.

§. 6.

Sed revertimur ad doctiſſimum VAN WOLDE id agentem, ut ipſe ſcribit, ut doceat *Hebræos omnem teſtamenti factionem plane ignoraſſe, in illud usque tempus, quo confuſio tribuum orta eſt, & gens Hebræa alienis moribus*

vivere incepit. §. 4. Antea monuerat in notis §. 11. ſubjectis, JO. SELDENUM in libro *de ſucceſſione in bona defuncti ſecundum leges Hebræorum ita ſcripſiſſe, ut quæ ſciſcunt hac de re Judæi, ipſe tantum collegerit, atque a Rabbinis adeo ſibi imponi paſſus fuerit, ut, quod hi de ſuo tempore ſcribunt, ille de antiquiſſimo adfirmare non dubitaverit.* Quod ad me, SELDENUM neque defendo, nec accuſo; hoc autem fatendum eſſe duco, mihi dudum, ut multis aliis diſplicuiſſe, ubi ſolo Rabbinorum ſuperſtruitur teſtimonio ſententia de rebus antiquiſſimis; qualis eſt teſtamenti factio veterum Hebræorum. Aliis poſtea utar argumentis ad probandam eorum ſententiam, quorum defenſionem ſuſcepi.

Citato autem §. 4. diſtinguitur inter teſtamentum, & aliam diſpoſitionem, quod utique faciendum eſſe nemo negabit; at vero credendum non eſt, quod ibi innuitur, omnes viros doctiſſimos hanc ſolummodo ob cauſam antiquiſſimis Hebræorum Teſtamenta tribuiſſe, quod ſibi perſuaſerint, vel perſuaderi ſiverint Hebræos de bonis ſuis diſpoſuiſſe. Quis crederet celeberrimum RELANDUM, IKENIUM, MILLIUM, NONNENIUM, alioſque celeberrimi nominis viros ignoraſſe non omnem de bonis diſpoſitionem Teſtamentum eſſe. Nos, qui eorum partibus nos adjungimus, poſtea eorum, quam adoptavimus ſententiam

longe

longe aliis, & fortioribus argumentis adſtruere allaboraturi ſumus.

§. 7.

Præmiſſis illis quæ dicta ſunt, accingit ſe eruditiſſimus diſſertator ad pugnandum contra illos, qui Teſtamenti factionem antiquis Hebræis uſitatam fuiſſe ſtatuerunt. Et quidem primum, quo utitur, telum ita ſe habet: *Hebræorum majores vetuſtiſſimos teſtamenta ignoraſſe, ante omnia docet altiſſimum ac perpetuum de iis in ſacro Codice ſilentium* §. V. At vero nonne hoc ipſum quod hic locum argumenti obtinet, nobisque opponitur, id eſt, de quo certamus? Nonne illi, qui Hebræis Teſtamenta aſſignant, hoc imprimis hanc ob cauſam faciunt, quod eorum mentio in Sacris litteris facta ſit? Illud argumentum tantummodo valet contra eos, qui ratione antiquitatum hebraicarum, ex ſolis Judæis ſapiunt, & nullo alio, niſi Rabbinorum teſtimonio nituntur. Reliqua, quæ de ultimis Jacobi verbis, ſeu vaticiniis obſervantur, nos non tangunt, cum iis Teſtamentum ineſſe nunquam opinati fuimus. Non autem ita lynceus ſum oculis ut videam, quare Moſi mentio Teſtamenti Jacobi fuiſſet injicienda, cum de ultimo illius vaticinio ageret. Quo enim nexu neceſſario

juncta ſunt vaticinia voluntatem Divinam aperientia cum Teſtamentis, ultimam noſtram voluntatem ſignificantibus? Hæc ſane toto coelo a ſe differunt, nec minori ſpatio, quin imo majori a ſe invicem ſunt disjuncta.

§. 8.

Commate VI. notatur *perpetuum quoque eſſe illud ſilentium* (de Teſtamentis) *in corpore legum Hebræarum.* Heic loci reſpondet iis, qui ſibi opponere poſſent dictas leges pertinere ad filios Iſraëlis, non autem ad ipſorum patres. Scil. monet *dudum obſervatum fuiſſe, quod ſi leges figuntur, quarum contrarium olim obtinuit, injici tum plerumque mentionem moris illius antiquitus obſervari ſoliti, cætera;* ſed quid hoc ad nos? Hactenus enim perſuaderi nobis haud patimur, Teſtamenti factionem inter res illas referendam eſſe, quarum contrarium in lege Moſaica prohibitum ſit, cum antea obtinuerint. Statuimus potius, cum hoc non ſit factum ratione Teſtamenti factionis, eam non minus poſt latam legem illam, quam præcedentibus temporibus licitam, & uſitatam fuiſſe. Sed *promulgavit Deus leges de ſucceſſione hereditaria, quæ uno quaſi ictu omnem teſtamenti factionem evertunt, quæque illi e diametro ſunt oppoſitæ, neque tamen ulla inſeritur mentio di-*

ſpoſi-

ſpoſitionis teſtamentariæ olim obtineri ſolitæ. Hoc loco ſufficiet negare quæ affirmantur de legibus ſucceſſionem hæreditariam determinantibus, quod illæ ſcilicet omnem Teſtamenti factionem evertant. Poſtea probaturi ſumus ſententiam noſtram, ubi occaſio offeretur examinandi, quæ præſtantiſſimus diſſertator ex legibus Moſaicis eruit, ut doceat ſe recte ratiocinatum eſſe.

§ 9.

Commate ſeptimo priſca gentis Hebrææ ſimplicitas argumenti loco eſt, veteres hæredibus bona ſua absque teſtamento reliquisſe. At vero qui inter alia conſiderat, queis cerimoniis Abrahamus & Jacobus foedera ſanciverint, quo pacto Jacobus iratum fratrem reconciliare ſtuduerit, quam blande veteres, quam benigne & accurate exceperint hoſpites, non ſane putabit adeo ſimplices fuiſſe eorum mores, ut a teſtamentis abhorruerint. Præterea non negat doctiſſimus VAN WOLDE, ut ſtatim apparebit, donationem inter vivos apud Hebræos locum habuiſſe, non autem intelligo, quare teſtamentum magis cum ſimplicitate morum pugnare credendum ſit; quam dictam donationem.

Sed eadem ſimplicitas, quam apud veteres Hebræos ſe detexiſſe putat, & apud reliquos populos deprehenditur. *Reſpondeo*, licet negari non poſſit magnam habere inter ſe morum, & rituum ſimilitudinem antiquos populos, fatendum tamen & in multis a ſe invicem differre, & hoſce laudare, quod apud alios pro indecoro, & turpi habetur, ut inter alios CORN. NEPOS docuit. Non igitur ſatis firmum eſt argumentum, quod a ſimplicitate veterum Germanorum, aliorumque pro ſententia doctiſſimi diſſertatoris ducitur, §. VIII.

§. 10.

Ex hiſce intelligi poteſt, num illa, quæ in medium protulerat, ſufficiant ad probandum *Hebræos antiquiſſimos teſtamentorum uſu plane caruiſſe*, ut affirmat §. IX. Eodem loco id agit, ut originem detegat contrariæ opinionis, quam oppugnare aggreſſus erat. Ortam illam eſſe opinatur *ex iterata teſtamenti in Thalmude mentione*, ſed ſupra jam monuimus, nos non Judæorum teſtimoniis, ſed longe aliis & quidem clarioribus, & firmioribus argumentis permotos eſſe ut credamus, quod heic loci negatur. Præterea adjungitur, ſententiam noſtram originem ducere *ex male intellecto, & expli-*

cito

cito diſponendi more Hebræis recepto, cujus quum hic illic in ſacro Codice deprehenderentur veſtigia, ſtatim is de teſtamenti factione fuit expoſitus. Exiſtimat vir juvenis præſtantiſſimus omnes, qui pro noſtra ſtant ſententia, in eam adductos eſſe, cum viderent Jacobum aliosque morti proximos convocatæ familiæ de rebus domeſticis, aliisque mandata dediſſe. Poſtea autem intelliget ſe maximo ductum eſſe errore, cum ejus ſententiæ alia argumenta oppoſituri ſumus, &, ne hac de re dubitet, declaramus fieri potuiſſe, & ſine dubio ſæpius factum eſſe, ut veteres, appropinquantem mortem expectantes, *bona ſua legitimis hæredibus ceſſerint, & per manus quaſi tradiderint*, ita ut iis *donatio* tribui poſſit, qualem JCti Romani *donationem inter vivos* appellant. Sed hoc non impedit, quo minus & teſtamenti factio Hebræis olim fuerit uſitata, quemadmodum hæc non modo ſed & ſimul dicta donatio apud plures populos eſt recepta.

Quæ §. X. de verbo נחל obſervantur, loco ſuo relinquimus, cum nobis non ſint contraria, exiſtimantibus latiorem eſſe hujus verbi ſignificationem, quam ut ex eo argumentum pro adſtruenda ſententia noſtra poſſit derivari.

Commate XI. deprehendimus nobiliſſimum diſputatorem noſtrum valde liberalem eſſe, dum

dum permittit nobis teſtamentum vocare, quod ipſi fuerat donatio inter vivos. Sed conſultum non ducimus ejus uti permiſſione, cum hoc fieri non velit niſi hac conditione, ut cum GROTIO teſtamentum dicamus eſſe: *alienationem bonorum in mortis eventum.* Fatemur quidem nos auſuros fuiſſe nunquam tanto viro, quantus in ſcientia ſua fuit GROTIUS, contradicere, niſi Juriſconſultus ille egregius HEINECCIUS nobis lucem accendiſſet clariſſimam. Hoc facit ut teſtamentum dicto modo definire nequeamus. At vero quis nobis probaverit veteres Hebræos eodem modo, ut poſtea Juriſconſulti Romani fecere, inter donationem dictam, & teſtamentum diſtinxiſſe? Quid! ſi HEINECCIUM ſequar (& quis Theologum culpaverit ratione rerum ad ſcientiam juris pertinentium illum ducem ſibi eligentem?) dicamque *teſtamentum eſſe ultimam voluntatem de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri velit!* An tum etiam per doctiſſimum VAN WOLDE licebit appellare teſtamentum, quod juxta ejus doctrinam nihil erat aliud niſi donatio inter vivos? Sed in hac re non inſiſto, cum ex ea non ſperem victoriam, ſed eam alia mihi via quærendam eſſe exiſtimem. Id autem agit ille §. XII. & ſequentibus usque ad finem capitis ut diruat, & evertat argumenta, quibus ſuperſtructa eſt ſententia de teſta-

teſtamenti factione Patriarchis uſitata. Sed cum nullum inter ea invenerimus, quod ad nos pertineat, noſtri non eſſe officii putamus examinare, quæ dicto loco ſunt diſputata.

§. 11.

Pergimus potius ad caput ſecundum diſſertationis, qua docere ſatagit præſtantiſſimus ejus auctor, teſtamenta apud Iſraëlitas non in uſu fuiſſe, nec potuiſſe locum habere, poſtquam terram promiſſam occupaſſent. Et quis hac de re dubitaret, cum Deus *unicuique tribui & tribus familiæ certam terræ portionem, ejusque certos terminos, ultra quos divagari nefas foret & religio, aſſignaverit? Lege hoc ipſum ſancivit Numer.* XXVI: 52-56. *collato Num.* XXXIII: 54. Certum & indubium eſt, quod heic loci de diviſione terræ promiſſæ affirmatur, ſed non æque certa, quæ ex ea elicitur, concluſio. Præmiſſis autem aliis ita pergit doctiſſ. diſſertator: *Hinc jam colligere haud eſt difficile, quum nullius portio quocunque prætextu, ſive nolente, ſive volente domino, invadi potuerit, nullam etiam potuiſſe portionis alienationem obtinere; ſi hoc, liquido conſtat nullum fuiſſe uſum diſpoſitionis, multo minus teſtamenti.* Sed ex lege Divina de dividenda per ſortem terra ita non ratio-

ratiocinatus fuiſſet, ſi illam recte inſpexiſſet. Illa namque de ſola terræ portione, Iſraëlitis per ſortem aſſignanda, agit, & ne verbulo quidem mentionem facit ædium, auri, argenti aliorumque, quorum ratione nullibi in lege Moſaïca alienatio ab hæredibus terræ fuit prohibita. Quemvis Iſraëlitam, non obſtante lege de diviſione terræ promiſſæ, talia pro lubitu inter ſuos dividere potuiſſe exemplum Joſaphati docet 2 *Chron.* XXI: 3., quod & ipſe eruditiſſimus agnoſcit diſſertator *cap.* II. §. XII. Ipſe quoque fatetur § XIII. reſpectu talium donationem inter vivos locum habere potuiſſe. Sed quæſo, ſi talis donatio non pugnat contra legem de diſtributione terræ, deque illius hæreditaria poſſeſſione, qua ratione affirmari poteſt illi legi teſtamenti factionem fuiſſe contrariam? Vendere poterat ædes ſuas, in urbe quadam exſtructas, quivis Iſraëlita, juxta legem Divinam *Levit.* XXV: 29, 30. Ponamus igitur fuiſſe e populo, qui præter terram, familiæ ſuæ relinquendam, poſſideret ædes in urbe, aurum, argentum, alia, nonne ille hæc omnia, ſalva lege dicta, amico ex aliena gente vel familia teſtamento legare potuit? Ex hiſce igitur manifeſtum eſt, allegata lege evinci non poſſe inter Iſraëlitas, occupata terra promiſſa, nullum diſpoſitionis, & imprimis teſtamenti uſum fuiſſe.

Hacte-

Hactenus igitur probatum non eſt Iſraëlitas ſimili modo impeditos fuiſſe, ne teſtamentum ſcriberent, quo veteres Lacedæmonii a teſtamenti factione revocati ſunt, de quibus PLUTARCHUS tradit, quod LYCURGUS hoc ipſis præceptum dederit, ut *ſortes hæreditatum retinerentur*, *& pater filio ſortem ſuam relinqueret*. LYCURGUS enim de ſorte generatim ſermonem fecit, Moſes autem ſolummodo de terra Iſraëlis hæreditaria, & ipſi a Deo, ſupremo terræ Domino, per ſortem danda, & a gentibus, & familiis non alienanda.

Licet autem præſtantiſſ. VAN WOLDE tantum tribuat argumento, quod a verbis dictæ legis duxerat, ut exiſtimet ſententiam de teſtamenti factione Iſraëlitarum per illud ſatis refutatam eſſe, robur tamen illi ex duabus aliis legibus addere conatur, & quidem ex iis, quæ filiam επικληρον, & bona Jubilæo reſtituenda ſpectant. §. III. ſq. Sed facilis eſt *reſponſio*. Utræque enim leges agunt de portione terræ, certæ familiæ per ſortem aſſignata, non autem de aliis bonis, quæ hic vel ille poſſideret, quæ legari potuiſſe ſtatuimus. Præterea ſi attenta mente conſideremus ſingularum legum contenta, videbimus illa nihil continere, quo ſententia noſtra everti poſſit. Prima illarum præcipit, quænam obſervanda ſint ratione

filiæ,

filiæ, cui pater moriens terram ſuam relinquebat poſſidendam. Sed inſpice legem, & videbis illam agere de terra, cujus hæres filia eſſet futura; & quot præterea Iſraëlitarum fuere millia, qui talem non habebant filiam, qui igitur lege illa non tenebantur?

Quod legem attinet de reſtitutione bonorum anno Jubilæo inſtituenda *Levit.* XXV: 10., illam ita accipit diſſertator eruditiſſ. ut putet hanc verborum ejus vim eſſe: nempe *unicuique hoc tempore ſcil. jubilæi dandam eſſe facultatem bona, quæ poſſederat, & unde quacunque demum via exciderat, recuperandi; unde ſapientiſſimus Legislator addidit, ne quid ita in perpetuum venderetur, ut aut redimi non poſſit, aut poſſeſſori præcideretur facultas ad id jubilæo redeundi. Neque hæc tantum*, ut addit ille, *de rebus majoris pretii, portione terræ, ceterisque rebus immobilibus, quæ tribui aut familiæ ex prima diviſione competebant, intelligenda, verum etiam de rebus minoribus; neque enim hic diſtinguitur inter res viliores & pretioſiores, ſed præcipitur ut, ſi quis paupertatis onere oppreſſus res quasdam ex ſua hæreditate (viles an pretioſas nihil refert) divendiſſet, neque iis redimendis erat, hæ venditionis jure non ulterius cederent emtori, quam in jubilæum usque.* Verba hæc licet prolixiora ſint, apponenda tamen mihi fuere, ne viderer, ſi opinionem aucto-

ris

ris meis expreſſiſſem verbis, illi aliquid affinxiſſe, quod ab ipſius mente eſſet alienum. Ita enim explicuit legem Moſis, ut ejus interpretatio locum ſuum tueri non poſſit, ſi Moſen ipſum legem ſuam, vel potius Dei, elucidantem audire velimus. Scil. Moſen legem de anno Jubilæo ferentem non alias res viles, aut pretioſas, ſed ſolam terram, quæ Iſraëlitis jure hæreditario obveneťat, reſpexiſſe, manifeſtum eſt ex iis, quæ Legislator elucidandæ illius legis gratia *com.* 23. *ſq.* adjunxit: *Terra itaque*, dixit, *non vendetur præciſe. Mea enim eſt terra: ſed peregrini, & inquilini* (eſtis) *vos Mecum, unde in univerſa terra poſſeſſionis veſtræ redemtionem dabitis terræ.* cætera. Notandum eſt ratione horum verborum, in iis ne verbulo quidem mentionem fieri utenſilium in ædibus neque pretioſiorum, neque viliorum; quare cogitandum eſt, Iſraëlitis vetitum non fuiſſe talia, licet a parentibus acceperint, vendere, quocunque modo libitum illis fuerit. Imprimis etiam notatu digna lex eſt, quam de vèndendis ædibus dedit ſupremus Legislator, quam reliquis adjunxiſſe videtur, quod ædes ad terram pertinere videantur. Et ante omnia ſententiam noſtram, quod lex de jubilæo ad ſolam terram, filiis a parentibus relictam, ſit reſtringenda, confirmare apta nata ſunt, quæ de ædibus in urbe ſunt

præcepta. Namque ædium extra urbem ſtructarum alia erat ratio, quod pro parte terræ hæreditariæ erant habendæ, ut Moſes in ſequentibus docuit.

Ita autem lex Divina de ædibus in urbe munita: *com.* 29. 30. *Quando autem vir vendiderit domum habitationis ſuæ in urbe muri, erit redemtio ejus usque dum complebitur annus venditionis ejus.* (Intra) *annum erit redemtio ejus. Quare ſi non redemta fuerit usque dum implebitur ipſi annus integer, conſtabit domus, quæ in urbe, cui murus, præciſe ementi eam in generationes ejus: Non exibit in jubilæo.* Sed non modo hiſce verbis docemur legem de jubilæo ſolam terram Iſraëlis ſpectare, verum ex iis etiam intelligi poteſt, ut ſupra jam monitum, Iſraëlitas bona ſua, excepta terra, genti aut familiæ per ſortem aſſignata, legare potuiſſe, quibuscunque voluerint. Si illa enim poterant vendere, quare non potuerunt legare? Si hoc iis licitum fuit ratione ædium in urbe muro cincta, quare putandum illud iisdem vetitum fuiſſe ratione poculorum aureorum, argenteorum, aliarumque rerum?

Vereor itaque ne fruſtra victoriam ſibi tribuat præſtantiſſimus Diſſertator §. V. Sed penes lectorem ſit judicium, num illius, ſive noſtra vera ſit dictarum Moſis legum interpretatio. Judicet etiam, qui noſtra ponderavit

ravit hactenus diſputata, num de induſtria cæcutiamus, cum iis, quæ dixit vir juvenis eruditiſſimus, perſuaderi nobis non patiamur: *expreſſis verbis vetitam eſſe omnem, quacunque via inſtitutam, hæreditatis alienationem.* Non opus eſt ut iis concluſiunculis, quæ ex hacce ſententia, cujus veritatem videre non poſſumus, derivavit, inhæreamus, cum pro demonſtrato in omnibus illis habetur, cujus contrarium nos probaſſe putamus, ſcil. leges Moſis hæreditarias de omnibus agere bonis, quæ Iſraëlitæ poſſiderent.

§. 12.

Jam putares bellum ad finem perductum eſſe, cum reportatam victoriam ſibi attribuerit pugnator acerrimus, qui arma gerit contra illos, qui communiorem de teſtamentis Iſraëlitarum defendunt, foventque ſententiam. Sed ne dicam illum minus fidere iis, quibus hactenus uſus eſt, argumentis, in ſubſidium cauſæ ſuæ nova profert, ut ſentiant quænam debellanda ſibi ſint, qui prioribus vinci ſe non patiuntur. *Sunt porro & alia*, dicit, *argumenta eandem theſin probantia, & teſtamenti uſum plane tollentia. Tulit Deus O. M. legem de ordine in adeunda hæreditate ſervando, qua ita huic rei proſpexit, ut nunquam alicui hæres deeſſe*

 poſſet,

poſſet, adeoque de ſucceſſione in bona defuncti nulla unquam oriri poſſet quæſtio: adeo præciſe enim determinat, quænam ſucceſſionis hæreditariæ foret ratio reſpectu graduum cognationis. Legitur illa Numer. XXVII. 8–11. vid. §. VI. Sed ſi occaſionem hujus præcepti conſiderare velis, patebit illud etiam non niſi de portione terræ promiſſæ, familiis in Iſraële per ſortem danda, agere. Filiæ ſcil. Zelophchadis acceſſerant ad Moſen, ad Eleäſarem ſacerdotem, ad principes, omnemque concionem ad oſtium tentorii conventus, dicebantque: *Pater noſter mortuus eſt in deſerto; nec fuit ille in medio concionis, quæ congregavit ſe contra Jehovam in concione Korachi, ſed in peccato ſuo mortuus eſt; filii autem non fuerunt illi. Quare ergo diminuetur nomen patris noſtri e medio familiæ ejus, ideo quod non ſit filius illi, da itaque nobis poſſeſſionem in medio fratrum patris noſtri com.* 2–4. Quæſo quidnam illud erat, quod a Moſe expectare poterant, quod precibus ſuis ab ipſo quærebant? Num erat aurum, argentum, veſtes? Quis non videt Moſen talia Zelophchadis filiabus dare non potuiſſe? Illæ etiam talia non petebant a Moſe; ſed potius *poſſeſſionem in medio fratrum patris ſui.* Nonne hoc ipſum, quod rogabant, ut ſibi daretur *poſſeſſio in medio fratrum patris ſui*, indigitabat ſe reſpicere partem in terra promiſſa? Per hanc

ſane,

ſane, non autem per aurum & argentum aliaque vel pretioſa, vel viliora, nominis memoria conſervari poterat. Denique ſi illæ cogitaſſent de auro, argento, aliisque a patre ſuo relictis, nonne tum eſſet ſtatuendum, illa aliis hæredibus fuiſſe tradita? Si autem id eveniſſet, nonne illis orandum fuiſſet, ut bona patris ſibi redderentur? Cum itaque hæc petitio filiarum Zelophchadis occaſionem præbuerit ferendæ legi de ſucceſſione in hæreditate, manifeſtum eſt legem illam æque ac priores, de quibus antea ſermo factus, de nulla alia hæreditate niſi quæ portionem terræ, filiis Iſraëlis per ſortem diſtribuendæ, ſpectat, agere. Igitur & hanc legem doctiſſ. Diſſertatorem minus juvare poſſe, quivis intelligit. Ne autem locus dubio relinquatur, nec dicant qui aliter ſentiunt, legem generatim hæreditatis mentionem facere, atque hanc ob cauſam ad omnia extendendam eſſe, quæ quid moriens hæredibus ſuis relinquat, nonnulla adjungenda ſunt, quæ ratione legis illius obſervavimus. Scilicet cum Moſes petitionem filiarum Zelophchadis ad Deum tuliſſet, hoc ipſi datum eſt reſponſum: *Juſtum filiæ Zelophchadis ſunt loquentes, dando dabis* (non, reddendo reddes) *poſſeſſionem hæreditatis in medio fratrum patris earum, facieſque tranſire hæreditatem patris earum ad ipſas. Ad filios*

Iſraëlis autem loqueris dicendo: Vir quando mortuus fuerit, nec filius illi, tranſire facietis hæreditatem ejus ad filiam ejus. cætera *com. 7. ſq.* Quis non videt Deum heic loci precibus filiârum Zelophchadis indulſiſſe, & adjunxiſſe præceptum, quid paribus oblatis occaſionibus fieri velit? Cum igitur poſſeſſio hæreditatis filiabus Zelophchadis juxta mandatum Divinum in medio fratrum patris ipſarum concedenda nulla ſit alia, quam futura poſſeſſio portionis in terra promiſſa, ſequitur legem illam de ſimili hæreditate, ſcil. partis terræ, quam ſine filio moriens pater relinquebat, accipiendam eſſe. Hac lege igitur nemo Iſraëlitarum conſtringebatur, quo minus teſtamentum conſcriberet, vel nuncuparet, & ædes in urbe munita, aurum, argentum, aliaque uxori, amicisve, quibuscunque vellet, legaret.

Cum itaque dirutum & everſum ſit fundamentum, cui Diſſertator erudítiſſ. varia ratiocinia §. VI. & VII. ſuperſtruxit, non opus eſt illa examinare, cum una cum fundamento ſuo corruant. Quæ autem ex JOSEPHO §. VIII. exhibet, non majoris ſunt momenti, quam reliqua argumenta, ſi Scriptor ille talem indigitavit hæreditatem, qualem dictas leges Divinas pro argumento habuiſſe oſtendimus, ut veriſimillimum nobis eſſe videtur. Sed non opus eſt ſenſum ver-

verborum JOSEPHI data opera indagare, cum teſtis ſit rerum Iſraëliticarum parum idoneus. vid. CARPZOVIUS *Crit. S. V. T. P.* III. *C.* VIII. *p.* 938. BUDDEUS *H. E. V. T. Proleg.* §. IX. *p.* 8. *ſq.* ZORNIUS in *proleg. ad* HECAT. ABDER. *p.* 3. GROTIUS *de J. B. & P.* *l.* III. *c.* 5. §. 2.

§. 13.

Iis potius, quæ hactenus diſputata ſunt, adjungere volumus, quod ſententiam noſtram de legibus hæreditariis in codice juris Divini Iſraëlitarum haud parum confirmare & contra omnes exceptiones tutam reddere aptum natum eſt. Scil ſi leges illæ ad omnia, quæ poſſidebant Iſraëlitæ, erant extendendæ, ſequitur licitum non fuiſſe Iſraëlitis aliquid de bonis ſuis dono dare, ſive remunerari auro, argento, aliisque rebus fidem, diligentiam, beneficia, ſervorum, amicorum, aliorumve. Sane inter omnes conſtat vi legum dictarum nefas fuiſſe Iſraëlitis, terram ſibi a parente relictam alteri, qui hæres legitimus non eſſet, donare. Sed quis crederet nulla ullius rei univerſo in populo dona locum habuiſſe? Manifeſtum itaque eſt leges hæreditarias tantummodo ad terram promiſſam, & juxta mandatum Dei per ſortem gentibus & familiis in Iſraële aſſignatam, referendas eſſe.

§. 14.

Nunc pergendum nobis eſſet ad perluſtranda argumenta, quibus uſi ſunt, qui in communiori manſere ſententia, quos refutare diſputantes aggreſſus eſt doctiſſ. VAN WOLDE; ſed avocat nos celeberrimus J. D. MICHAËLIS, qui audiendus eſt, antequam proferamus, quæ argumentis illis tantum in animo noſtro pondus addiderunt, ut permoti ſimus perſeverare in noſtra ſententia. Vir egregius, quo doceat vocem διαθήκην, quæ interpretatio eſt Hebraici בְּרִית, non teſtamentum, ſed potius foedus in Scriptura S. deſignare, viam ſibi parat oſtendendo Hebræis in uſu fuiſſe, ut *foedus inituri illudque jurejurando confirmaturi ſacrificium mactarent, ac diſſecarent, atque hac addita per ejus ſegmenta tranſirent imprecatione: qui foedus non ſervaverit, eadem illum, quæ hanc victimam, maneant.* in *Prolegom. ad Sect.* XI. *Comment.* PEIRCII: *in epiſt. ad Hebr.* §. II. Pergit autem §. III. ad illuſtrationem rei, obſervando eundem morem Græcis ac Latinis receptum fuiſſe, & hocce pereru-dite teſtimoniis haud contemnendis probavit. Ibidem confert cum dictis Romanorum, & Græcorum ceremoniis ſimiles Arabum Scytharumque mores. Quicunque

hæc

hæc conſiderat, de memorata ratione foedus confirmandi dubitare non poteſt, fatendumque eſt, quod Vir celeberrimus ſtatim ab initio commatis 3. affirmat, Paulum Apoſtolum in epiſtola ad Hebræos eo majori jure argumenta, & illuſtrationem ex illo more petere potuiſſe Hæc igitur omnia, & quæ ad elucidandam, & muniendam hanc ſententiam usque ad §. V. ſubjunguntur, non poſſumus non aſſenſu noſtro approbare; imprimis cum illa maxime probabilem reddant interpretationem vocis διαθηκη, qua ei ſignificationem foederis incluſam eſſe ſtatuitur.

§. 15.

Hactenus igitur idem cum Viro eruditisſimo & ſentimus, & dicimus. Cum autem poſtea probare ſatagit διαθηκην & ברית in Sacris litteris nihil aliud niſi foedus ſonare, & ratiocinium Apoſtoli in epiſtola ad Hebræos non aliam verborum illorum ſignificationem admittere, non poſſumus non in contrariam ſententiam facere diſceſſionem. Abhorret, & quidem jure merito, celeberrimus MICHAËLIS CLERICI inſtitutum Paulo impia affingentis manu non argumenta, ſed potius ſophismata hominis Helleniſtæ, in voce ambigua ludentis: Sed

non video, qua ratione Paulus hac liberari culpa poſſit, niſi ſtatuatur dictas voces hanc virtutem habere, ut deſignent foedus, quod rationem teſtamenti obtineat. Namque Apoſtolus cum de neceſſitate mortis Chriſti agit, eam ita probat, ut argumentum petat tam a foedere Dei cum Iſraëlitis inito, quam ab homine, qui teſtamentum facit, quod poſterius ita docturos nos ſuſcipimus, ut nullus ulli dubitationi locus relinquatur.

Ne autem quis exiſtimet, nosmet cum ſtatuamus ברית non excludere ſignificationem teſtamenti, *invita id facere etymologia, audacter etiam, cum ex nullo tabularum priſci foederis commate hic ſignificatus ſtabiliri poſſit*, ſequentia notanda ducimus. Sæpius in Scriptura Sacra aſſignatur Iſraëlitis hæreditas, imprimis terræ promiſſæ, quando ſermo eſt de foedere Dei, quod cum Iſraëlitis fecit. Paulus etiam in epiſtola ad *Galatas cap.* 3. ubi mentionem facit *com.* 17. foederis, διαθήκης, reſpicit foedus cum Abrahamo initum; in eodem autem ſermonis nexu loquitur etiam de hæreditate *com.* 18. Legitur quoque in S. S. phraſis, ſecare i. e. facere alicui ברית (διαθήκην) *Ezech.* 37: 26., ex qua intelligi poteſt, ברית præter foedus adhuc aliud quid ſignificare. Sic eſt manifeſtum celeberrimum ERNESTI, cujus nunquam ſatis admirari poſſum judicium

cium politiſſimum, & ſtupendam eruditionem, veritatem ipſam conſpexiſſe, dum monuit nos, ſi Paulum intelligere velimus in epiſtola ad *Hebræos cap.* 9 ratiocinantem, non de foedere Germanico, ſed potius Hebraico debere cogitare, de foedere, quod aſſignet hominibus magnum aliquod bonum certa quadam ratione, & præſtitis quibusdam conditionibus condonandum. Sic me mentem Viri præſtantiſſimi expreſſiſſe puto, infra autem legere poteris verba ejus germanice concepta, ne ſuſpiceris me deliberato conſilio in ſententia ejus aliquid mutaſſe. (*a*) Hoc pacto videmus quomodo fieri potuerit, ut ſcriptores Sacri filios Dei conſiderarent ut hæredes vi fœderis, διαθήκης, cum iis facti. Ab hoc ſi receſſeris, qua ratione dici poſſet, eos, qui fœdus cum Deo junxerunt, ejus hæredes eſſe? Quo modo fœdus, quale eſt vel veterum Latinorum, vel Arabum, vel hodiernorum Germanorum cauſſa eſſe poſſet, ut de hæreditate

(*a*) Man muſs nur nicht den deutſchen Bund/ ſondern den Hebræiſchen ברית nach der Idée in gedanken haben/ der in der Religion nichts als eine beſtimmung eines groſſen Gutes für die menſchen unter einer gewiſſen Vorſchrift und ordnung bedeütet/ und ſo bedarf es aller anderen Künſteleyen in dieſer ſtelle nicht. *Theologiſche Bibliotheek* T. IV. n. 10.

ditate Dei gloriaremur? Sic patet Pauli ſyllogismum non quatuor terminorum morbo laborare, cum διαθηκην fœdus, quod teſtamenti habet rationem, Hebræorum oculis ſubjiciat, & ita ratiocinetur ut neceſſitatem mortis Chriſti, argumentis a Teſtamentifactione petitis, probet.

Ex hiſce igitur eſt perſpicuum, locum ſuum tueri non poſſe quæ clariſſ. MICHAËLIS aliis pro adſtruenda ſententia ſua præmiſit argumentis. Sic autem ille: *Apoſtolus probandi ſtudio Moſis illud dictum Exod* XXIV; 8. *citat, in quo διαθηκη ſine dubio fœdus eſt.* Recte, ſed non fœdus Germanicum, at vero Hæbræum, Divinumque, cum pactis noſtris non quoad omnia comparandum. *Aut ergo ipſe de fœdere loquitur; aut Moſen non recte intellexit: aut male argumentatus eſt.* Ipſe (Paulus) de fœdere loquitur, ſed non de Germanico, de Hebræo autem ad Hebræos ſcribens ſermonem facit. Rectiſſime intellexit Moſen de fœdere agentem, quod hæredes conſtituebat Iſraëlitas. Optime igitur argumentatus eſt, argumentum ducens ex eo, quod fœderi inhærebat teſtamento ſimile. Paucis interjectis, quæ non refutamus, quod veritatem contineant nobis cognitam, nec cauſæ noſtræ nocentem, dicit Vir egregius: *Supereſt ut fœderis ſignificatum teneamus.* Utique tenendus eſt ſignificatus fœderis, ſed

He-

Hebræi, Divini. Secundo loco obſervat διαθεμενον, & διαθηκης μεσιτην eſſe unum eundemque, quod ſane negari non poteſt. Hiſce autem demonſtratis quærit, quisnam ſit Teſtamenti mediator? Exclamat: nomen illud Jureconſultis barbarum ſane, atque inauditum! Sed mirumne hoc eſt, cum multa Hebræorum noſtris hominibus barbara & inaudita ſint, & nos non de Germanico, vel Romano teſtamento agamus? Oſtendemus autem Viro celeberrimo mediatorem Teſtamenti, & apparebit non opus eſſe nobis in opprobrium bonarum litterarum Paulo teſtem teſtamentis adhibendum obtrudere. Scil. cum Chriſtus ab Apoſtolo appelletur διαθεμενος, & μεσιτης διαθηκης ſine dubio reſpicit ille ad Moſen, qui erat μεσιτης, Mediator antiqui fœderis, qui & de ſe ipſo affirmabat ſe facere fœdus cum Iſraëlitis, coram Jehovah ſtantibus *Deut.* XXIX: 13. Si igitur fœdus illud, quod teſtamenti inſtar habuit, feriit, non modo μεσιτης fœderis, vel teſtamenti, ſed & διαθεμενος dici poterat. Multo magis autem Chriſtus, cujus ille fuit imago.

Sequitur aliud argumentum, quod a verbis Pauli in *epiſt.* ad *Hebr.* IX: 14, 15. ducitur. Διαθηκη *nempe a Paulo commemorata ſive ſancitur, ſive vim & auctoritatem accipit ex morte mediatoris v.* 14, 15. *Quod ſi quis ad*

teſta-

teſtamentum transferat, is quidem, quomodo rationem reddere ſententiæ ſuæ poſſit, videat. Teſtatoris, non mediatoris aut ſponſoris, mors teſtamento auctoritatem addit. Sed hic habemus ejusmodi Mediatorem, qui affirmare poterat ſe ipſum feciſſe teſtamentum, & hanc ob cauſam dicere poſſumus, quod Teſtamentum ipſius ex ejus morte vim acceperit. At vero, *mors cum profuſione ſanguinis, & ſupplicio conjuncta excludit reos jure teſtandi.* Hoc autem de fœderali teſtamento Hebræorum nullo àrgumento probatum eſt, & præterea cogitandum, ejusmodi teſtamentum ſi Divinum ſit, humano teſtamento non quoad omnia poſſe ſimile eſſe, ſed ſufficere ſi ratione illius adſit teſtator, cujus morte teſtamentum ſanciatur. Phraſis autem, ſanguis teſtamenti, derivata eſt a ſanguine, quo fœdus Sinaïticum eſt ſancitum, ut præſignificaretur novum Teſtamentum fœderale ſanguine pretioſiori ſanciendum eſſe. *Jam vero quis Novi teſtamenti teſtator mortuus eſt?* Reſpondeo Chriſtus? cujus typus Moſes erat, qui auſus eſt dicere ſe fœdus, quod teſtamenti rationem habebat, feciſſe, qui ſanguinem fudit ſacrificiorum ad ſanciendum fœdus, quemadmodum & Aharon una cum ſacrificiis ſuis Chriſtum moriturum adumbravit. Corruunt igitur mole ſua, quæ ultimo loco notavit

Vir

Vir celeberrimus, dicens: *Si hoc teſtamentum novum, ſcire cupiam, quodnam fuerit vetus? Moſaïcum vero! reſpondebis. Quis ergo ejus teſtator? Deus? Is quidem mori non poteſt? Victimæ ſeu jumenta ſacrificanda? Beatum ergo te jumentornm heredem!* Reſpondeo non Dei loco, ſed Moſis potius, qui illud fecit teſtamentum, mactanda erant ſacrificia, quo depingeretur Mediator Novi teſtamenti, qui teſtameutum ſuum ſanguine ſuo confirmare debuit. Num igitur Iſraëlitæ, ob hanc imaginem ſacrificiorum, dicendi erant hæredes jumentorum? Nihil amplius addo niſi hocce: quod heic loci appareat multa dici poſſe de Hebræorum teſtamento & fœdere, quæ aliter ſe habent in aliis gentibus; Namque in re ſeria ludendum aut jocandum non puto.

Aliam venerandus BRUCKER ingreſſus eſt viam ad ſolvendum dubium illud, quod celeberr. MICHAËLIS communiori διαθηκης explicationi oppoſuit, a quatuor Syllogiſmi Paulini terminis derivatum. Exiſtimat *commata* 16. & 17. *cap* IX. *epiſt. ad Hebr.* parentheſi includenda eſſe. Sed fatendum mihi eſt illa, quæ locis illis dicta ſunt, tam arctis reliquo ſermoni juncta eſſe vinculis, ut ab illis non poſſint divelli. Nec intelligo, ſi ſola verba *comm.* 16. 17. de teſta-

teſtamento eſſent accipienda, quid Apoſto lum permoverit illa ſermoni ſuo innectere.

§. 16.

Quæ hactenus diſputata ſunt haud parum lucis & firmamenti accipient, ſi docuerimus teſtamenta a moribus Hebræorum aliena non fuiſſe, & Paulum in epiſtola ad Hebræos de tali foedere ſermonem feciſſe, ex quo ut teſtamento argumenta ducere potuerit. Et hoc nunc præſtandum nobis eſſe puto. Teſtamenta vero Hebræis jam tempore Jacobi, qui & Iſraël appellatus eſt, in uſu fuiſſe manifeſtum eſt ex loco *Geneſ.* XLVIII: 21. 22. quo & celeberr. IKENIUS noſter ad probandam veterum Hebræorum teſtamenti factionem uſus eſt. Ad argumentum autem, ex hoc ſumtum loco, ſatis leviter reſpondet *doctiſſ.* VAN WOLDE *diſſert. cit.* §. XI. ibi non niſi donationem inter vivos adinveniri. Sed eodem jure dicere poſſum, Jacobum ibi non ſcripſiſſe ſed nuncupaſſe teſtamentum; & quis unquam probavit aut docere poterit, veteres Hebræos non æque ac Romanos teſtamentum nuncupaſſe. At vero accuratius inſpectis & penſitatis verbis Moſaicis, vidimus illa alium fundere ſenſum, & quidem talem, quo ſententia eruditiſſimi

ditiſſimi Diſſertatoris labefactari & everti poterit. Ita autem Moſes: *Tandem dixit Iſraël ad Joſephum: Ecce ego* (ſum) *moriens, ſed erit Deus vobiſcum, & reducet vos ad terram patrum veſtrorum. Ego vero dedi tibi partem unam præ fratribus tuis, quam accepi e manu Emoræi gladio meo, & arcu meo.* Probe notandum, Jacobum affirmare ſe *dediſſe* Joſepho partem terræ, Emoræo ereptæ, non autem ſe nunc dare illam; Hoc enim ſignificare ſi voluiſſet, dicendum ipſi fuiſſet אני נותן לך. Certiorem itaque fecit Joſephum de re aliqua, quæ eum latebat, & quam ipſe illo abſente peregerat. Declaravit autem hoc pacto Patriarcha mox moriturus filio ſuo Joſepho, abſentibus ejus fratribus, fore ut ipſi major obtingat hæreditas. Nonne igitur ad veritatis ſpeciem proxime accedit, Iſraëlem reliquos filios ſuos celaſſe, quod Joſephum hæredem terræ armis ſuis occupatæ inſtituerit? Ex hiſce autem intelligere eſt Iſraëlem ſcripſiſſe teſtamentum, eoque Joſepho dictam terram legaſſe: Alius enim dandi illi terram modus, his in circumſtantiis excogitari non poteſt.

Omittimus loca, quibus mentio facta eſt de morientibus, qui familiæ ſuæ præcepta dedere: negare enim non poſſumus ex iis argumentum ſatis firmum pro ſententia

noſtra probanda elici non poſſe. Offert autem ſe nobis locus 2 *Chron.* XXI: 3., qui negatam Hebræis reſtituit teſtamentifactionem, licet alio ab eruditiſſimo VAN WOLDE §. XII. convertatur. Iterum conſultum ducimus ipſa Scripturæ exhibere verba, quo eo melius dijudicari poſſit, quid ex iis fluat. Narratur ibi *comm.* 2. fratres fuiſſe Jehoramo, filios Jehoſchaphati Aſarjah, & Jechiël, alios; & de hiſce adjungitur, *quibus dedit pater eorum dona magna, quoad argentum, & quoad aurum, & quoad pretioſa, cum urbibus munitis in Jehudah; ſed regnum dedit Jehoramo, quod hic primogenitus eſſet.* com. 3.

Nemo facile in dubium vocaverit, hoc loco indigitari Jehoſhaphatum voluntatem ſuam ultimam aperuiſſe de iis, quæ poſſidebat, bonis, poſt mortem ſuam dividendis. Quare autem hanc declarationem teſtamentum appellare non licet? ſive nuncupaverit, ſive ſcripſerit illud Jehoſchaphatus? licet veriſimilius ac probabilius ſit, Regem illud ſcripſiſſe, quo eo certius ſcirent filii, quantum auri, & argenti pondus, quænam pretioſa, & denique quasnam civitates quivis eorum hæreditaturus eſſet. Sed phraſis in annalibus Sacris dandi dona, cum non dicatur illa teſtamento data eſſe, impedimento fuit Diſſertatori præſtantiſſimo, quo

minus

minus illa de teſtamento accipere potuerit. Sed recordari nos oportet illa non Latine, ſed Hebraice eſſe ſcripta, & antea jam oſtenſum eſſe, phraſin *dandi*, teſtamentifactionem in hiſtoria Iſraëlis Patriarchæ ſignificare, ut ſupra eſt probatum. Sed *per teſtamentum plerumque de univerſis bonis diſponitur, at ſi hic teſtamenti ulla ratio eſt habenda, parum admodum fuit filiorum Joſaphati regis patrimonium, ipſique Regi res utique fuit anguſta domi.* Quod primo loco dicitur aliquid ponderis haberet, ſi certum eſſet *ſemper* & *apud omnes populos*, teſtamenta de univerſis bonis eſſe facta. At vero dum affirmatur *plerumque* hoc fieri, reſpondere poſſumus, Jehoſchaphatum ad illos pertinere, qui communiorem teſtamentum componendi morem ſecuti non ſunt. Sufficit enim nobis, ſi teſtamentum ſcripſerit Rex ille. Non opus autem eſt, ut hac utamur ſententiæ noſtræ defenſione. Quomodo enim probari poterit teſtamenta plerumque hæreditatem omnium bonorum determinare? Nonne potius de teſtamentis Principum cogitandum eſt, illa tantummodo de talibus agere, qualia Jehoſchaphatum filiis ſuis dediſſe in hiſtoria Sacra affirmatur. Quod de parvo filiorum Regis illius *patrimonio* adjicitur, illud noſtræ non nocere poteſt ſententiæ; permultos enim in terris eſſe

 credo

credo Principes, qui ejusmodi *patrimonio* eſſent contenti, nec unquam quererentur, Patri ſuo *rem anguſtam domi* fuiſſe, ſi ſibi aurum, argentum, alia pretioſa, & præterea urbes munitas relinqueret. Nihil itaque, quantum video, reliquum eſt, quod nos impediat, quo minus ſtatuamus Jehoſchaphatum revera ſcripſiſſe teſtamentum, deque eo verba hiſtoriæ Sacræ accipienda eſſe.

Sed reliquum eſt graviſſimum & firmiſſimum argumentum, quo imprimis confirmari poteſt, quod hactenus de teſtamentis Hebræorum docuimus. Exhibent illud nobis verba Pauli in *Epiſt. ad Hebr. c.* IX: 16. 17. Mirandum ſane eſt doctiſſimum VAN WOLDE adeo levi armatura uſum eſſe contra illos, qui arma petunt ex hoc loco contra illam, quam defendit ſententiam §. XIII. Agnoſcit in principio obſervationis ſuæ ad hæc verba, *hic eſſe manifeſtam teſtamenti mentionem.* Quam vere hoc dixerit, & quam remotum illud ſit ab omni dubio, ſtatim oſtenſuri ſumus. Sed neſcio quid mali ominis Eum permoverit ut caute incederet, & adderet, quod *ingens hic inter eruditos de uſu & ſenſu vocis* διαϑήκη *ſit diſceptatio.* Nos autem hanc diſceptationem non potuiſſe de ſententia noſtra movere, nec illam cauſæ noſtræ obeſſe, po-

ſtea

ſtea manifeſtum reddetur. In metu fuiſſe videtur Diſputator eruditiſſimus, ne vincant illi, qui exiſtimant Pauli verba de teſtamento accipienda eſſe; hanc ob cauſam monet, Paulum *eo ſcripſiſſe tempore, quo jam apud Judæos teſtamenti factio invaleſcere pedetentim occepit*, atque adeo ad illud tanquam Judæis cognitum, & uſitatum potuiſſe adludere. Hic iterum videtur admittere, Paulum de teſtamento ſermonem facere, ſed hoc ipſum ſententiam ipſius frangere aptum natum eſt. Nexus enim ſermonis Paulini docet quam clariſſime, ipſum non alluſiſſe ad rem novam, *ad teſtamentifactionem, quæ tunc temporis apud Judæos invaleſcere occeperit*, ſed eum potius reſpexiſſe ad teſtamenta, antiquis jam temporibus uſitata Hebræis. Namque intellexit ille διαθήκην, qualis eſt in verbis Jeremiæ, ex quibus argumenta ſumſit pro confirmanda, quam Hebræis propoſuit, doctrina. Intellexit διαθήκην, qualem in verbis legis Moſaïcæ deprehendimus, quæ allegavit Apoſtolus. Facile autem patet quidnam ex hiſce ſequatur, ſi illa probare poterimus. Nihil autem hoc ipſo facilius præſtare poſſumus. Ex verbis Jeremiæ, quibus nova promittitur διαθήκη, hanc Paulus elicit concluſionem, διαθήκην olim factam jam veterem, & fini proximam eſſe

cap. 8. com. 8–13., ſequente capite oſtendit Chriſtum eſſe Mediatorum διαθήκης novæ, de qua ſcil. vaticinatus erat Jeremias com. 15. Poſtquam monuerat teſtamentum διαθήκην tum demum vim habere, quando mortuus eſt, qui illud fecit, com. 16, 17., uno halitu pergit loquendo de priori, com. 18. ſq. Obſervandum eſt, hoc loco Paulum non dicere prius vel primum teſtamentum, ſed omittere vocem teſtamentum vel διαθήκην, ex quo manifeſtum, verba com. 18. & ſq. arctiſſimo nexu juncta eſſe cum præcedentibus, id quod planum facit, διαθήκην in toto hoc ratiocinio Paulino ejusdem eſſe ſignificationis. Si igitur certum & indubium, διαθήκην com. 16 & 17. denotare teſtamentum, & docti ſumus, ſimul quoque patet, διαθήκην teſtamentum jam Moſis tempore in uſu fuiſſe, & Iſraëlitis innotuiſſe. Dum autem prioris διαθήκης mentionem facit com. 18., ſine dubio reſpexit verba Jeremiæ, in quibus de vetere & novo erat actum. Sic videmus cauſæ ſuæ minus conſuluiſſe doctiſſimum VAN WOLDE, dum largitus eſt nobis, διαθήκην com. 16., 17. teſtamentum ſignificare. Ab omni autem veritatis ſpecie abhorreret, ſi diceremus Paulum ad Hebræos, in Canaane & imprimis Hieroſolymis degentes, litteras exarantem Græcorum potius, quam Hebræorum mores ſpectaſſe.

ctaſſe. Hiſce obſervatis docendum nobis erit, διαθηκην citatis locis, nempe *com.* 16, 17. teſtamentum deſignare, quo ſimul pateſcat teſtamentifactionem Hebræam nepotibus Heberis ab antiquis temporibus in uſu fuiſſe. Pro noſtra militat ſententia, vel illam ſaltem a veritatis ſpecie commendare poteſt, quod negare non poſſunt contrariæ ſententiæ patroni, illa Pauli verba οπου διαθηκη, θανατον αναγκη φερεσθαι του διαθεμενου, de teſtamento commode explicari poſſe. Vidimus jam, quid ratione horum verborum nobis largitus ſit laudatus ſæpius VAN WOLDE. Doctiſſimus PEIRCIUS, cujus ſententiam adoptavit, & pro virili defendit celeberrimus J D. MICHAËLIS, fatetur in commentario ad dicta Pauli loca: *verſus illos a reliqua avulſos oratione ſi legas, pronum tibi eſſe de teſtamento cogitare, atque* διαθεμενον *intelligere teſtatorem.* Quæ ipſum autem revocant quo minus illud ſtatuat, illa ſupra jam examinavimus; ſufficiet igitur ſi probaverimus Paulum de nulla alia re, niſi de teſtamento intelligendum eſſe. Hoc autem patebit, ſi conſideremus quæ Paulus de re illa, quam διαθηκην appellavit, monuit, & ab Hebræis voluit conſiderari. Οπου γαρ διαθηκη, ait, θανατον αναγκη φερεσθαι του διαθεμενου. Διαθηκη γαρ επι νεκροις βεβαια, επει μη ποτε ισχυει οτε ζη ο διαθεμενος. Inter omnes conſtat, δια-

θήκην hanc habere apud Græcos virtutem, ut teſtamentum denotet, & διαθέμενον deſignare poſſe facientem teſtamentum. Cum igitur teſtamentum vim nanciſcatur a morte teſtatoris, quis dubitare poteſt Paulum de teſtamento ſermonem facere, cum διαθήκης, & διαθεμένου mentionem faciat, & affirmet ubi ſit διαθήκη, neceſſarium eſſe ut mors διαθεμένου intercedat, cum διαθήκη non valeat, quando vivit ὁ διαθέμενος. Quid enim? Num fœdus vim non habet, dum vivit, qui illud feriit? Sed ultimum hocce jam oppoſuit ſententiæ celeberr. MICHAËLIS vir limatiſſimi judicii ERNESTI l. c. Adjungimus, ſi Paulus non de teſtamento, ſed de fœdere intelligi voluit, quare τοῦ διαθεμένου, & non τῶν διαθεμένων mentionem fecit? Si itaque Paulus *com.* 16, 17. de teſtamento egit, ſequitur ברית & διαθήκην in locis ab ipſo allegatis & teſtamenti ſignificationem includere, ut ex ſupra diſputatis manifeſtum eſt, atque adeo verba illa denotare fœdus, quod teſtamenti rationem habuit.

§. 17.

Haud parum roboris ſententiæ noſtræ, ברית ejusmodi foedus ſignificare, quod hæreditatis fundamentum eſt, addere poterit, ſi obſervemus coronidis loco, Syros & Arabes

bes eodem verbo foedus, & teſtamentum exprimere. Syris ܕܝܬܩܐ eſt foedus, & teſtamentum, & Arabibus idem ſonat ميثاق. In *Alcorano* verbum hocce *foedus* ſignat, quod cauſa fuit Iſraëlitis adeundi hæreditatem, quale foedus vim teſtamenti habere affirmandum eſt. Operæ pretium eſt ipſa inſpicere *Alcorani* verba, quo eo rectius de re præſenti poſſit judicari, quare & illa poſuimus: ورثوا الكتاب يأخذون عرض هذا الادني ويقولون سيغفر لنا وان يأتهم عرض مثله يأخذوه الم يوخذ عليهم ميثاق الكتاب الا يقولوا علي الله الا الحق ودرسوا ما فيه والدار الاخرة خير للذين يتقون. *Et hæredes evaſerant libri* (i. e. Pentateuchi, de Judæis ſermo eſt) *ſumunt viliora hæc bona* (i. e. temporalia) *dicuntque: ignoſcetur nobis. Si autem veniant ad eos bona illis ſimilia, ſumunt illa. Nonne ſancito foedere libri* (ſeu Pentateuchi) *obſtricti ſunt, ut nihil de Deo affirmarent, niſi quod verum eſt?* Et ſtudioſe legerunt id quod in *illo eſt. Sed manſio poſtrema* (Paradiſus) *melior eſt iis, qui* (Deum) *timent.* (nempe quam terrena, quibus Iſraëlitæ inhiabant) *cap.* 7. *com.* 168. Iſraëli-

tæ a MOHAMMEDE ut tales conſiderantur, qui Deo foedere juncti ſunt: Inſtrumentum foederis eſt liber, cujus mentionem facit, (nempe Pentateuchus.) Hujus foederis virtute hæreditatis variorum bonorum jus adepti Iſraëlitæ. Scilicet hæredes evaſerunt libri (Pentateuchi), quibus verbis non modo docetur, librum illum eis traditum a parentibus eſſe ut hæreditatem, ſed eos quoque partem habere in hæreditate bonorum, quæ in libro illo promiſſa ſunt. Hoc ex iis, quæ ſequuntur, ſine negotio intelligi poteſt, cum MOHAMMED terrena hujus vitæ bona paradiſo, in quo poſt mortem degunt fideles, opponat, & Iſraëlitas redarguat, quod bonis hujus mundi inhiarent, futuram paradiſi felicitatem, licet longe major & uberior ſit, ſusque deque habentes. Quo autem eo clarius pateret, culpandos eſſe hanc ob cauſam Iſraëlitas, affirmat propheta perſonatus, foedus libri (Pentateuchi) cum iis initum eſſe, & optimam eſſe paradiſi habitationem. Hæc non cohærerent, niſi ſtatuiſſet MOHAMMED foedus libri jus hæreditatis bonorum tam terreſtrium, quam coeleſtium Iſraëlitis conceſſiſſe, eosque per illud obſtrictos fuiſſe, ut ante omnia id agerent, quo hæreditatem paradiſi adirent, nec dicerent de Deo nil niſi verum, ſc. illum fideles ſervos bo-

nis

nis inprimis coeleſtibus eſſe remuneraturum. MOHAMMEDEM autem bona foederis ut hæreditatem conſideraſſe, manifeſtum eſt etiam ex iis, quæ allegato *Alcor. cap. com.* 133. dicta ſunt. Ibi enim Deus loquens affirmat, Iſraëlitis ſe partes terræ (Canaanis) orientales & occidentales jure poſſidendas hæreditario dediſſe. Ex hiſce ſequitur, MOHAMMEDEM de tali cogitaſſe foedere, quod vim teſtamenti haberet, quale eſt illud, quod vocem ברית ſignare docuimus.

IV.

TH. VIEROOT,

V. D. M. WORMER.

DISSERTATIO EXEGETICO THEOLOGICA AD ACT. II: 1.

Qua inquiritur, num ii, qui die Pentecoſtis Spiritum Sanctum accepere, peregrinasque locuti ſunt linguas, ad Societatem duodecim Apoſtolorum ſint conſtringendi, num vero ad totum Coetum diſcipulorum referendi.

§. I.

Maxima cum animi voluptate legi, atque perlegi *Doctiſſimi* JAC. SCHEPPII *de prærogativis Apoſtolorum diſſertationem*, *in faſciculo tertio Claſſis primæ Bibliothecæ Bremenſis Novæ*, ordine ſecundam, in

in qua mihi perplacebat, magna eruditione auctorem eas prærogativas validiſſimis probare rationibus non ſolum, ſed & ſimul Petri, ejusque prætenſi ſucceſſoris, Pontificis Romani, vicariatum funditus evertere.

§. 2.

Hoc unum duntaxat mihi ad primum intuitum, atque repetitam attentiorem relectionem obſtabat, quod quartam Apoſtolorum prærogativam, meo judicio, exiguo fateor! nimis extenderit, ponendo §. 9. τὸς δώδεκα omnes ab ipſo Chriſto immediate accepiſſe *dona miraculorum*, id eſt, uti cuique liquet ex collatione §. 10. (*a*) *extraordinaria*

(*a*) Ne quis putet me hic SCHEPPIO imputare, quod l. c. non legitur, obſervet quæſo lector, doctiſſimnm virum § 9. linea 3. *dona miraculorum* vocare, quæ linea 13, 14. *dona miraculoſa* ipſi audiunt, atque §. 10. concedere, Cornelio exterisque cum eo congregatis Ethnicis dona miraculorum (quamvis non immediate) fuiſſe impertita. Cum jam *Act.* X & XI. nullum recenſeatur *donum miraculorum*, vel *miraculoſum*, præter quod incidit in eos Spiritus Sanctus, & ii hoc imbuti linguis locuti ſunt peregrinis, & Deum magnificarunt, hoc luce meridiana clarius, me judice, demonſtrat, auctorem per *dona miraculorum* intelligere, ſaltem iis adnumerare donum Spiritus Sancti cum aptitudine loquendi linguis peregrinis.

dinaria Spiritus Sancti dona, quibus repleti, ad obſtupefactionem congregatæ multitudinis Judæorum, multa cum parrheſia cœperunt ἀποφθέγγεσθαι μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, excluſis aliis, qui ad coetum τῶν *centum & viginti circiter*, memoratum *Act.* I: 15., pertinebant.

§. 3.

Non ita me renitentem habuiſſet præſtantiſſimus SCHEPPIUS, ſi hanc Apoſtolorum prærogativam cum aliqua propoſuiſſet terminatione; ſcilicet ſolos Apoſtolos dona miraculorum illa accepiſſe cum ἐξουσίᾳ communicandi ea cum aliis, ſive per χειροθεσίαν, ſive alio quocunque modo; atque adeo quintam feciſſet quartam, omiſſa hacce quarta, cum facile ex iis, quæ ad firmandam quintam illam prærogativam adfert, induci me patiar ad illi adſentiendum. Aſt vero quartam illam indeterminate ab eo urgeri, & quintam per legitimam deduci conſequentiam, non ægre ferre nequeo; quippe qui jam multis ab hinc annis, ad minimum triginta quinque, (ſcripſi enim hanc diſſertationem eodem anno 1761., quo ea SCHEPPII fuit edita) quibus ſacro functus fui miniſterio, eorum adhæſi opinioni, qui (*b*), me judice, validiſſimis nixi fundamen-

(*b*) Hoſce auctores citare operæ pretium non duxi, ſupponens eos hanc diſſertationem legentibus notos ſatis eſſe.

damentis, ſtatuunt, non in Apoſtolos ſolos, ſed in centum & viginti circiter diſcipulos, de quibus fit mentio *Act.* I: 15., dona miraculoſa die Pentecoſtis effuſa eſſe, ſicque in me locum habet illud: *quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem teſta diu.*

§. 4.

Sed ad rem: Video *Venerandum Scheppium* magno adparatu §. 9, 10. ſeſe opponere huic noſtræ, a magni nominis viris receptæ vulgari interpretationi, variaque haud contemnenda pro ſua ſententia adferre argumenta: verum enim vero ea tanti non ſunt momenti, ut nos plane perſuadeant in ejus tranſire ſententiam, quod ut pateat, in iis examinandis nobis nunc eſt inhærendum.

§. 5.

1. Scilicet primo loco ponit SCHEPPIUS, a Luca referri *Act.* I: 2, 8., non niſi Apoſtolis promiſſionem de donis Spiritus Sancti abundantius impertiendis factam eſſe & repetitam. Aſt, pace Viri Docti, mihi liceat ad hoc argumentum diluendum animadvertere, eum hæc de Luca adſeverantem quam maxime falli: Etenim *Act.* I: 2. Lucas quidem refert Je-

ſum

ſum Apoſtolis per Spiritum Sanctum præcepta dediſſe, non autem, Eum non niſi Apoſtolis promiſſionem de donis Spiritus Sancti &c. feciſſe, & verſu 5. quidem inquit Lucas, Apoſtolis (ſi modo per eos, qui *vſ.* 6. dicuntur, cum conveniſſent, rogaſſe, num regnum hodie Iſraëli reſtauraret, ſoli Apoſtoli ſunt intelligendi) promiſiſſe Jeſum, eos recepturos δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ᾽ αὐτοὺς, nequaquam eos ſolos recepturos. (c)

2. Secundo loco dicit, Lucam eodem Capite *vſ.* 13. referre, eos, puta Apoſtolos *ſolos* ἐν τῷ ὑπερῴῳ adfuiſſe, atque *vſ.* 14. ὁμοθυμαδὸν in precibus perſeveraſſe. Verum enim vero, hic memoria fefellit doctiſſimum SCHEPPICM, nam refert quidem *Lucas vſ* 13., hoice, ſcilicet Apoſtolos, fuiſſe καταμένοντες ἐν ὑπερῴῳ, non autem *Solos*, multo minus eos *ſolos* ὁμοθυμαδὸν in precibus perſeveraſſe *vſ.* 14. Contra, in hoc opere conjunctas ſibi habuiſſe mulieres atque fratres, diſerte declarat, quum addit, σὺν γυναιξὶ, καὶ Μαρίᾳ, καὶ σὺν τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ.

3.

(c) Probat itaque locus ille quidem Apoſtolis a Jeſu eſſe factam promiſſionem, non tamen eam eſſe denegatam aliis.

3. Tertio loco provocat ad *Act.* II: 1. coll. *Cap.* I: 26. dicitque: cum regulæ hermeneuticæ doceant prædicato, quod ſubjecto deſtituitur, ſubjectum proxime antecedens adſciscendum eſſe, niſi aliquid obſtet, ſequi *Act.* II: 1. eos, qui ὁμοθυμαδὸν fuere ἐπὶ τὸ αὐτὸ, fuiſſe Apoſtolos, quia proxime antecedens verſiculus ultimus Capitis primi de undecim Apoſtolis fecit mentionem, quibus ut duodecimus adjunctus erat Matthias. Aſt vero hæc ratio, ſi quid ego videam, non eſt magni valoris: quippe quæ majori jure pro noſtra militat ſententia. Docent enim regulæ hermeneuticæ, prædicato, quod ſubjecto deſtituitur, ſubjectum proxime antecedens, non quidem illud, cujus in tranſitu, ſed cujus ex profeſſo facta eſt mentio, adſciſcendum eſſe. Hinc *Hebr.* VII: 2. prædicatum illud, ſuo deſtitutum ſubjecto, πρῶτον μὲν ἑρμηνευόμενος βασιλεὺς δικαιοσύνης, non ad Abrahamum, de quo ut in tranſitu, ſed ad Melchizedecum, de quo ex profeſſo *vſ.* 1. agitur, refertur. Cuique vero contextum *Act.* I: 15 – ad finem inſpicienti liquebit, ibidem ex profeſſo agi de cœtu 120 credentium, quem Petrus fuit adlocutus, & ex cujus medio Matthias ad Apoſtolatum fuit electus,

Bibl. Hagana Cl. II. F. III. Pp cum

ſum Apoſtolis per Spiritum Sanctum præcepta dediſſe, non autem, Eum non niſi Apoſtolis promiſſionem de donis Spiritus Sancti &c. feciſſe, & *verſu* 8. quidem inquit Lucas, Apoſtolis (ſi modo per eos, qui *vſ.* 6. dicuntur, cum conveniſſent, rogaſſe, num regnum hodie Iſraëli reſtauraret, ſoli Apoſtoli ſunt intelligendi) promiſiſſe Jeſum, eos recepturos δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' αὐτούς, nequaquam eos *ſolos* recepturos. (*c*)

2. Secundo loco dicit, Lucam eodem *Capite vſ.* 13. referre, eos, puta Apoſtolos *ſolos* ἐν τῷ ὑπερῴῳ adfuiſſe, atque *vſ.* 14. ὁμοθυμαδὸν in precibus perſeveraſſe. Verum enim vero, hic memoria fefellit doctiſſimum SCHEPPIUM, nam refert quidem *Lucas vſ* 13., hoſce, ſcilicet Apoſtolos, fuiſſe καταμένοντες τὸ ὑπερῷον, non autem *Solos*, multo minus eos *ſolos* ὁμοθυμαδὸν in precibus perſeveraſſe *vſ.* 14. Contra, in hoc opere conjunctas ſibi habuiſſe mulieres atque fratres, diſerte declarat, quum addit, σὺν γυναιξὶ, καὶ Μαρίᾳ, καὶ σὺν τοῖς ἀδελφοῖς αὐτοῦ.

3.

(*c*) Probat itaque locus ille quidem Apoſtolis a Jeſu eſſe factam promiſſionem, non tamen eam eſſe denegatam aliis.

3. Tertio loco provocat ad *Act.* II: 1. coll. *Cap.* I: 26. dicitque: cum regulæ hermeneuticæ doceant prædicato, quod ſubjecto deſtituitur, ſubjectum proxime antecedens adſciſcendum eſſe, niſi aliquid obſtet, ſequi *Act.* II: 1. eos, qui ὁμοθυμαδὸν fuere ἐπὶ τὸ αὐτὸ, fuiſſe Apoſtolos, quia proxime antecedens verſiculus ultimus Capitis primi de undecim Apoſtolis fecit mentionem, quibus ut duodecimus adjunctus erat Matthias. Aſt vero hæc ratio, ſi quid ego videam, non eſt magni valoris: quippe quæ majori jure pro noſtra militat ſententia. Docent enim regulæ hermeneuticæ, prædicato, quod ſubjecto deſtituitur, ſubjectum proxime antecedens, non quidem illud, cujus in tranſitu, ſed cujus ex profeſſo facta eſt mentio, adſciſcendum eſſe. Hinc *Hebr.* VII: 2. prædicatum illud, ſuo deſtitutum ſubjecto, πρῶτον μὲν ἑρμηνευόμενος βασιλεὺς δικαιοσύνης, non ad Abrahamum, de quo ut in tranſitu, ſed ad Melchizedecum, de quo ex profeſſo *vſ.* 1. agitur, refertur. Cuique vero contextum *Act.* I: 15 - ad finem inſpicienti liquebit, ibidem ex profeſſo agi de cœtu 120 credentium, quem Petrus fuit adlocutus, & ex cujus medio Matthias ad Apoſtolatum fuit electus,

cum ut ἐν παρόδῳ mentio tantum fiat τῶν ἕνδεκα, quibus communi ſuffragio totius illius Cœtus τῶν centum & viginti fuit adſcitus Matthias. Hiſce addo, *Lucam Cap.* II. dicentem: erant *omnes* &c. eopſe indicare, ſeſe intendere totum Cœtum τῶν 120. Utitur enim ibi Sacer ſcriptor, non voce πάντες, quæ ſæpe de pleno cœtu duodecim vel undecim Apoſtolorum adhibetur in ſcriptis Novi fœderis, ſed ἅπαντες, quæ in iisdem ſignificat univerſalitatem Cœtus magni, ita ut nemo ad eum pertinens excludatur, ſed ad unum omnes intelligantur. Vid. *Luc.* VIII: 37. XVII: 27. XIX: 48. Et revera ſi duodecim tantum intendiſſet Apoſtolos, Lucas ſatis habuiſſet dicere: erant hi ὁμοθυμαδὸν &c.

4. Quarto loco pergit doctiſſimus SCHERPIUS dicendo: hos omnes memorat Lucas Spiritu Sancto impletos alienis linguis τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ elocutos fuiſſe *vſ.* 4, 11., quod ſi de 120. diſcipulis interpreteris, nulla Apoſtolorum præ reliquis prærogativa, nullumque inter utroſque diſcrimen ſupererit. Reſpondeo ego, ſi conceſſerimus in elocutione τῶν μεγαλείων τοῦ Θεοῦ nullum eſſe diſcrimen Apoſtolos inter atque reliquos diſcipulos, quid mali inde? niſi quod

eadat

cadat hypotheſis Viri docti de quarta hac Apoſtolorum prærogativa, vel quod illud ad eam hypotheſin probandam non ſtringat argumentum: quippe quod nil niſi petitionem principii, a nobis refutati, in ſe continet.

5. Quinto loco petit argumentum ex *vſ.* 14, 32, 37, 42, 43. Nam *vſ.* 14. inquit: dicitur *Petrus ſtans cum undecim vocem ſuſtuliſſe*, cum ſi vulgarem ſequaris interpretationem, dicendum fuiſſet, Petrum cum *reliquis* ſtantem dixiſſe &c. *vſ.* 32. omnes qui adfuere dixiſſe commemorantur, ſe eſſe reſurrectionis Chriſti teſtes: Apoſtolos vero ſpeciatim ad teſtimonium hoc edendum vocatos fuiſſe ſupra §. 3. docui. *vſ.* 37. Judæi ſermone Petri corde compuncti *ſolos* Apoſtolos adlocuti dicuntur, cujus ratio dari non poſſet, ſi præter eos alii adfuiſſent, iisdem donis ornati. *vſ.* 42. ad fidem in Jeſum Nazarenum perductos Judæos in doctrina Apoſtolorum perſeveraſſe legimus, quod dici haud potuiſſet, ſi præter hos alii adfuiſſe ſtatuuntur, quorum ſermone eruditi fuerint. Denique *vſ.* 43. relatum legimus multa miracula per Apoſtolos facta fuiſſe: jam vero, ſi verum foret reliquis Diſcipulis eadem dona Chriſtum im-

pertiviſſe, eccur & hi miracula perpetraſſe non memorantur? Verum enim vero hoc argumentum ex omnibus iis locis petitum nullam mihi movet difficultatem, neque quicquam valet ad vulgarem interpretationem labefactandum: quod ut pateat, ad ſingula adducta loca epicriſin dabimus noſtram. Quod itaque ad

vſ. 14. Dicitur ibi Petrus cum undecim ſtetiſſe, non ideo quod hi ſoli adfuerint, ſed quia illi inter Chriſti Diſcipulos ad militandum ſub vexillo ſummi ſui Imperatoris, & regnum ejus extendendum, contraque hoſtes defendendum vocati, tanquam Apoſtoli fuere Anteſignani. Præterea, ſi tantum duodecim adfuiſſent, non dicendum fuiſſet, *hi non ſunt ebrii*, aſt *nos non ſumus ebrii.* At forſan quis inſtabit, cæteri, ſi hoc tempore ejusdem Spiritus parrheſiæ participes fuiſſent facti, diſcipuli, & eosdem decuiſſet ſtando ejus parrheſiæ édere ſpecimen. Reſpondeo 1°. nobis homuncionibus liberum non eſſe, definire, quid in tali occaſione deceat nec ne. 2°. Ex ſurrectione duodecim Apoſtolorum (qui antea ſederant) ad defendendum cauſam Dei contra irriſores, ſatis ſuperque liquere, Spiritum, quem omnes

hi

hi una congregati, & peregrinis loquentes linguis, acceperunt, eſſe Spiritum parrheſiæ. 3°. Hoſce reliquos in ſtatu quietis manentes eopſe probare, Spiritum fiduciæ eos accepiſſe, quo, freti bona cauſa, hujus litis contextæ bonum exſpectabant eventum. 4°. Denique addere poſſum, uti undecim Apoſtoli cum Petro ſtantes, ſed huic ſoli defenſionem verbis credentes, ſilendo oſtendebant Spiritum, quem acceperant, eſſe Spiritum ordinis, non confuſionis; ita & hi ſedendo, ubi Apoſtoli ſtabant, palam faciebant, Deum, cujus μεγαλεῖα eloquebantur, eos docuiſſe per Spiritum, omnem prævenire confuſionem, quam tantæ multitudinis ſurrectio cauſare potuiſſet.

vſ. 32. recte de omnibus dicitur, eos eſſe reſurrectionis Chriſti teſtes, quamvis præter Apoſtolos & alii complures adfuerint diſcipuli; quippe ad §. 3. Auctor quidem probatum dedit Apoſtolos primario eſſe vocatos ad hoc teſtimonium edendum, non vero *ſolos*. Contrarium equidem facile probatur ex *Luc.* XXIV: 48. ubi non tantum Apoſtolis hoc dixit Jeſus, ſed & diſcipulis Emmaunticis illic præſentibus juxta *vſ.* 15, 16.

vſ. 37. Judæi quidem dicuntur adlocuti Apoſtolos, non tamen *ſolos*: hoſque etiam præcipue conſuluerunt, quia hi ut Anteſignani in medio congregationis ſtabant.

vſ. 42. legimus ad fidem perductos Judæos in doctrina Apoſtolorum perſeveraſſe, non quia illi *ſoli* docuerunt, ſed quia majore docuerunt auctoritate. Ita & fideles dicuntur inædificati fundamento Apoſtolorum, licet & alii cum iis tunc temporis idem poſuere fundamentum *Eph.* II: 20. coll. 1 *Cor.* III: 11.

vſ. 43. relatum legimus multa per Apoſtolos facta fuiſſe miracula: concedo, ſed addo hoc non negare per alios etiam diſcipulos fuiſſe facta miracula. Et ſi concederem non fuiſſe miracula ab iis facta, non tamen inde ſequeretur, Chriſtum miraculoſo modo eis per Spiritum S. linguarum peregrinarum donum non conceſſiſſe. Et eccur nunc miraculorum ἐξουσίαν, ſeptuaginta diſcipulis denegaremus, quibus antea illam conceſſit ipſe Jeſus? *Luc.* X; 19.

§. 6.

Quod jam ad exceptionem Auctoris ad objectionem aliter ſentientium, petitam ex *Act.* X:

Act. X; 44. ea facile diluetur, ſi rem penitius inſpexerimus. Non enim ex eo loco probatum volumus Deum, nullo interveniente Apoſtolo, Ethnicis miraculorum dona tribuere voluiſſe: ſed hoc ex eo loco per legitimam conſequentiam elicere conamur, die Penteçoſtis alios, præter Apoſtolos duodecim, una congregatos miraculoſo modo dona Spiritus Sancti accepiſſe, atque eo repletos peregrinis locutos fuiſſe linguis τὰ μεγαλεῖα τȣ̃ Θεȣ̃. Revera id ex eo Capite *vſ.* 44—47. legitime deduci, cuique ratiocinium Petri ruminanti, atque absque præjudicio legenti ita perſpicuum eſſe debere reor, ut quomodo hoc in dubium vocari queat, nullus videre poſſim. Jam dudum hoc a præſtantiſſimis evictum Viris uſque adeo, ut oleum & operam me perdere putem, ſi id multis demonſtrare vellem. Pauca hæc tantum, ad omnem aliter ſentientium exceptionem diluendam, notabo.

1°. Accepiſſe Cornelium, omnesque qui cum eo verbi prædicationem Petrinam audiebant, Spiritum Sanctum, ex *vſ.* 44. ad oculum patet,

2°, Conſequens hujus Spiritus Sancti effuſionis in eos fuiſſe, ut peregrinis eos loqui linguis audierint ad ſtupefactio-

nem Petrus atque ejus comites, diſerte docetur *vſ.* 45, 46

3°. Medium, quo Cornelius, iique qui cum eo erant, Spiritum Sanctum, donumque loquendi peregrinis linguis acceperunt, idem fuiſſe, quo Petrus aliique qui eum comitati erant, eundem accepere Spiritum Sanctum &c. ipſe teſtatur Apoſtolus *vſ.* 47. atque inde concludit, Cornelium & omnes, qui cum eo erant, eſſe baptizandos.

Atqui ii, qui cum Petro Spiritum accepiſſe dicuntur, fuere non tales, qui Apoſtolico dignati erant munere, ſed credentes, qui erant ex circumciſione *vſ.* 45., nonnulli fratres qui erant ex Joppe *vſ.* 23.: ergo in confeſſo eſt, alios præter duodecim Apoſtolos una congregatos die Pentecoſtes accepiſſe Spiritum Sanctum cum dono loquendi linguas peregrinas.

§. 7.

Ad hoc noſtrum argumentum forſan duæ movebuntur exceptiones, ſcilicet 1°. hoſce credentes Petri comites, interveniente Apoſtolo, accepiſſe Spiritum Sanctum, atque locutos linguis peregrinis. 2°. Petrum dicentem *nos*, intendere ſe ipſum, atque

alios

alios in Apoſtolico munere ſocios ſeu collegas.

§. 8.

At vero argumentum noſtrum his, omnibusque aliis exceptionibus majus eſt. Etenim, quoad *priorem* exceptionem; reſpondeo, hic intelligere talem Spiritus Sancti, donique peregrinis loquendi linguis κοινωνίαν, quæ interveniente Apoſtolo fuit facta, prohibet generalis Petri loquendi modus, dicendo τούτους, οἵτινες πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔλαβον καθὼς καὶ ἡμεῖς. Hoc ἡμεῖς enim docet Petrum comparationem inſtituere, non tantum inter modum quo ipſe, ſed & quo ejus ſocii Spiritum Sanctum acceperunt, & quo Cornelius ejusque ſocii. Atqui Petrus modo miraculoſo, absque interventu Apoſtoli accepit Spiritum Sanctum: ergo & ejus ſocii: ſe ipſum enim Petrus cum ſociis ita jungit, ut illos eodem modo Spiritus Sancti participes factos conſideret. Si quis autem inſtare vellet, hoc καθὼς καὶ ἡμεῖς, non neceſſario requirere ſimilitudinem inter modum accipiendi, ſed tantum oſtendere æque participes eſſe factos Cornelium ceterosque Spiritus Sancti, ac Petrum ejusque ſocios: atque hanc inſtantiam urgeret ex ſcopo hujus ratiocinii, qui eo tendit ut oſtendat,

iis qui majoris gratiæ, ſcilicet Spiritus Sancti, participes ſunt facti, minus, id eſt ſignum gratiæ, Baptiſmum, denegari non poſſe; regeram ego: hoc, καθὼς καὶ, hic non tantum ejusdem doni participationem, ſed & ſimilem modum participationis deſignare, evincit collatio loci *Act.* XI: 15, ubi dicit Petrus ὥσπερ, id eſt, ſimili modo Spiritum Sanctum cecidiſſe in Cornelium ejusque domeſticos ac in Petrum aliosque in initio: hæc enim eſt emphaſis vocis ὥσπερ, ut deſignet *ſimili modo*, *ad inſtar*, *quemadmodum* vid. *Matth.* VI: 2, 5, 7, 16. &c.; cumque Petrus aliique in initio, id eſt, die Pentecoſtes, Spiritum Sanctum acceperunt modo miraculoſo absque interventu Apoſtoli, hoc ἐπέπεσε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπ' αὐτοὺς, ὥσπερ καὶ ἐφ' ἡμᾶς ſignificat, Spiritum Sanctum & modo miraculoſo absque interventu Apoſtoli cecidiſſe in Cornelium &c. Erat quidem Petrus Apoſtolus hic præſens tamquam hujus rei teſtis cum aliis, non autem tamquam medium, quo utebatur Deus ad Spiritum communicandum. Hoc me temere & nimis audacter adfirmare nemo ſuſpicetur. Ratio enim huic meæ poſitioni fulciendæ hæc eſt: quando Apoſtoli tamquam media, quibus Deus fuit uſus, ad effundendum Spiritum Sanctum conſiderantur, hujus rei indicium

in

in hiſtoria occurrit. Ita *Act.* VIII: 15. dicitur Apoſtolos precatos fuiſſe, ut Samaritani Spiritum acciperent Sanctum & *vſ.* 17. manus impoſuiſſe, quo facto acceperunt Spiritum Sanctum. *Act.* XIX: 6. *cum Paulus iis manus impoſuiſſet, veniebat Spiritus Sanctus ſuper eos.* Aſt tale quid non legitur *Act.* X. & XI.

Quod ad *poſteriorem* exceptionem; hic per relativum *nos* intendi Petrum atque undecim Apoſtolos, non facile mihi probabitur: hic enim regula hermeneutica valere debet, prædicato, quod ſuo deſtituitur ſubjecto, præcedens adſciſcendum eſſe ſubjectum. Sunt itaque ii de quibus, vel ad quos, ut ſubjecto vel ad ſubjectum in præcedenti fuit ſermo, non undecim Apoſtoli, de quibus nulla fuit facta mentio, ſed Petri comites, credentes illi, qui erant ex circumciſione *Act.* X: 45.

§. 9.

Jam ad quæſtiones Viri eruditiſſimi, quibus exceptionem ad noſtrum in hoc loco argumentum urgere ſatagit. Rogat nempe, 1°. cur, ſi Dominus, nullo interveniente Apoſtolo, voluiſſet Ethnicis tribuere miraculorum dona, Cornelius juſſus fuerit accerſere Petrum Apoſtolum, non alium quemcunque

cunque diſcipulum? 2o. Quæque ſubfuerit ratio, quod Æthiops Eunuchus, a Philippo Evangeliſta Evangelium edoctus atque baptizatus, non pari modo donorum horum particeps fuerit factus? Regerimus in genere ad utramque quæſtionem, nos in conſilio Dei non ſediſſe, atque Arcana viarum ejus funditus perquirere non poſſe, & qui nos, ut Sapientiſſimo Numini rationes agendi præſcribere auſimus! Hic, ſi rationem nullam dare poſſemus, cur ita agere Deo libuerit, eligeremus ἐπέχειν, & cum Apoſtolo exclamare *Rom.* XI: 33-35. Ὦ βάθος (d) πλȣ́τȣ καὶ σοφίας, καὶ γνώσεως Θεȣ̃. ὡς ἀνεξερεύνητα τό κρίματα αὐτȣ̃; καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτȣ̃ —— quam velle ſapere ſupra modum. Aſt nondum ad eas redacti ſumus incitas, quippe qui ſufficientem hujusmodi agendi Dei rationem dare poſſumus. Nam in ſpecie ad quæſtionem priorem reſpondeo, Deum juſſiſſe Cornelio accerſere Petrum Apoſtolum, non alium quemcumque diſcipulum, imo non alium quemcumque

(d) Non ſtatim me ad βάθος Paulinum, tamquam aſylum ignorantiæ recurrere velle, ſed quando prorſus rationem nullam dare poſſum, potius abſtinendo meam ignorantiam agnoſcere, Deoque gloriam ſapientiæ dare, quam rationes inſufficientes ſuggerendo majeſtati Divinæ quidquam derogare, quisque facile videt.

que Apoſtolum Joannem, vel Jacobum &c. quia Petrum ut Seniorem & primum vocatum diſcipulum elegit, ut primus per clavem verbi Judæis atque Gentibus aperiret regnum cœlorum. *Matth.* IV: 18, 19. coll. *Joan.* XXI: 15. - *Act.* II: 14.

Ad poſteriorem quæſtionem reſpondeo: 1°. rogando, quænam ſubfuerit ratio, quod Judæi illi, qui primo poſt Spiritus Sancti effuſionem a Petro Apoſtolo Evangelium edocti & baptizati, non pari modo donorum horum participes facti fuerint? Promiſit quidem Petrus eos, ſi ſe converterent, accepturos Spiritus Sancti donum, atque ita iis applicat promiſſionem *Joël* II: 28, 29. nullique dubitamus, quin & hujus promiſſionis participes fuerint facti, atque proin facile concedimus, quotquot ex iis forſan fuere ab exaltato Chriſto conſtituti Paſtores & Doctores, non tantum ordinaria, ſed & extraordinaria Spiritus Sancti dona accepiſſe (*e*); aſt nullibi legimus Apo-

(*e*) Idem & velim mihi concedi relate ad Æthiopem illum Eunuchum, ſiquidem ille, uti refert EUSEBIUS *hiſt. Eccl. lib.* 2, *Cap.* 24. ſtatim poſt reditum in Patriam doctrinam de uno Deo &c. palam prædicavit, & notat IRENÆUS *lib.* 3. *cap.* 12. quod miſſus fuerit in regiones Æthiopiæ, prædicaturus quod ipſe crediderat.

Apoſtolos illis manus impoſuiſſe, aut Spiritum Sanctum, vel ad χειροθεσίαν, vel ad preces Apoſtolorum in eos cecidiſſe, eosque Spiritu repletos peregrinis locutos fuiſſe linguis; quod ſi factum fuiſſet, cur non & hoc notaſſet Sacra pagina in hiſtoria Actorum Apoſtolorum, vel alibi æque ac de Samaritanis, *Act.* VIII: 17.; præcipue de diſcipulis, quos invenit Apoſtolus Paulus Epheſiis? *Act.* XIX: 6.

2o. Dicendo, quia hæc fuit prærogativa Apoſtolorum, quod ἐξουσίαν iis dederit Chriſtus, aliis impertiendi, cooperante Deo, Spiritum & donum loquendi linguis peregrinis.

§. 10.

Et quid opus eſt multis? etiam tales, qui non fuerunt Apoſtoli die Pentecoſtes, *eodem tempore*, atque eodem modo accepiſſe Spiritum Sanctum, quo Apoſtoli, ipſe demonſtrat Petrus Apoſtolus *Act.* XI: 15. dicendo: cecidit in eos Spiritus Sanctus uti & *in nos in initio*. Hac temporis deſignatione ἐν ἀρχῇ procul dubio nos ducit Petrus ad primam & miraculoſam eam Spiritus Sancti effuſionem, de qua *Act.* II: 1-4. & tamen ἐν ἀρχῇ in nos, inquit Petrus, cecidit Spiritus Sanctus in

in alloquio ad eos, qui cum ipſo litigabant ideo, quod ingreſſus fuerat ad viros præputium adhuc habentes. Sive quis per eos, in quos cum Petro Spiritus Sanctus in initio cecidit, intelligere velit eos, quos adloquitur Apoſtolus, litigantes ſcilicet ſecum, ſecundum *vſ.* 12., ſeu eos fratres, qui ipſum comitati fuere in itinere ad Cornelium juxta *vſ.* 12., eodem redibit; neutra enim eorum fuit ſocietas tantum Apoſtolorum, ſed credentium aliorum: priores ſaltem dicuntur *ii qui erant ex circumciſione* *vſ.* 2., per quos nonnulli eorum, qui fratres audiunt, & ab Apoſtolis diſcernuntur *vſ.* 1. ſunt intelligendi, quippe ſi Apoſtolos intenderet Lucas, non opus habuiſſet eos propius deſcribere tamquam *ex circumciſione*, cum in confeſſo fuit, omnes Apoſtolos, nemine excepto, fuiſſe ex circumciſione: & quod ad poſteriores, neque ii fuere Apoſtoli, ſed nonnulli fratres, qui erant ex Joppe, *C.* X: 23. credentes qui erant ex circumciſione *vſ.* 45. Excipiet forſan quis, Petrum neutram innuere ſocietatem ſive eorum litigantium, ſive eorum ſex comitum, ſed per illud ἡμᾶς intendere ſocietatem Apoſtolorum. Aſt contrarium liquet ex collatione *commatis* 17. ubi dicit Petrus, idem donum iis dedit Deus uti & nobis, qui credidimus in Dominum Jeſum Chriſtum. Hæc generalis ſui aliorumque

rumque ſibi junctorum deſcriptio, quibus dedit Deus ἴσην δωρεὰν ὡς ϗ gentibus, prohibet per τοὺς ἡμᾶς Apoſtolos ſolos intelligere, atque docet per eos Petrum intendere ſe ipſum &, vel in genere, omnes qui *vſ.* 1. dicuntur Apoſtoli & fratres, qui in Judæa; vel in ſpecie, aut eos qui *vſ.* 2. dicuntur ex circumciſione, & ad quorum litigantium ſcrupulum demendum tota inſerviebat Oratio Petrina, aut qui fratres ſex audiunt *vſ.* 12. Atque ita ſarta tecta manet noſtra ſententia, alios præter Apoſtolos ἐν ἀρχῇ miraculoſo modo accepiſſe Spiritum Sanctum, & die Pentecoſtes cum Apoſtolis duodecim ὁμοθυμαδὸν fuiſſe ἐπὶ τὸ αὐτό. quod erat demonſtrandum.

§. 11.

Concludimus itaque jure merito, quartam illam Apoſtolorum prærogativam neutiquam in eo poſitam, quod Apoſtoli *ſoli* miraculorum dona ab ipſo Chriſto immediate acceperint *Act.* II: 1-4., cæterique Evangelii Doctores (excluſis etiam iis diſcipulis, qui cœtum circiter centum viginti perſonarum conſtituiſſe dicuntur) mediate tantum, vel oratione & manuum impoſitione, vel etiam Evangelii prædicatione per Apoſtolos.

§. 12.

§. 12.

Hiſce noſtræ huic diſſertationi colophonem impoſueram. Sed quia mihi nuperrime in amica collatione cum Viro Venerando de hac ſententiarum diverſitate circa cœtum, ἁπάντων, qui die Pentecoſtes ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό fuere, & Spiritu Sancto impleti locuti ſunt linguis peregrinis, in memoriam fuit vocatum, ſententiam eorum, qui Cœtum illum τῶν Centum & viginti intendi volunt, maxima hac premi difficultate, quod, juxta eam, non ſolum Viri, ſed & feminæ Spiritu Sancto repletæ, propheſaverint linguis peregrinis, atque ita fecerint quod eis prohibitum, adeoque ipſam abſurditatem hanc deſtruere explicationem vocis ἁπάντων: e re mea eſſe duxi hanc demere difficultatem, utpote primo intuitu ſpeciem aliquam habentem: contendunt enim Apoſtolorum prærogativæ hac in re Patroni:

§. 13.

1°. Mulieribus non eſſe liberum palam docere in Eccleſia, idque probant auctoritate Pauli Apoſtoli, qui diſerte dicit 1 *Cor* XIV: 34. *Mulieres veſtræ in Eccleſiis ſileant, non enim eſt eis permiſſum loqui*, &c.

2°. Mulieres cœtui τῶν Centum & viginti interfuiſſe certum & extra controverſiam eſſe autumant ex collatione *Act.* I: 13, 14.

§. 14.

Lubens concedo explicationem dicti vel vocis, quæ abſurdi quid habent, eopſe everti, atque tali cedere debere, quæ nil vitii continet, quum omnis abſurditas cum ſapientia Spiritus Sancti in S. S. loquentis directe pugnet, & in explicatione Verbi Dei interpretem ſemper deceat Dei gloriam ſartam tectam ſervare: quare &, ſi hæc abſurditas noſtræ obtruſa ſententiæ ſolido niteretur fundamento, promptum atque paratum me haberent Doctiſſimi Viri fratres, meam mutare ſententiam, atque in eorum caſtra tranſire. Aſt vero ſecus cum ſe res habeat, & neque hæc, neque alia ulla difficultas noſtram premat ſententiam, ei inhærere me, usque dum validioribus convictus fuero argumentis, nemo mihi vitio vertere poteſt, veritati cedere non detrectanti.

§. 15.

Inquies, nonne abſurdum quid in ſe continet ſententia, quæ quod Apoſtolus Paulus

Paulus mulieribus per legem illicitum declarat, ſanctis illis mulieribus, quæ cum Apoſtolis perſeverantes erant in oratione & ſupplicatione, tribuit?

§. 16.

Imo vero! ſed noſtram eis mulieribus tale quid tribuere ſententiam, hoc eſt quod nego: cumque adfirmanti incumbat probatio, vellem id ſufficientibus argumentis demonſtrarent adverſam tenentes, quippe quod hactenus a nemine, quod ſciam, eſt factum.

§. 17.

Non inficior, poſito, ſed non conceſſo, mulieres cœtui των Centum & Viginti interfuiſſe, etiam eas locutas eſſe linguis peregrinis, quia diſerte teſtatur Lucas *Act.* II: 4. επλησθησαν ἅπαντες πνεύματος ἁγίου, καὶ ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις. Sed hoc ſi fecerint: non peccaſſe contra legem, mulieres in Eccleſia ſilere jubentem, exiſtimo haſce mulieres ita loquendo. Tangit enim quidem lex illa tales mulieres, quæ ſine legitima vocatione, proprio, ut dicitur, marte loquuntur in Eccleſia invitis maritis, non autem tales, quæ Spiritu Dei adflatæ

eſſent locutæ τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ. Nam (ne jam morer varias doctorum circa hujus loci ſenſum ſententias, aut recenſeam, qui diverſo modo hoc Apoſtoli dictum 1 *Cor.* XIV: 34. coll. 1 *Tim.* II: 12. cum 1 *Cor.* XI: 5. conciliare conati fuerint, qua de re videre licet WOLFII curas in h. l.) Lex ea, quæ mulierem ſubjicit Viro, meo judicio, non impedit obedientiam Deo debitam, minime! notum enim eſt præcepta poſterioris legis tabulæ cedere debere illis prioris. Ubi ergo Deus extraordinarie Spiritu ſuo adflat mulieres, atque eopſe eas vocat ad loquendum, ipſis ſua verba ponens in ore, ſilere eis non licet. Hinc diverſa mulierum Prophetiſſarum, quæ ex mandato ſupremi Numinis palam locutæ, quasque in caſibus extraordinariis ipſi Viri, Eccleſiæ Doctores, conſuluere, præſtant exempla tam in ſcriptis Vet. Teſtam. quam in iis Novi fœderis. Adde haſce mulieres, ſi etiam adfuere, & per Spiritum Sanctum locutæ ſunt, hoc ipſo veritati Prophetiæ Joëlis teſtimonium dediſſe; quippe qua promiſit Deus, non ſolum Filios, ſed & Filias, non tantum ſervos, ſed & ancillas copiam Spiritus Sancti accepturas cum hac ſequela, ut prophetarent.

§. 18.

§. 18.

Verum enim vero, huic Cœtui τῶν centum & viginti interfuiſſe mulieres, nemo facili probabit negotio, cum contrarium potius totus doceat contextus.

Non equidem neſcio, ſententiæ contrariæ adhærentes provocare ad *Act.* I. 14. ubi dicitur, Apoſtolos fuiſſe perſeverantes cum mulieribus in oratione &c. Sed dic mihi ſodes! fuitne Cœtus ille τῶν 120., cujus mentionem injicit ἱϛοριόγραφος, idem cum eo, de quo locutus eſt *vſ.* 13, 14.? minime gentium! Differunt enim inter ſe ratione temporis, numeri, & qualitatis perſonarum. Nam 1°. quod ad tempus, quo congregatus fuit Cœtus ille Apoſtolorum mulierumque (ex hypotheſi) atque fratrum Jeſu, fuit ipſe dies, quo adſcendit Dominus: aſt Cœtus ille τῶν 120., de quo *vſ.* 15. diebus illis, id eſt quidem tempore illo, quo adhuc exſpectabant promiſſionem, quod erat inter diem adſcenſionis Jeſu, & Pentecoſtes; non autem præciſe die illo primo adſcenſionis Jeſu Chriſti. 2°. numerum ſi ſpectes; Cœtus ille, de quo *vſ.* 13., conſtitit ex paucis, undecim ſcilicet Apoſtolis, & (ſi perſonæ, quarum mentio fit *vſ.* 14., his ſunt adnumerandæ, quod tamen jure merito in dubium vocamus, quia quidem dicuntur

cum his Apoſtoli perſeveraſſe in oratione, & ſupplicatione, non autem cum illis congregati), mulieribus aliquot, fratribusque Jeſu, qui *Matth.* XIII: 56. ad quatuor recenſentur: Cœtus autem ille, de quo *vſ.* 15. conſtitit ex pluribus, ſcilicet Centum & Viginti perſonis. (*f*) 3°. qualitatem perſonarum ſi conſideres: Cœtus, de quo *vſ.* 13. ex hypotheſi adverſariorum, continebat utriusque ſexus homines: contra Cœtus, de quo *vſ.* 15., tantum conſtitit ex viris, quibus competebat eligere aliquem ad Apoſtolatum. Surrexit enim Petrus e medio diſcipulorum, (non tantum eorum, qui Apoſtoli fuere

(*f*) Quæ hic ponuntur, eſſe κρησφυγετον nemini videantur; quippe quæ a nobis non adferuntur tanquam aſylum, quo vim rationis effugere conamur: ſed ut iis eam enervemus, atque omne robur ad fulciendum ſententiam adverſariorum ei adimamus. Quod per demonſtrationem differentiæ numeri perſonarum utriusque cœtus, cum illius de quo *Act.* II. 13, 14. tum illius de quo *vſ.* 15. recté fit. Nam ſi numerus perſonarum cœtus *vſ.* 15. differt ab illo *vſ.* 13, 14. idem cum eo eſſe cœtus nequit, atque in *vſ.* 13, 14. concludi, vel evinci non poteſt, easdem mulieres, quæ illi cœtui interfuere, etiam Cœtui τῶν 120. de quo *vſ.* 15. eſſe adnumerandas: ſicque eopſe cadit omne robur rationis deſumptæ a præſentia mulierum.

fuere electi a Jeſu, ſed & aliorum; quorum ſeptuaginta præter Apoſtolos etiam adhibuit Dominus ad Evangelium prædicandum juxta *Luc.* X: 1. erat enim turba Centum & Viginti) dixitque — —— *vſ.* 21, 22. *oportet itaque unus virorum, qui nobiscum converſati ſunt* — —— *nobiscum teſtis fiat reſurrectionis ejus* (ſcilicet Chriſti), quod toti Cœtui dixiſſe Petrum exiſtimo, quia hæc propoſitio Petrina omnium aſſenſum habuit; nam *communi ſuffragio adjunctus fuit Matthias undecim Apoſtolis:* hinc & Petrus in alloquio Auditores compellat nomine Virorum fratrum. Si quis autem hoc Lucæ dictum, *ſurrexit Petrus e medio diſcipulorum*, ita intellectum vellet, ut ſignificet, Petrum, in medio Apoſtolorum conſeſſum, ſurrexiſſe ad verba faciendum, atque adeo per diſcipulos, illos, qui eo nomine καт' εξοχην ſæpe in ſcriptis Evangelicis veniunt, Apoſtolos puta, intendi: per me licet, (quamvis neſciam, hos in libro Actorum ullibi hoc nomine diſcipulorum a Luca deſcribi: contra perſuaſum mihi habeam, eum ſemper ſolere ibidem nomine Apoſtolorum eos diſcernere a cæteris fidelibus ut diſcipulis. vid. *Act.* VI: 2, 6, 7. IX: 26, 27.) non tamen hoc, etiamſi concederem, Petrum adloquium ad Collegas in Apoſtolico munere direxiſſe, ullo modo mei argumenti vim infringet.

Verba enim fecit Petrus audientibus & præſentibus omnibus iis, qui turmam circiter Centum & Viginti faciebant, & turmam illam totam propoſitioni Petrinæ aſſenſum dediſſe diſerte declarat Lucas, dicendo: ex duobus propoſitis communi ſuffragio electum fuiſſe Matthiam ad undecim Apoſtolos. Electionem autem alicujus ad munus minime mulieribus, ſed ſolis competere Viris, nemo facile negabit: hinc & nullibi talibus Cœtibus, in quibus conſilium fuit initum de rebus gubernationem Eccleſiæ ſpectantibus, mulieres adnumerantur. Sed præter Apoſtolos, & Seniores nominantur *Act* XV: 6. quibus & tota adjungitur Eccleſia ut iiscum ejusdem ſententiæ *vſ.* 22. aſt tantum, qua conſtitit ea Eccleſia ex fratribus *vſ.* 23. id eſt, ex Viris credentibus.

§. 19.

An itaque, interjiciet forſan quis, fratrum nomen alicui Cœtui in compellatione tributum, omnes ex eo excludit feminas? nonne, denominatione a potiore facta parte, ſæpe tota particularis Eccleſia non ſolum viris, ſed & feminis conſiſtens, ſalutatur fratrum nomine in Epiſtolis Apoſtolicis? atque ubi ſub hoc nomine, vel ob virtutes collaudantur, vel ob vitia objurgantur,

&

& ad meliores admonentur fruges fidei Chriſtianæ confeſſores, id ita accipiendum, ſolos nempe Viros talibus virtutibus excelluiſſe, vel talibus vitiis conſpurcatos fuiſſe? nonne itaque feminarum curam habuere Apoſtoli, animarum Epiſcopi? qui omnium debitores dum dicuntur, non ſolum Judæorum, ſed & gentium, non tantum virorum, ſed & feminarum, id eſt, utriusque nationis & ſexus ſalutem promovere in mandatis habuiſſe cenſendi ſunt?

§. 20.

Ad hanc difficultatem reſpondeo 1°. Fratrum nomen extra omnem dubitationis aleam perſonarum indigitare qualitatem cum relatione ad ſexum: eſt enim virorum, non mulierum nomen, atque proin commonſtrat eos, ad quos ſermo directe pertinet, eſſe viros non feminas. 2°. totam Eccleſiam, æque ex maribus ac feminis conſiſtentem, hoc ſalutari nomine non crediderim, quia ſæpe diſtinguuntur mulieres credentes a fratribus. 3°. quando fidei confeſſores, nomine fratrum compellati, laudantur ob virtutes, aut vituperantur propter vitia, id quidem non negat & feminas horum participes fuiſſe, & etiam in ea laude vel objurgatione invenire, quod ad

earum laudem vel vituperium facit: attamen eo nomine adloquium fit ad viros confeſſores tamquam ad Capita, quibus ſubjectæ ſunt mulieres; atque hinc ſequitur Apoſtolos, quamvis directe mulieres non adloquuntur, earum tamen etiam animarum curam habere. (*)

(*) Quid, ſi teſtæ odorem ita abſtergeret C. Rev. *Scheppius*, ut euudem ſervare non poſſet diutius! pl. Rev *Vierootius* pro ſuo veritatis amore, ubi poſſet videri alluciuari, non præfracte peccat. N. B.

T A N T U M.

V.

V.

LITTERARIA.

Priuſquam more conſueto in annunciandis & recenſendis interdum Litterariis pergamus, Nova, quæ vocantur, Inſtituta ad promovendum ſcientiarum quarumvis & religionis incrementum formata indicare haud alienum eſſe puto. In hunc finem

FLESSINGÆ

Societas Scientiarum Zeelandica Fleſſingenſis, impetrato conſenſu *Nob. & Præpot.* ZEELANDIÆ ORDINUM, & ſub tutela & patrocinio GUILIELMI V. *Sereniſſimi Principis Arauſionenſis & Naſſavici, totius Foederati Belgii Gubernatoris &c. &c. &c.* fere ad formam ſocietatis ſcient. Hollandicæ Harlemenſis felici ſidere formata eſt. Sigillum Societatis *rupem* exhibet *in mari fundatam, cui ſeptem Artes Liberales inſiſtunt*, hac inſcriptione: NON SOR-

SORDENT IN UNDIS. Quovis anno Generalis congregatio indicato a Directoribus die habebitur, quæ unam vel plures quæſtiones proponet & ſingulari programmate indicabit, ab Eruditis, quibus libet, *exceptis tantum Societatis membris*, diſcutiendas, illique, qui ex judicio Societatis omnium optime quæſtionem ſolverit, præmium honoris dabit, Aureum ſc. Numisma, ſigillum Societatis & in ejus orbita Nomen ſcriptoris & annum referens, hac, quemadmodum ſolet, lege, ut Commentationi *non* Auctoris Nomen ſed ejus tantum *ſymbolum* ſubſcribatur, addita ſcheda, quæ Auctoris Nomen & domicilium ſignificat; hæc vero ſcheda obſignetur eidemque idem Symbolum inſcribatur. Mittantur Commentationes eorum, qui de præmio certabunt, ſumptibus miſſionis ab ipſo Auctore expenſis, ad Societatis Secretarium, Virum pl. Rev. JUSTUM TJEENK, *V. D. M. ad coetum Anglicum Fleſſingenſem*, *Belgico*, Latino aut *Gallico* idiomate & legibili exaratas penicillo. Nemini eorum, quibus præmium adjudicabitur, licitum erit, Commentationem ſuam præmio coronatam absque conſenſu Societatis vel ſeparatim, vel in alio qualicunque opere ſive integram ſive partem ejus prelo tradere.

Primæ, menſe Martio ſingulari programmate expoſitæ, quæſtionis, cui terminus reſpondendi poſitæ ſunt *ipſæ Kalendæ Maji anni* 1770., hæc ſumma eſt.

„ *Welke zyn de bewooners van Zeeland ge-*
„ *weeſt tot aan de vyſtiende Eeuw, hoedanig*
„ *waren hunne Zeden en Godsdienſtplichten;*
„ *en welken oorſprong en voortgang hebben*

„ *de*

„ *de fraaye Letteren, Kunſten en Weten-*
„ *ſchappen onder dezelven gehad?*"

Ad Kalendas ipſas Maji anni 1771. ſtatutus eſt terminus reſpondendi ad alteram quæſtionem, quæ ita habet:

„ *Welke zyn de redenen der menigvuldige val-*
„ *len of grondbraken in de Zeedyken, voor-*
„ *namelyk die der Provincie Zeeland, en op*
„ *welke wyze kunnen dezelve beſt voorgeko-*
„ *men, of, daar zynde, ſpoedigſt en minſt*
„ *koſtbaar herſteld worden?*"

Quævis quoque ſcripta, *nullo habito Auctorum diſcrimine*, receptura eſt Societas, dummodo Nova tradunt Inventa, vel Vetera confirmant & perfectiora reddunt, vel Obſervationes, Artium quarumcunque & ſcientiarum incremento inſervitura. Ad honoris & præmii memoriam annuatim Societas *duo Numismata Argentea* diſtribuet *binis eorum*, qui judicabuntur optimum dediſſe Artis vel Scientiæ cujusdam vel Obſervationum Specimen.

Societatis *Præſes* conſtitutus fuit Vir Ampliſſimus ISAACUS WINCKELMAN *U. J. D. & Conſul Fleſſinganus &c. Vice Præſes* Vir Ampl. PAULUS CHANGUION, *U. J. D. Senator, Secretarius & Syndicus Honorarius: Secretarii Societatis* Viri pl. Rev. JUSTUS TJEENK & JOA. JAC. BRAHE *V. D. M Fleſſingenſes. Directores* Societatis, Viri muneribus Politicis in Zeelandia & Hollandia inſignes XXIX. *Membra* vero Societatis hucusque adſcita LIV, quorum numerus annuatim augebitur. Hos rogatos habet, ut ad commodum Societatis ſua quisque conferat. Cedat hoc Inſtitutum Numinis

minis O. M. auxilio in præfixos & in prima Societatis lege indicatos fines!

Prodiit jam Tomus primus Commentationum Societati huic oblatarum, ſub hoc Titulo: *Verhandelingen, uitgegeven door het Zeeuwſch Genootſchap der Wetenſchappen te Vliſſingen, Eerſte Deel. Middelburg, by Pieter Gilliſſen. en zyn te bekomen te Leiden, by S. en J. Luchtmans*, 1769. 8.

Celſiſſimo Principi primo hoc opus ſacratum eſt ut *Societatis ſummo Protectori*. Exponuntur dein *hiſtoria & leges Societatis* ut & *Directorum & Membrorum ejus nomina*.

Commentationum autem hic habes Catalogum.

GYSBERT DE WITT, Heel en Vroedmeeſter te Rotterdam, *Onderlinge Vergelykingen tusſchen de verſchillende manieren om de Staar uit te neemen*. p. 1.

JOA. ALBERTUS SCHLOSSER, M. D., Medelid van de Koningl. Maatſchappy der Wetenſchappen te Londen, (reeds Overleden) *Verhandeling over de Metaal-Boomtjes*. p. 138.

SAMUEL ESCHAUZIER, Predikant in de Waalſche Gemeente te Dordrecht, (nu in 's Gravenhage), *Précis du Livre de l'Eccleſiaſte, par lequel on prouve, que des propoſitions & des maximes, avancées par l'Auteur dans le corps de ſon diſcours, quelqu' oppoſeés qu'elles paroiſſent à ſa concluſion, y ménent cependant directement*. p. 153. in 't Franſch en Nederduitſch.

JAN

JAN JACOB BRAHE, Predikant te Vliſſingen, *Salomo's Kroonrecht verdedigd, en Adonia, Abjathar en Joab wegens Hoog-verraad geſtraft.* p. 209.

WILLEM OTTO REITZ, U. J. D., Lid van de Hollandſche Maatſchappye, Lector Juris en Rector te Middelburg, (reeds Overleden) *Grondig Onderwys in de behandeling der Breuk-tallen, zoo gemeene als Decimale of Tientallige, benevens de daar afhangende Rekeningen.* p. 293.

MARTINUS SLABBER, Lid van de Hollandſche Maatſchappye en van de Keurvorſtelyke Phyſiſche Maatſchappye te Ober Lauſſitz in Saxen, Bailliu en Secretaris te Oudelande, *Waarneeming van een' Ooſt-Indiſchen Zeeworm.* pag. 387.

LEENDERT BOMME, Jansz., Koopman te Middelburg, *Bericht wegens een zonderling Zee Inſekt, gevonden aan eenige Zeewieren, geviſcht op het ſtrand van het Eiland Walcheren.* p. 394.

DAVID HENRI GALLANDAT, Anatomiæ, Chirurgiæ & Artis Obſtetricandi Lector, Heel en Vroedmeeſter te Vliſſingen, *Vroedkundige Verhandeling over de wyze, om een Kind in de Lyfmoeder te keeren, en by de voeten af te haalen.* p. 403.

—— —— *Nodige onderrichtingen voor de Slaafhandelaaren.* p. 422.

JOSUA VAN IPEREN, A. L. M. Philoſ. D., Lid van de Hollandſche Maatſchappye, Predikant te Veere, *Verhandelinge over een' Goddelyke verbeteringe van het zintuig des Gezichts.* p. 461.

GERAR-

GERARDUS JOANNES NAHUIS, Predikant in de Nederduitſche Gemeente te Middelburg, *Kort vertoog over de onſtoffelykheid en onſterf. lykheid der Ziele.* p. 510. Oppoſita eſt hæc Demonſtratio Inl. Baroni de Bielefelt.

JUSTUS TJEENK, Predikant in de Engelſche Gemeente te Vliſſingen, *Verhandeling over de* אוב *en* אובות. p. 546.

PAULUS DE WIND, M. D. Anatomiæ Chirurgiæ & Artis Obſtetricandi Lector te Middelburg, Lid van de Hollandſche Maatſchappye, *Een waarachtig Gezwel in een Vrouwelyke borſt geneeſen.* p. 587.

SAMUEL DE WIND, M. D. Stads Steenſnyder en Vroedmeeſter te Middelburg, *Waarneming omtrent een eerſtgeboren Kind, waar van de Ingewanden (de Nieren, Pisleiders en Waterblaas uitgezondert) zig buiten den buik bevonden.* p. 592.

F. H. GRAM, Heel en Vroedmeeſter te Rotterdam, *Waarneming over een Lieſchbreuk, door middel van de Breukſnede gelukkig genezen.* p. 595.

GYSBERT DE WITT, Heel en Vroedmeeſter, *Waarneming van een verſtopping van het Net rondom den Darm, ontdekt na den dood van den Lyder, op welken men de Breukſnede had verrigt.* p. 605.

ABRAHAM MULLER, M. D. te Vliſſingen, *Waarnemingen omtrent de Luchtsgeſteltheid, Weder en Wind, mitsgaders aanteekeningen der ziekten, in iedere maand voorgevallen te Vliſſingen in den Jaare* 1768. p. 620.

GOET-

GOETTINGÆ.

Notitia nuperrime data eſt peculiari ſcripto, & Proſpectus publicatus Operis Novi Periodici, quod Viri quidam Eruditi moliuntur, ſub titulo NEUESTE RELIGIONS-GESCHICHTE, edendi. Reſpicit hiſtoriam Religionis præcipue Chriſtianæ recentiſſimam. Hæc vero cum requirat omnis generis & ex quavis fere gente & regione ſubſidia, invitantur ubique Eruditi veritatis & Religionis ſtudioſi, ut ſuas ad hoc opus perficiendum conferant ſymbolas. Ut pateat, quid huic operi ex Inſtituto conveniat, brevibus Proſpectum Operis enarrabo. Expetuntur

Relationes rerum recens geſtarum circa Religionem maxime memorabilium. Hiſtoria *Naturaliſtarum*, *Deïſtarum*, *Spinoſiſtarum*, &c. eorumque contra Religionem Chriſtianam moliminum.

Adcuratior notitia religionis Ethnicæ, nondum ſatis cognitæ, earum præſertim gentium, quas inter religio Chriſtiana propagata eſt, ut & Sectarum inter Chriſtianos, minus cognitarum, uti *Socinianorum* in Tranſſylvania, *Hattumiſtarum* & Fanaticorum quorundam in Belgio, & Hæreticorum in Eccleſia *Ruthenica*.

Hiſtoriæ adcuratiſſimæ Propagationis Chriſtianiſmi per Miſſionarios & converſiones, vel ſingulorum; ſi modo ſint adeo memorabiles uti *Deutſchii* Proſelyti Judaici, vel Deïſtarum aut Naturaliſtarum, ſi modo non fuerint loquaces *Voltairii* & *Rouſſeauvi* Pſittaci,

ſed potius eorum, qui ſcriptis publicis religionem Chriſtianam obpugnaverunt, & ſi modo converſiones eorum probatæ ſint fidei, illamque *Voltairii* & veritate & dignitate τυ τρ... ſuperent.

Hiſtoriæ malorum & gravaminum, quæ rem Chriſtianam premunt, quæque patitur per bella cum Infidelibus, vel per ſcripta Libertinorum, vel per perſecutiones ſingulorum memorabiles, qualis illa fuit infelicis *Calaſii*, vel per Inquiſitionis Pontificiæ Tribunal.

Hiſtoriæ incrementorum quoad licentiam Religionis, quæ hinc inde publice cepit, & auxiliorum a Corpore Evangelico Ratisbonæ præſtitorum.

Hiſtoriæ vitarum Theologorum *demortuorum*, quorum præ aliis eximia ſunt in rem Chriſtianam merita.

Hiſtoriæ variationum novarum in doctrina fidei, novarumque hypotheſium & modi docendi, qualis eſt Venerabilis *Erneſti* de munere Chriſti, uti & laborum memorabilium, qualis eſt *Kennicotti*, nec non Obſervationum Novarum ad evincendum Religionis Naturalis & Chriſtianæ veritatem, quales ſunt *Reimari*, *Lardneri*, *Lelandi*, *Jeruſalemi* & *Leſſii*, vel quales in Eccleſia Romana ſunt *Bellarini* & *Febronii*.

Hiſtoriæ Litium Eccleſiaſticarum recentium circa dogmata fidei & morum agitatarum.

Hiſtoriæ motuum memorabilium in Eccleſia Orientali & Occidentali, quales v. g. ſunt in Eccleſia Romana, Ordinum Eccleſiaſtico-

rum

rum abolitio vel eorundem membrorum diminutio, potentiæ Papalis & Epiſcopalis limitatio, reſtitutio Jurium ſummi Magiſtratus aut Epiſcoporum, Interdictum Bullæ in Cœna Domini.

Hiſtoriæ Inſtitutorum memorabilium, qualia ſunt *Fiebigeri*, *Boylii*, *Moyera* & *Kalſenii*.,

Satis ex his patet minutulas hiſtorias, quales ſunt ædificationes & inſtaurationes Templorum, vocationes & mortes Theologorum & Miniſtrorum, vel Canoniſationes ordinarias Sanctorum, Jubilæa ordinaria in hoc opere locum haud ſortiri poſſe.

Omni cura & ſtudio veritati litent Scriptores, indicando fontes fide dignos, ex quibus ſua hauſerunt, & ſi opus erit Acta publica rariora & Manuſcripta huic Operi inſerant.

Non erunt *Polemici* operis hujus ſtructore, nec laudabunt quævis Nova in doctrina fidei aut religionis exercitio, neque vituperabunt Orthodoxiæ ſtudium, ſed ab hæretificatione & omni intemperato judicio ſollicite ſibi cavebunt.

Directricem hujus Operis curam ſuſcepit, & diſpoſitionem adornabit Vir ſumme Venerandus CHRIST. GUIL. FRID. WALCHIUS, Theologus & Hiſt. Eccleſiaſt. Profeſſor Goettingenſis celeberrimus.

Cum vero cl. Walchius commercio in hunc finem Litterario vacare haud poſſit, mittantur ſymbolæ huic operi deſtinatæ *Lemgoviam* ad *Officinam Meyerianam* ſive ad ejusdem Directorem HELWING, *Conſulem Lemgovienſem*, vel tempore Nundinarum *Lipſiam* ad *Bibliopolium*, quod tum Lipſiæ patet *Meyerianum*,

tradendæ *Breitkopfio*, im ſilbernen Bär / auf dem Alten Neumarkt. Officina Meyeriana illis, qui ſuam huic operi ordinarie dicabunt curam, præmium laboris haud denegabit, juxta philyrarum impreſſarum rationem computandum. Ceterum aliis, qui extra ordinem ſymbolas conferent, cum Bibliopola tranſigere de præmio licebit, prouti poſſunt.

HAFNIÆ.

Quæſtiones, quarum optimam ſolutionem præmio Numiſmatis aurei Centum Imperialium coronare ſtatuit Societas Scientiarum Regia, ſunt ſequentes

1) *Invenire optimam Antliarum incendiis componendis aptarum ſtructuram, ita quidem ut cylindri, emboli, communicantes tubi, valvulæ, vaſa ſi quæ adfuerint, comprimendo deſtinata epiſtomia, conſuti e corio ſerpentes, iisdemque annexæ cochleæ & tubi ejectitii &c. non juſtum tantum robur, ſed & proportionem legibus hydraulicis convenientiſſimam ſortiantur, ut vectes ſuis fulti hypomochliis & ſuſtentaculis ita aptentur ponderibus & potentiis, ut integra machina aquis hauriendis ejiciendisque inventa ſimplex & reparationis minus indiga, ut commode moveri, per anguſtiores plateas facile transferri, & ad incendia quævis felicius reſtinguenda cum ſucceſſu poſſit adhiberi?*

2)

2) *Num Planetarum motus medii conſtantes ſint, an vero creſcant, ita ut Planetæ primarii ad Solem, ſecundarii vero ad ſuos primarios continuo propius accedant?*

3) *Ex idoneis & certis obſervationibus determinare poſitionem axis Solaris & quantitatem anguli, quem facit planum æquatoris ſolaris cum plano eclipticæ?*

4) *Inter Eruditos gente vel Danos vel Norwegos quis primum monimentum Litterarium conſignaſſe cenſendus? cujus argumenti fuerit illud? utrumque perierit pridem, hodieve ſuperſit?*

5) *Perſpicue & nervoſe ex monumentis medii ævi & reipſa oſtendere, quam mutationem commerciis, ſcientiæ bellicæ, artibus, inſtitutis, moribus Europæ, ſeptentrionalis potiſſimum, attulerint Expeditiones cruciatæ, recuperandæ Palæſtinæ cauſa ſuſceptæ.*

Mittantur reſponſa ad Secretarium Societatis *Hielmſtiern*, ſymbolo Auctoris ſignata, nomine autem non niſi in obſignata ſchedula indicato, ante menſem Junium anni 1770.

HAGÆ COMITUM.

Vir pl. Reverendus & Doctiſſimus ARCHIBALDUS MACLAINE, *A. M. & V. D. M. ad Coetum Anglicum Haganus*, jam anno 1765. tranſtulerat in Idioma Anglicum notisque Doctiſſimis inſtruxerat Venerabilis MOSHEMII *Hiſtoriam Eccleſiaſticam Veterem & Recentiorem*,

hoc titulo Londini editam: *An Eccleſiaſtical Hiſtory Antient and Modern, from the Birth of Chriſt, to the beginning of the preſent Century, in which the Riſe, Progreſs, and Variations of Church Power are conſidered in their Connexion with the State of Learning and Philoſophy and the Political Hiſtory of Europe during that Period, by the late learned* JOHN LAWRENCE MOSHEIM, *D. D. and Chancellor of the Univerſity of Gottingen. Tranſlated from the Original, and accompanied with Notes and Chronological Tables. To the whole is added an Accurate Index. Vol. II. London* 1765. 4. Operis hujus utiliſſimi editio jam altera prodiit Londini Vol. V. 1768. 8. Ait ſupplementum quoque addidit Vir Vener. illorum in gratiam, qui priorem editionem poſſident, hoc titulo: *A Supplement to the Quarto Edition of* Dr. MOSHEIM's *Eccleſiaſtical Hiſtory containing the Additions and Improvements, inſerted in the Octavo Edition of that Work; and, among others, a* DEFENCE *of the* FIRST REFORMERS *againſt* Mr. HUME, *ſome Thoughts on the* PRESENT STATE *of the Reformed Religion, and the influence of Improvements in Science on its Propagation &c., and an Hiſtorical Account of the Correſpondence between Archbiſhop* WAKE *and the Doctors of the* SORBONNE, *concerning a projected* UNION *between the* ENGLISH *and* GALLICAN CHURCHES, *by* A. MACLAINE D. D. *London* 1768. 4. Verſionem hujus Operis Belgicam exſpectamus.

Vir pl. Rev. & Doct. DAVID KLEMAN, *V. D. M. Voorburgenſis*, laudabili cura & ſtudio edidit *Eerſte Waarheden der Geeſtkunde.* 1765. 8.

Pro-

Prodiit nuperrime elegantiſſima *Epiſtola*, quæ *id, quod pulchrum eſt in Sculptura*, & Artis hujus fata apud antiquos populos, & varium eorum ſculpendi modum, & varietatis hujus cauſſas ex populorum ipſo genio & ſtatu multo judicii acumine explicat. Titulus eſt: *Lettre ſur la Sculpture, a Monſieur* THEOD. DE SMETH, *Ancien Preſident des Echevins de la ville d'Amſterdam, a Amſterd. chez M. M. Rey.* 1769. 4. Auctor eſt Vir eruditiſſimus FRANC. HEMSTERHUIS, magni Patris patriſſans filius, qui artis amore ductus, quas a Patre edoctus eſt artes & ſcientias liberales, ad perfectionem artis adhibet, eoque ipſo & inventione & pictura, quam exhibent additæ *tabulæ*, nomen ſibi comparabit inluſtre, nec fuit ratio illius modeſtiæ, qua vel invitus hanc Epiſtolam typis excudi ſiverit.

Prodierunt etiam

Phædon, of over de Onſterflykheid der Ziele, in Drie Samenſpraaken, door MOSES MENDELSZOON, uit het Hoogduitſch. 1769. 8.

Zedekundige Brieven over het Geluk, mitsgaders de deugden en pligten, met welkers betrachtinge hetzelve onſcheidbaar verbonden is, Eerſte Deel. 1769. 8.

HALÆ SAXONUM.

Diem ſuum obierunt VV. CC. J. J. LANGE, *Mathematum Prof. O. a.* 1765. & JOA. FRID. JOACHIM, *Hiſtor. Prof. O.* 1767. *d.* 24. *Dec.* Ediderat

— Fortgeſezte Geſchichte der Staats-veränderungen des Ruſſiſchen Reichs zu des Hn. LA COMBE Geſchichte von Rusland, Dritter und lezter Theil 1764. 8.

— Sammlung Vermiſchter Anmerkungen, in welchen verſchiedene in die Staats- und Lehnrechte, wie auch in die Geſchichte des Münzweſens gehörige ſachen abgehandelt werden, 1764. 8.

Variis ſcriptis V. C. JOA. SAL. SEMLERUS, *Th. Profeſſor*, rempubl. Litterariam illuſtravit, quorum præcipua, præter ea, quæ jam annunciavi *Bibl. Brem. Nov. Cl. IV. Faſc. I.* & in *præfamine Bibl. Haganæ*, ſequentia ſunt.

— *Diſſ. de Dæmoniacis, quorum in Evangeliis fit mentio* 1760. Lectu eſt digniſſima, aſt licet modeſte ſcripſerit, & eruditorum judicia æque ac uberiorem rei illuſtrationem quæſiverit, virulente quidam ſe ipſi oppoſuerunt. His vero ſolide reſpondit libello, olim jam annunciato Umſtändliche Unterſuchung &c.

— Abfertigung der neuen Geiſter und alten Irrtümer in der Lohmanniſchen Begeiſterung zu Kemberg, nebſt Theologiſchen Unterricht von dem ungrunde der gemeinen Meinung von leiblichen Beſitzungen des Teufels und bezauberungen der Chriſten, mit einem Anhange 1760. 8. Puella octodecim circiter annorum dicebatur a Diabolo obſeſſa, & quod omnem ſuperat fidem, eodem tempore in una ſede obſeſſa à quatuor bonis Angelis, interdum cantu modulantibus. Eccleſiæ Præpoſitus peracto examine fabulæ fidem dat, multisque modis puellæ ſuccurrit, tandemque vice plus ſimplici ſolenni Exorciſmo Diabolum expellere tentat, ſed fruſtra. Fama hujus rei

vires

vires acquirit eundo, motusque in vicina regione concitat varios. Præpoſitus rem Scripto exponit publice. Publicavit tum cl. *Semlerus* hunc libellum, ut ſuperſtitioni latius ſerpenti obicem poneret, & ex Præpoſiti expoſitione aliisque indubiis criteriis demonſtrat ex malo hyſterico orta eſſe puellæ delirantis ſymptomata, & quod pejus eſt, aliquid fraudis ſubfuiſſe. Finis fabulæ fuit, quod puella aliorſum deportata, à ſociis vel cognatis ſegregata & inſpectioni duriori commiſſa, minisque poenalibus territa, a bonis malisque geniis liberata, rationisque ſanæ uſui reſtituta fuerit. Inter utiliſſima ſcripta hunc libellum refero, dum monſtrat, qua prudentia his in caſibus Paſtores examen inſtituere, & ſuperſtitionum fomites explodere debeant.

— Eigne Hiſtoriſche Theologiſche Abhandlungen / nebſt einer Vorrede vom Fanaticiſmo. Erſte Sammlung 1760. Zweite Sammlung 1762. 8.

— Beyträge zu genauerer Einſicht des Briefes an die Hebræer / des Herrn D. S. J. BAUMGARTENS Erklärung und Herrn A. G. MASCHENS Anmerkungen und Paraphraſi vorgeſezt 1763. 4.

— Hn. D. BAUMGARTENS Unterſuchung Theologiſcher Streitigkeiten / mit einigen Anmerkungen / Vorrede und fortgeſezten Geſchichte der Chriſtlichen Glaubens-lehren / Dritter Theil 1764. 4.

— Ejus quoque cura Hn. D. BAUMGARTENS Geſchichte der Religions Partheyen 1766. 4.

— Hiſtoriſche und Critiſche Sammlungen über die ſo genannten Beweisſtellen in der Dogmatik. Erſtes ſtük / über 1 *Joh.* V: 7. 1764. Zweites ſtük / nebſt einen Anhang wider Herr Senior GÖTZE 1768. 8.

— Verſuch einer Erläuterung einer alten Spur der Gothiſchen Überſezung 1764. 8.

— *Antiquitatum Hermeneuticarum ex Tertulliano, quibus N. T. loca quædam illuſtrantur, Specimen Primum* 1765. 8.

— *Bibliotheca Latina N. T. vetuſtioris Eccleſiæ, varias recenſiones Latinas complexa, quæ aut in libris ſcriptis, aut ſcriptorum Eccleſiaſticorum allegationibus ſuperſunt* 1765. 8. Specimina dantur notatu digna ex *Matth.* XIX: 16, 17. & XVIII: 8, 9.

— Vorbereitung zur Theologiſchen Hermeneutik / zu weiterer Beförderung des fleiſſes angehender Gottesgelehrten. Erſtes Stük / 1760. Zweites ſtük / worin von dem Hebräiſchen text und den alten Ueberſezungen gehandelt wird 1761. Drittes ſtük / worin von dem Griechiſchen Text und Handſchriften der Evangelien Beobachtungen vorkommen 1765. Viertes ſtük / worin von dem Griechiſchen text und Handſchriften der Briefe u. ſ. w. Beobachtungen vorkommen 1769. 8.

— Sammlung von Erläuterungs Schriften und Zuſäzen zur allgemeinen Welt-hiſtorie. Sechſter Theil 1765. 4.

— *Inſtitutio brevior ad liberalem eruditionem Theologicam*, liber primus 1765. 8. Ex mandato Regio hunc libellum ſcripſit cl. *Auctor*.

— *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Selecta Capita, cum Epitome Canonum, excerptis Dogmaticis & tabulis Chronologicis, Tomus Primus ſex ſeculorum* 1767. *Tomus II. ſeq. ſecul.* 1769. 8.

